

PHILOSOPHIÆ  
NATURALIS  
INSTITUTIONUM  
LIBRI TRES.

*In Neapolitanæ Juventutis emolumentum  
majori, qua potuit, diligentia*

A PETRO MARTINO

ASTRONOMIÆ, NAUTICÆQUE  
IN NEAPOLITANA SCHOLA  
REGIO PROFESSORE:

NECNON INSTITUTI BONONIENSIS SOCIO  
*concinnati.*

TOMUS SECUNDUS

*Librum Secundum de Mundo Cœlesti  
continens.*



Excudebat FEBIX CAROLUS MOSCA sumptibus  
CAJETANI ELIÆ. Superioribus annuentibus.  
NEAPOLI clocccccxxviii.

*Verum ergo id est , si quis in Cœlum adscendis-  
set, naturamque Mundi, & pulchritudinem  
siderum perspexisset, insuavem illam admira-  
tionem ei fore , quæ jucundissima fuisset , si  
aliquem, cui narraret, habuisset.*

**Cicero de Amicitia.**



# LIBER SECUNDUS<sup>3</sup>

*De Mundo Cœlesti; sive de Corporibus  
Cœlestibus, eorumque affectio-  
nibus præcipuis.*

## P R A E F A T I O.



On dubito fore plerosque, qui nos summa reprehensione dignos judicent, quod rerum cœlestium explicationi integrum librum destinaverimus, quum ex apud ceteros Physicos aut omnino negligantur, aut non nisi leviter pertractari soleant: existimantes pro-

vinciam istam ad Astronomos potius, quam ad Physicos pertinere, quibus idcirco eam curam integrum esse permittendam. Erunt fortasse & alii, qui illam Socratis sententiam nobis opponant: *Quæ supra nos, nihil ad nos;* quibus quidem verbis Socratem credunt redarguere voluisse stultitiae eos, qui rerum cœlestium contemplationi impensius vacarent. Credo quoque non defuturos, qui inanem prorsus, irritamque fore operam nostram judicent, quod de rebus adeo remotis philosophari audeamus. Nam si eorum, quæ coram sunt, quæ tangimus, quæ palpamus, quæ experimentis subjicimus vix quidquam certi norunt sagacissimi Physici; quanto magis necesse est ignorari ea, quæ tanto intervallo distant a nobis, quæque vix nudis oculis perspiciuntur; pleraque etiam omnino nostram aciem eludunt?

2. Verum enim vero qui rerum cœlestium tractationem a Naturali Philosophia, tamquam rem ab ea pro rorsus alienam, divellunt, ij de argumento suapte natura unico duplex facientes non modo insignem injuriam

TOM. II.

A 2

ipſi

## 4 PHILOSOPHIAE NATURALIS

ipſi inferre videntur, verum etiam ſe omnino ignorare ostendunt Cœlum, eaque omnia, quæ continentur in Cœlo totius Naturæ ut ampliſſimam, ſic eſſe nobiliflamm partem. Quid enim, ſemota cœleſtium rerum conſideratione, erit *Philosophia Naturalis*, nil anguſtiflamma corum, quæ in Tellure adparent cognitio? Terra enim quam exilis, contemptaque pars ſit totius Naturæ vel iphi *Lucio Annaeo Seneca* innotuit, cujus extant hæc p̄eclariflamma verba. *Punctum* eſt, quod inter gentes ferro, ignique dividitur: *punctum* eſt, in quo bellamus, in quo navigamus, in quo Regna diſponimus: cum quibus verbis Telluris parvitatem eludens *Lucius Seneca*, adparet ad totius Universi magnitudinem ſe reſpexiſſo. Quod ſi Astronomi hanc libi Naturæ partem excollendam ſumpferunt, non ideo Physicis officii ſui verecunde deſerendi facultas eſt tributa; Nam pari jure Scriptores rerum medicarum poſſent omnino partem illam praeterire, quæ deſcriptionem corporis humani perſequitur, ea de cauſa quod Anatomici ſeorsim ar- gumentum iſtud exornare fuſceperint.

3. Qui autem nos auſtoritate *Socratis* redarguunt, næ ij iphius *Socratis* conſilium minus intellexiſſe videntur. Id enim tantum voluit ſanctissimus Philosophus, non eſſe hominibus p̄ætextu contemplationis rerum ſublimium, abſtrusarumque vitaſ officia aut ignoranda, aut negligenda. Quamquam conſultius erat commen- dare hominibus hæc ſtudia; quippe ex quibus notionem veri Dei, qui fons eſt, atque caput omnium officiorum humanorum haurire poterant. Nonne enim cæcum eſſe oportet, qui ex admirabili, atque ſapientiſſima totius Universi ſtruſtura ſtatim non intelligat Opificis poten- tiſſimi ſummam intelligentiam, & bonitatem? nonne iſtanum, aut ſtupidum, qui de eo audeat dubitare? Nam ſi *Ariſtippus* Philosophus *Socratus* naufragio ad Rhodiensium littus ejeſtus, quod ſolum animadvertit geometrica ſcheniata delcripta in arenis, dixit ſe agno- ſcere *veſtigia hominum*: quanto magis neceſſe eſt eos, qui Mundi partes ita conſtitutas vident, ut neque ad uſum meliores, neque ad ſpeciem pulchriores eſt potuerint di- vi-

## INSTITUTIONUM LIB. II. 5

divinum Opificem agnoscere? Neque vero quemquam moveat *Democriti*, aut forte iplius *Cartesii* auctoritas, quorum uterque ita de Mundi origine disputavit, ut atomos tantum adhiberent, & motum ipsarum: ut ut enim compositionem corporum mundanorum aliquo modo demonstrarent, tamen tantum ordinem, tantamque rerum harmoniam, quantam cœlestium rerum excultores in Universo deprehendunt neque *Democritus*, neque *Cartesius*, neque ejus Segatores explicare umquam potuerunt.

4. Delinant itaque *Socratis* verbis carpere nos illi, qui studium rerum cœlestium insequantur; quin potius pudeat se non perspexisse eo consilio fuisse hominibus oculos, vultusque erectos concessos, ut ipsos eo intenderent, ut spectaculo tam præclaro fruerentur, ut ex eo agnoscerent quam potens, quam sapiens, quam bonus fuerit Opifex, a quo paratum ipsum habemus? Et sane quæcum omnis figura, atque situs membrorum magnopere commendetur a Philosophis, atque Poetis in corpore humano, tum præcipue celebratur capitis positio, quod quum cætera animantia prona sint, atque Terram respiciant, uni tamen homini os sublime, atque oculi erecti contigerint. Verisimile autem est divina id providentia institutum fuisse, ut nempe homines ex tali corporis structura admonerentur Cœli, atque siderum contemplationem, tamquam occupationem præcipuam sibi a natura esse commendatam. Et vero id statim intellexit genus humanum: nam ab antiquissimis usque temporibus, & fortasse ab ipsa origine Mundi cœptum est observandis siderum motibus diligenter incumbi, præcipue vero Solis, & Lunæ, ad quorum cursum annum post hominū memoriam descriptum fuisse constat.

5. Qui vero vanam, irritamque operam nos pone-re dicunt in his contemplandis, quæ tanto intervallo distant a nobis, quæque idcirco homines latere necesse est, ij neque quousque humana industria procedere potuerit, neque in quanta rerum omnium ignorantia versentur, sentiunt. Nam quum in cæterarum Naturæ partium contemplatione necesse plerumque sit conjecturis

indulgere , atque in iis summa laus sit vel verisimilia invenisse , hic si paucissima excipias , omnia habemus magis comperta, magisq; explorata, ac si nuper de Cœlo descendissimus . Sed enim his, quum *Geometriam*, aut *Mathematicas* disciplinas numquam attigerint, incredibile prolsus videtur siderum distantias , motus , atque magnitudines accuratis mensuris posse comprehendendi: quibus nihil aliud dicimus , nisi aliter tensuros , si disciplinis istis, naturæque rerum contemplandæ operam deditissent. Hoc vero longe plurimis non licuisse scimus, vel quod ad ea parum ingenio comparati essent , vel quod unde discerent non haberent , vel quod suis , aut Reipublicæ curandis negotiis alio vocarentur . Itaque nos horum judicium parvi putabimus ; sed si diligentiam in his nostram contemnendam putabunt, ad magis idoneos judices provocabimus.

6. Denique quod plurima sint in Cœlo , quæ penitus oculorum aciem elidunt, id quidem opportune potuit opponi ante hos centum annos , tum quum *Tubi optici* subsidio carebant homines. Nunc vero qui id faciunt non modo importuni , morosique sunt , verum ignorare quoque videntur quanta novarum rerum accessio *Astronomiæ* post illud tempus facta sit. Ejus enim *Tubi* beneficio comites Jovis , Saturnique, eorumque motus ; ejusdem Saturni phasæ mirabiles ; lumen Veneris incrementa , & decrementa ; Lunæ superficies inæqualis, & montibus aspera, aliaque innumera comprehensa sunt. Ejusdem *Tubi* beneficio conspectæ sunt maculæ in Sole , ex quibus non modo cognitum est generationem corruptionemque a Cœlo non esse alienam, contra quam *Peripatetici* docebant, verum etiam intellectum est Solem spatio ferme monstruo revolvi circa se ipsum . Cognitum est præterea quid via latæa quidve sidera nebulosa essent , de quibus tantopere disputatum fuerat apud nostros majores . Quanta vero sunt, quæ *Telescopii* subsidio *Cassinius* , & *Hupenius* in Saturno, Jove, & Marte: quanta quæ *Flamstedius*, & *Halleius* in Firmamento: quanta quæ *Franciscus Blanchinus* nostras nuperrime *Roma* in *Yenæ* observavit? Mitto pacalla-

## INSTITUTIONUM LIB. II. 7

fallaxes Planetarum, mitto refractiones, quas numquam accuratis mensuris comprehendissent Astronomi, nisi ad vetera organa accessissent optici tubi. Mitto etiam parallaxim siderum inerrantium, cuius indagatio magnam postulavit, & subtilitatem & diligentiam; per tot enim saecula Astronomi, ceteroquin oculatissimi, ne in suspicionem quidem ullius eorum vici studinis, aut aberrationis venire umquam potuerunt. Hæc inquam mitto, quia minus vulgaria sunt, longiusque remota a communi hominum judicio, atque sermone.

7. Quæ quum ita sint falcam in alienam messem minime immisisse, neque de rebus obscurissimis sermonem existimandum est hoc secundo Libro nos instituisse, in quo Cœli phænomena ut Physici, (id enim nomen multo latius patet, quam Astronomi) enarrate adgredimur. Atq; id quidem monet me, ut quod Astronomi, quod Physici munus in Cœli contemplatione esse debeat, in ipso vestibulo paucis aperiam. Utque inde exordium defumam, Astronomia nomen suum traxit ab astris, quæ contemplanda sibi proponit. Sane quum primum ipsa concelebrari coepit inter eruditos, Astrologia dicebatur, aptissimo quidem vocabulo. Est quippe Astrologia vox græca, quæ latine redditur sermo de astris. Sed posteaquam Chaldaeï doctrinam istam sanctissimam suis nugis contaminaverunt, quia Astrologi nomen male audiens apud vulgus, coacti fuerunt periti nomen Arti immutare; itaque pro Astrologia usurpare coeperunt nomen Astronomiæ, Artisque magistri deinceps non Astrologi, sed Astronomi, ad invidiam scilicet declinandam, voluerunt adpellari: quæ adpellatio manet hoc tempore apud nos.

8. Quum autem multa occurrant in Cœlo contemplatione hominum digna, præcipua tamen, quæ considerantur ab Astronomis sunt *magnitudo*, *figura*, *situs*, *motus*, atque *distantia* siderum. Itaque Astronomia nihil aliud esse videtur, nisi doctrina, quæ differit de *magnitudine*, *figura*, *situ*, *motu*, atque *distantiis corporum cœlestium*; Astronomicus idcirco munus est ea omnia scrutari, atque expendere. Atque in his quidem Astro-

nomi, Physique partes sunt communes ; horum enim omnium contemplatio æque pertinet ad utrosque . Sed præter hæc multa alia sunt , quæ tuto quidem negligi ab Astronomis , a Physicis vero temere præteriri non possunt : ut sunt ea , quæ pertinent ad constitutionem atque naturam corporum cœlestium, quæque ad eorum lumen , atque colores , adque vim caloris , & frigoris referuntur ; quibus quidem addendæ sunt , quæ apud veteres Physicos omnino erant incognitæ , nunc vero magna cum cura , atque diligentia pertractari solent , causæ motuum cœlestium , quibus cautis Astronomi nonnisi leviter indulgent . Quo magis danda nobis erit venia , si in contemplatione motuum paullo longiores fuerimus ; id enim manuducet nos ad investigationem causalium ; cuius inquisitionis labor prouersus irritus , atque inutilis erit , si motuum leges , mensuræque non habentur præcognitæ . Et vero quim multi Viri præclarissimi hoc ævo de causis motuum cœlestium physicis philosophari suscepissent , tamen nonnisi paucissimis res prospere successit . Cujus causam si investigare velimus , reperiemus eos cum admodum rudi motuum cœlestium notitia ad tantam investigationem acceſſisse: in quem scopulum ne nos quoque impingamus sedulo ca- vendum est.

9. Quum autem duo sint celebriora Systemata Mundi , unum eorum , quibus placet Terram in centro Universi fixam , atque immotam consistere , Solem vero circum Tellurem spatio ferme unius anni ; cuius systema Señatores ab auctore *Tychone Brabeo* adpellantur *Tychonici*; alterum eorum , quibus vicissim persuasum est Solem quiescere in centro Universi , Terram vero agitari in orbem spatio etiam unius anni : cui qui favent *Copernicani* dicuntur a *Nicolao Copernico* egregio ejus sententia instauratore : nos utrumque explicare cona- bimor . In eorum autem expositione patebit *Tychonem* veritati potius , *Copernicum* vero simplicitati magis conſuluisse . Mihi enim , ut in ipso vestibulo dicam hac de re quod ego sentio , ita persuasum est , Terram crassum esse , atque pigrum , inhabileque corpus ad movendum , adeo-

adeoque in centro Universi immobiliter constitui ; utque id firmiori animo credam facit ipsius *Romana Ecclesiae* irrefragabilis auctoritas , quam optimi quique magnopere revereri debent . Sed fateor etiam Coperniceam fictionem a plerisque ambagibus Mundum liberare ; ut si nos deinceps ei impensius favere videamur, merito excusandi simus. In Philosophia enim naturali versamur, in qua licet interdum minus vera sectari, si tamen inde aliquid commodi sit obventurum . Accedit quod & nos , ut se res habeat , non diffitemur , & ipsa *Romana Ecclesia Systematis Copernicei tutelam tantum*, atque patrocinium interdixit Astronomis , non vero usum & potestatem ; id quod minime constituisset , nisi vidisset magno & praesidio , & emolumento orbata mīri rerum cœlestium Scientiam , Systemate illo penitus profligato . Itaque nos deinceps indulgentia , beneficioque ipsius *Ecclesiae* utemur , neque dubitabimus Telluri motum adscribere , non quidem ut *Copernicus*, ejusque jurati interpretes , qui rem ita revera se habere in animalium suum induxerunt , sed potius nonnullius commodi, atque utilitatis ergo; ut scilicet Cœli phænomena facilius & intelligerentur , & explicarentur.

## SECTIO PRIMA.

*De Mundi, Cœlique constitutione, substantia, atque structura.*

30. **A**C primo quidem loco videtur inquirendum esse quum in substantiam, & constitutionem Mundi Cœlique , tum etiam in ejus strukturam , ac compositionem ; quod novissimum accuratam omnium partium notitiam præsupponit. Ea autem ut diligentissime a nobis hac Sectione pertractentur , ita de his omnibus sermo instituetur, ut primo loco partes singulæ, ac veluti membra Universi enumerentur ; tum eorum natura, ac constitutio enarretur; denique situs, positusq; eorum, ac motus describantur.

CA-

## C A P U T P R I M U M.

*De Corporum Cœlestium præcipuis differentiis,  
numero, magnitudine, & figura.*

11. **V**ulgatissima est corporum cœlestium distribu-  
tio in *Planetas*, *Cometas*, & *Stellas fixas*. Pla-  
netas adpellamus corpora quædam opaca radiis Solis  
illustrata, quæ statim temporibus quotannis in conspe-  
ctum nostrum veniunt. Cometas dicimus nonnulla alia  
corpora cœlestia longis caudis ut plurimum instructa,  
quorum adparitio extemporanea est, atque inopina.  
Reliqua corpora cœlestia, quæ neque Planetæ sunt, ne-  
que Cometæ, Stellas fixas vocamus.

12. Sed præstat omnia quotquot in Cœlo corpora  
deprehenduntur primum parti in *lucida*, atque *opaca*,  
deinde vero opaca rursus dispescere in *Planetas*, & *Co-  
metas*. Enim vero corporum omnium cœlestium quæ-  
dam gaudent lumine proprio sibique insito, quemad-  
modum est Sol, & maxima siderum pars, eaque lucida  
sunt; alia vero sunt opaca, neque alia de causa adpa-  
rent luminosa, nisi quia remittunt in oculos nostros  
omne id lumen, quod mutuantur a Sole; cuius generis  
sunt Planetæ omnes atque Cometæ.

13. Ut a sideribus illis initium ducamus, quæ gau-  
dent lumine proprio, sciendum est ea passim Stellas fi-  
xas, atque inerrantes nuncupari, non quod eodem Cœli  
loco quiescere, & quasi infixa esse videantur, sed potius  
quia ipsa ita temperant cursus suos, ut certos inter se  
situs, immutabileisque positiones conservent. Hujusmo-  
di sidera neque ejusdem magnitudinis omnia, neque  
ejusdem splendoris adparent; alia enim aliis quam lu-  
minis vi, tum mole præstante videntur. Quæ causa fuit  
ut jam inde ab antiquissimis temporibus distingueren-  
tur Stellæ in varias classes, quarum classium *senarius*  
numerus fuit constitutus; ea scilicet ratione ut quæ ma-  
xime essent, dicerentur magnitudinis *prima*, quæ mini-  
mae

in magnitudinis *sexta*; intermediae suo quæque ordine *secunda*, *tertia*, *quarta*, *quintæve* magnitudinis.

14. Neque tantum magnitudine, luminoisque vi distinxerunt stellas Astronomi, sed quo melius eas recenserent *Asterismos*, sive *Constellationes* varias in Cœlo effinxerunt, quibus nomina ex fabulis, & superstitione veterum religione ut plurimum imposita sunt: raro enim ea sui nominis imaginem referunt. Est autem Asterismus plurium stellarum juxta iacentium systema. *Tauri* ex.gr. asterismus complectitur omnes illas stellas, quas ad Tauri imaginem componendam idoneas censuerunt veteres. Et similiter asterismus *Virginis* continet omnes illas stellas, quæ componendæ Virginis figuræ idoneæ visæ sunt.

15. Veteres Cœlum ipsis visible *quadraginta octo* constellationibus complexi sunt, quarum *duodecim* occupabant latam illam Cœli Zonam, quam *Zodiacum* dixerunt; *quindecim* in regione Cœli australi ultra Zodiacum respectu nostri constituta locabantur; reliquæ una, & *viginti* visebantur in regione boreali citra Zodiacum posita. His memoria pene nostra navigantium opera, & beneficio accesserunt duodecim aliæ constellationes circa polum australem constitutæ, quæ & majoribus nostris, ex nobis etiam ipsis ob gibbositatem Terræ sunt inconspicuae. Asterismis videtur etiam accensa Galaxia, sive *Via lactea*, quæ est fascia quædam lata laetis candorem æmulans, nonnumquam dupli, interdum simplici tramite universum Cœlum circumcircum complectens: hanc enim fasciam ex innumeris minutissimis stellulis esse conflatam primus Telescopi subtilio deprehendit *Galilæus*; quæ quidem stellulæ quamquam singulæ oculorum aciem effugiant, conjunctis tamen luminibus illam Cœli regionem illustrant, suæque candore perfundunt.

16. Ad sunt quoque sidera nonnulla, quæ extinguntur, atque accenduntur per vices, idq; statim temporum intervallis. Omnium celeberrima est, quæ in collo *Ceti* (asterismorum unus is est eorum, qui ad Cœli regionem australem pertinent, prope Zodiacum situs) constitutur;

tur ; ea enim quum per octo, vel novem menses inconspicua sit, reliquo anni tempore non latet, sed molem suam indesinenter mutans modo major adparet, modo minor. Præterea constat observationibus astronomorum novas alias prius latentes emicuisse stellas, ealque deinde paullatim decrescere cœpisse usque donec penitus extinctæ fuerint. Hujusmodi fuit peregrina illa prope *Cassiopeia* constellationem anno 1572 primum ad v. id. Nov. animadversa, quæ Veneris sidus quantitate visibili æquabatur. Per Decembrem Jovis sidus ferme æmulabatur. Januario anni sequentis 1573 Jove paullo minor, stellisque fulgentibus primi ordinis aliquanto major eluxit, quibus Februarii, Martiique mensibus æqualis exstigit; deinde vero per reliquos hujus anni menses, perque primos anni sequentis 1574 ita decrevit, itaque mense Martio ejusdem anni exilis evanit, ut conspicit amplius non posset. Hoc sidus observarunt diligentissime quum multi Astronomi, tum præfertim *Tycho Braheus*, qui ex eo tempore totius Cœli novam descriptionem cœpit moliri. Denique illud non ambigitur plures stellas fuisse à veteribus observatas, quæ nunc frustra queruntur in Cœlo. Sic *Plejades* (in Constellatione *Tauri* istæ sunt) habebantur antiquitus numero septem, nunc vero serena nocte non plures quam sex cernuntur. Clarissimus *Montanarus* Societatem *Regiam Londinensem* datis ad eam suis literis admonuit, deesse in Cœlo duas stellas secundæ magnitudinis in *puppi Navis*, ejusque transfris prope *Canem majorem* a se, atque aliis occasione præfertim Cometae anni 1664 observatas, & recognitas.

17. Qui primus stellas in Catalogum retulit fuit *Hipparchus Rhodius*, ausus ex *Plinii* sententia rem, etiam Deo improbam, adnumerare posteris stellas Cœlo in hæreditatem cunctis relicto. Is partim ex propriis, partim ex observationibus aliorum mille, & viginti duas stellas retulit in Catalogum proprio singulis loco adsignato. Hunc Catalogum non multo post *Ptolemæus* quatuor stellis adauxit; qua ratione stellæ veteribus cognitæ non excedebant mille & viginti sex. Sed in novissimo Catalogo,

logo, quem Astronomus Regius Greenovicensis *Joannes Flamsteadi* nuper edidit, numerus stellarum ad tria milia excrevit, quarum tamen stellarum in eo descriptarum compleiores videri sine Telescopio non possunt.

18. Ad magnitudinem tum inerrantium, quum reliquorum siderum investigandam duo opus est praecognita habere, scilicet eorum a Tellure distantiam, & diametrum, sive magnitudinem adparentem. Esto enim oculus in O (*Fig. 1.*) in Telluris superficie: sideris vera diameter esto AB: adparentis autem diameter esto angulus AOB. Manifestum est in triangulo isosceli AOB ex datis lateribus OA, OB, quorum utrumque sideris ab oculo distantiam fere designat, & ex dato angulo AOB qui, uti dictum est, adparentem sideris magnitudinem designat, facile inventari iri veram diametrum AB: qua inventa ex Geometria Elementis sideris magnitudo non ignorabitur. At quoniam stellæ, etiam quæ sunt primæ magnitudinis, ut *Sirius*, *Arcturus*, *Capella*, *Cor Scorpii*, *Cor Leonis*, cæteræque adparent admodum exiguae, quin immo Telescopio ipso observatae tamquam totidem puncta lucentia absque visibili latitudine resurgent, etiam si ipsarum distantiae nobis cognitæ essent, nulla tamen subesset via earum magnitudinis exquirendæ. Nunc eo magis censendum est id factu impossibile, quod distantiae stellarum vel sint prorsus incomptæ, vel nonnulli conjecturis a nobis adsequantur; qua de re alibi erit agendi locus. De magnitudine tamen Solis (qui quidem saltem ratione luminis stellis fixis accensendus est) fatus superque constat. Scimus enim diametrum Telluris plusquam centies & decies contineri in diametro ipsius; ex qua diametrorum proportione consequitur globum Solis esse ad globum Telluris in ratione paulo majori, quam 1331000 ad 1.

19. Figuram Solis, stellarumque fixarum sphæricam posuerunt veteres Astronomi. Sed nostro ævo non defunt, qui Solem ovatum, una scilicet sui parte non-nihil longiore, altera nonnihil breviores ponant, non quod instrumentis hujusmodi figuram in eo deprehenderint (id enim tentatum adhuc non constat), sed potius

quod rationes mechanicae sic se rem habere suadeant : Etenim si Sol omni motu circa axem suum esset destitutus, figuram sphæricam indueret, præsertim si ipsum ex materia fluida constitutum supponamus ( ut placet nonnullis doctissimis viris , præcipue vero Renato Cartesio ) ; propter vim scilicet attractricem , qua materiae particulas donatas esse *superiori Libro* demonstratum est. Nunc vero quum Solares maculae ostendant Solem revolvi circa axem suum intervallo dierum ferme sex supra viginti , ut deinceps ostensurus ero , ex hujusmodi revolutione ovatam is figuram nanciscatur necesse est . Quum enim corpora in gyrum æta adquirant vim recedendi a centro, necesse est ut materia Solaris, quæ circa Solis axim revolvitur, nitatur inde recedere versus regiones circumjectas. Et quoniam non omnes particulae Solares eadem velocitate revolvuntur , quædam enim majores gyros conficiunt , quædam vero minores : vis autem centrifuga intenditur , vel remittitur cum ipsa velocitate; id quoque necesse est, ut partes illæ quæ majores ambitus describunt magis recedant ab axe , adeoque Solem ea ex parte tumidum faciant : partes vero illæ , quæ minores ambitus describunt minus recedant ab eodem axe , adeoque Solem ibi depresso præsent. Num autem eadem sit figura cæterorum siderum inertantium incertum iisdem auctoribus judicium videtur ; præ tanto enim ipsorum intervallo ignotum est , num ea moveantur circum axes suos ; verisimile tamen putant non dissimilem ipsorum esse figuram.

20. Præter Solem , & stellas fixas conspicuntur in Cœlo corpora sex opaca , quæ de quarundam stellarum vicinia in viciniam aliarum continentiter trajiciunt , eaque modo ad se mutuo adpropinquare, modo longis intervallis recedere videntur . Hæc causa est cur corpora ista *Planetae*, sive *Errones dicti* sint . Eorum nomina sunt *Mercurius* , *Venus* , *Terra* , *Mars* , *Juppiter* , & *Saturnus* . Planetis Terram cum *Copernico* ( cuius sententiam ut hypothesis retinemus ; quam quidem veniam ipsa Ecclesia Catholica jam olim Philosophis concessit ) accensemus . Ut enim inferius constabit in ea hypothesis Tel-

Telluris phænomena non dissimilia sunt eorum, quæ in Planetis cæteris observantur. Cæterum corpora ista opaca esse conjecterunt Astronomi tum ex simplici, parumque micanti lumine ipsorum, quum ex eorum phænibus, sive luminum incrementis, atque decrementis, de quibus alibi erit sermo.

21. Planetæ isti *primarii* adpellati sunt, ut nempe distinguerentur ab aliis quibusdam corporibus cœlestibus, quæ ex eo quia a primariis modo recensitis numquam discedunt, *Satellites*, *Comites*, & *Secundarii* primiorum paßim adpellantur. Sane *Luna* unicus est Telluris nostræ satelles. *Jovis* quatuor sunt satellites, quos primus mortalium detexit magnus *Galilæus*, ea-que *Medicea* sidera vocavit. *Saturnus* quinque comiti-bus stipatur, quorum qui est ordine quartus a *Christiano Hugenio* primum detectus est, reliquos *Cassinius* nostras deprehendit in Observatorio *Parisensi*. Quo loco prætereundum non est hunc ipsum, quem modo laudavi-*nus*, *Hugenium* existimavisse *Saturnum* pluribus quam quinque Lunis fortasse stipatum esse, quamquam eas non dum Astronomi potuerint conspicere. Ejus verba hæc sunt: *Saturniarum* (intellige *Lunarum*) *una nobis obtigit, qua ceteris clarior est, & ab extrema proxima, quam anno 1655 Telescopio nostro non ultra duodecim perdes longo primi deprehendimus. Reliquæ diligentissimis Dominici Cassini observationibus passuerunt vitreis or-ribus utentis a Josepho Campano expolitis primum 36, deinde totidem supra centenos. Tertiam enim, quintam-ve vidimus anno 1672 ipso monstrante Cassino, & postea sapies. Primam cum secunda sibi repertas significavit, missis literis, anno 1684. Ha vero difficillime cernuntur, certoque adfirmare nequeo mibi conspectas hæc tenuis. Nec propterea quidquam vereor clarissimo Viro fidem habere, atque has quoque *Saturno* socias adscribere. Immo præter barum numerum alias quoque, vel unam, vel plures late-re suspicari licet: nec deest ratio. Quum enim inter ex-tremas duas spatium amplius pateat, quam pro distan-tiis cæterarum (id quod inferius constabit) posset hoc in-sidere sextus satelles, vel etiam ultra quintum alii cir-cum-*

*cum vngari, qui propter obscuritatem non dum sunt visi;*  
*quum ipse ille quintus tantam in orbitæ sua partæ, qua*  
*ad Occidentem, spectat cernatur, in reliqua numquam*  
*adpareat.*

22. Invaluit autem ut planeta quivis primarius cum suis satellitibus *Systema ejus primarii* diceretur; scilicet Saturni si de Saturno, Jovis si de Jove, & Telluris si de Tellure agitur. Quapropter *Systema Saturni* conflatur ex Saturno, qui centrum occupat *systematis*, & Lunis quinque. *Systema Jovis* conflatur ex Jove, & Lunis quatuor. Denique *Systema Telluris* componitur ex Tellure, & unica Luna. Invaluit præterea ut in unoquoq; *systemate*, qui satelles proxime ambiret primarium, is diceretur *primus*, sive *intimus*; is vero, qui à primario omnium maxime abesset, diceretur *extimus*, sive *ultimus*. Reliqui tres planetæ primarii Mercurius, Venus, & Mars satellitio destituuntur, nisi quod de Veneris Luna aliqua suspicatur *Cassinus*. Itaque planetæ, sive Errones in universum sunt *decem*, & *sex*; primarii scilicet *sex*, & secundarii *decem*, qui primarios tres Terram, Jovem, & Saturnum perpetuo comitantur, & cingunt.

23. Magnitudines Planetarum ad Telluris nostræ magnitudinem referunt Astronomi; conferunt enim diametros illorum cum diametro istius, quæ a *Mathematicis Gallis* constituta fuit pedum *Parisienfium* 39231564. Proportiones diametrorum ita se habent. Posita Telluris diametro partium 100, Saturni diameter continet earum partium 1500; Jovis 2000; Martis 67; Veneris 132; Mercurii vero 28: ex qua diametrorum proportione facile est ipsorum globorum proportiones elicere. Adparet autem omnium Planetarum minimum esse Mercurium, maximum vero Jovem, Saturnū autem Venerem, Tellurem, & Martem intermedias magnitudines sortiri. Et quoniam diameter Telluris quater fere continet diametrum Lunæ fit hinc, ut globus Telluris ad globum Lunæ sit ut 64 ad 1 circiter.

24. Cingitur præterea *Saturnus annulo tenui, atque lato ab ejus corpore undique diviso*. Is pro varia Solis, ocu-

oculisque positione varias subit figurās, quæ *phases annarum* passim adpellantur. Ab *Hugenio* primum detectus est, & in systemate *Saturnio* anno 1659 editus. *Cassinius* credidit annulum istum ex innumeris, minutissimisque satellitibus constituti, quemadmodum via lattea componitur ex innumeris, atque minutissimis stellulis. Diameter annuli se habet ad diametrum *Saturni* ut 9 ad 4; vacuum autem spatium inter utrumque interjectum eandem, quam annulus latitudinem habere deprehendit; ex quo fit ut latitudo annuli, spatium inter *Saturnum*, & annulum interjectum, & semidiameter *Saturni* sint inter se, ut numeri  $2\frac{1}{3}$ ,  $2\frac{1}{2}$ , & 4 respectively. Præterea quum diameter annuli sit ad diametrum *Saturni* ut 9 ad 4; diameter autem *Saturni* sit ad *Telluris* diametrum ut 1500 ad 1: erit diameter annuli ad diametrum *Telluris* ut 13500 ad 4, live etiam ut 3375 ad 1.

25. Planetarum figura ex antiquorum Astronomorum sententia erat sphærica: at nunc sphæroides ponitur. Sane hujusmodi figura jami olim in *Jove* beneficio *Telescopii* observata fuit a *Cassino*; atque ex novissimis *Godini* observationibus in *Regio Parisiensi Observatorio* habitis eadem figura deprehensa est etiam in *Luna*. Sed in *Tellure*, quoniam ipsam eminus conspicere non licet, experimentis evincitur. Primo enim observatum est pendula in recessu ab æquatore citius oscillationes suas perficere, in accessu vero ad ipsum tardiora evadere. Observatum est præterea gradus terrestres augeri in accessu ad æquatorem, minui vero in accessu ad polos; quorum utrumque cum sphærica *Telluris* figura non bene convenire videtur.

26. Primo enim si *Tellus* sphærica esset, ubicunque pendulum constitueretur, eadem foret ejus distantia a centro *Telluris*; adeoque nullum, ratione distantie, ab eo fieret ponderis incrementum, vel decrementum; (notum est enim pondus ejusdem corporis increscere, vel decrescere in accessu, vel recessu a centro *Telluris*): quum tamen acceleratio, vel retardatio pendulorum postulet majorem in iis, vel minorem gravitatem. Et secundo si *Tellus* sphærica esset, singuli meridiani terre-

stres forent totidem circulorum maximorum circumferentiarum; adeoque omnes gradus latitudinis, qui ab æquatore versus polos numerantur, essent æquales inter se. Unde quum constet idem pendulum pro locorum magis, vel minus ab æquatore distantium diversitate accelerari, vel retardari; prætereaque quum gradus latitudinis inæquales esse deprehensi sint, sequitur figuram Telluris sphæricam esse non posse.

27. Sane prior observatio, quæ pendulorum accelerationem, vel retardationem respicit, æque explicari potest, sive Tellurem oblongatam versus polos versus æquatorem vero depresso, sive eam vicissim oblongatam versus æquatorem versus polos vero depresso contiuimus; at posterior observatio non aliter intelligitur, nisi polita Telluris figura graciliori versus æquatorum, longiori vero versus polos: id quod fuius *Libro III* explicabitur. Itaque hodie omnes ferme Philosophi hujusmodi figuram Telluri concedunt. Nuper clarissimus Astronomus *Eustachius Manfredius* magnum *Italij* lumen, atque ornamentum novam rationem commentus est, qua mediante definiti possit vera figura Telluris. Hæc methodus per parallaxes lunares diversis Terrarum locis observatas procedit, quam attingemus quum ad parallaxium leges explicandas deventum erit.

28. Supersunt Cometas, de quibus notissima est sententia *Aristoteles* docentis eos nihil aliud esse, nisi exhalationes calidas, & siccas, quæ supra aerem evectæ, inque eam regionem pervenientes, in qua est materia concreta, illuc ex motione superiorum corporum a descendunt, luceant, motionemque accipient; & si alicui fortasse stellæ suppositæ sint, tum ei comam, vel caudam affingant, e jusque motum imitantur; durent autem tam diu, quamdiu ipsis pabulum non defuerit. Sed nihil est certius apud recentiores Physicos (præsertim post tempora *Tychonis Brahei*, & *Johannis Kepleri*, quibus prius innovit Cometas parallaxi diurna esse destitutas, ut postea explicabitur) quam Cometas corpora esse cœlestia longe supra Lunam collocata, quæ minime quidem erruntur, & occidunt, hoc est generantur & in-

teger

terent, sed sempiterna sunt. Hi autem quum per ætheris immensitatem late vagentur, quum primum in regiones cœlestes proximiores descendere incipiunt, conspicui evadunt; adparere vero desinunt, quum in plaga Cœli longe a nobis difficas evolant.

29. Huic recentiorum placito accedit quoq; auctoritas sententiae, in qua fuisse *Apollonium Myndium* locupletissimus auctor *Seneca* testatur: *proprium fidus Cometae esse, cui non palam cursus est; altiora Mundis secat, & tum demum adpareat, quum in imum cursus sui venit.* Cui sententiae & ipse *Seneca* subscribit his verbis: *Non existimo Cometen subitaneum ignem, sed inter eterna opera Naturæ. Alibi: Cometes habet suam sedem, & ideo non citio expellitur, sed emetitur suam sedem, nec extinguitur, sed excedit.* Et iterum: *Quare non aliqua sidera sint, quæ in proprium iter, & a planetis remotum recesserint? Quod si judicas non posse ullas stellas, nisi Signiferum attingere, Cometes potest sic latum babere circumlum, ut in hunc parte aliqua sui iacidas.* Idem *Seneca* ait. *Quid miramur Cometas, tam rara mundi specia culum, nondum teneri legibus certis, nec initia illorum, finesque notescere, quorum ex ingentibus intervallis re cursus est?* Addit. *Erit, qui demonstret aliquando in quibus Cometae partibus errant: cur tamen seleni a reliquis eant: quot qualesque sint.* Quæ vota pro parte impleta sunt. Cometarum enim cursus certis legibus teneri cognitum est a recentioribus: quamquam de eorum numero nihil adhuc habeant comperti. Raræ enim antiquitus fuerunt observationes Cometarum. Accedit & illud, quod Cometæ longo post tempore redire solebant; quæ videtur fuisse causa, quare vetustiores Astronomi ad eos distinguendos minime animum intenderent. Nostro autem ævo quum diligentius observari coopti sint Cometæ, usque adeo ut nonnulli Astronomi quorundam Cometarum redditum divinare anti sint, spes est ut tandem Cometarum numerus, viæ, motuumque rationes plenissime innotescant.

30. Ceterum Cometarum plures species memorantr Astronomi. Alios enim ab aliis distinguunt tum

coloribus variis, quibus fulgere deprehenduntur, tum similitudine, quam referunt Planetarum, tum denique radiorum, quos amplissimos emittunt, situ, & positione. Interdum enim radij isti projiciuntur in eam partem Cœli, in quam tendunt Cometæ; tuncq; *barba* adpellantur; Cometæ vero ipsi *caudati*. Interdum antecedens corpus Cometæ sequuntur; tuncque *cauda* dicuntur; Cometæque ipsi *Caudati*. Interdum denique in orbem circum Cometæ corpus circumfunduntur; quo tempore illi *coma*, Cometæ vero *consati* vocantur.

## C A P U T S E C U N D U M.

*De Cœli, deque Corporum, quæ in Cœlo sunt,  
constitutione, & substantia.*

31. **V**isis Universi partibus præcipuis, iis videlicet quarum homines notitiam comparare sibi patuerunt, proximum est ut in earum partium naturam, & constitutionem inquiramus; videamusq; etiam qualis sit substantia ejus loci, quo in loco partes illæ sunt colligatae, quique Cœlum vulgo dicitur. Atque in ipso quidem vestibulo illa intervenit quæstio, sit ne Cœlum corpus aeris instar fluidum, an crystalli instar in solidas sphæras compactum: quam quæstionem ut hic non præterirem quum multa alia, tum præcipue illud effecit, quod ipsa hæc quæstio ad siderum motum pertinet. Et enim quum in sideribus omnibus, ut inferius explicabitur, duplex motus observatus sit, unus ab ortu in occasum, qui spatio 24 horarum perficitur, alter vicissim ab occasu in ortum, quem motum nonnulla sidera citius, alia serips absolvunt; quidam ex veteribus attinentes motum diurnum omnibus sideribus esse communem, crediderunt sphæram esse solidam quamdam universum Cœlum complestantem, quæ spatio horarum 24 revolvetur ab ortu in occasum, quæque eodem tempore intervallo abriperet secum tum omnes spheras interiores, quum sidera in illis sphæris constituta; hanc-

Hancque sphærarum *primum Mobile* vocitarunt.

32. Sed quam p̄viderent motum illius solidæ sphære circumambientis minime communicari posse sideribus, si spatia interiecta forent fluxa, & liquida, eo devenierunt, ut dicerent spheras omnes inferiores solidas esse, & firmas, in quibus sidera omnia, quasi implantata, continerentur, quippe hac ratione videbatur ipli, posse extimam spharam motum suum contiguae primum, deinde eadem opera cæteris inferioribus imprimeret. Et quoniam unas ab aliis divisas ita ponebant, ut continerent quidem se, sed unam massam minime conficerent; nihil vetare adfirmarunt, quin singulæ possent propriis motibus ab occasu in ortum tendere; quemadmodum videmus nautas, dum communis navis motu abripiuntur, posse interim progredi motu opposito supra ipsa transtra.

33. Sed facile est hanc Cœli, sphærarumque ejus soliditatem labefactare. Primo enim quod eo consilio inducta fuerint, ut superiores possent abripere, ac secundum circumducere inferiores, id quidem nullatenus fieri posse videtur. Quum enim & sphera suprema, & reliquæ intus contentæ accuratissime lèves, circaque idem centrum volubiles sint, profecto non habebunt superiores, quamquam inferioribus contiguae unde illas abripiant, aut ullam in ipsas impressionem faciant. Sane id tunc eventurum fore, quando superficiebus inferioribus suæ effent partes eminentes, quæ cavas superficierum superiorum partes sibi congruas subirent; hisce enim veluti anulis possent inferiores sphæræ a superioribus propelli, & cum illis circumvolvi. Verum eo casu inferiores superficies revehiri, contraq; ire minime sane possent; sed uno semper tenore ita abducentur, ac si unum mobile individuum cum abducētibus foret: unde motui quidem diurno siderum ea positione perbellè satisficeret, sed motus eorum proprii minime explicarentur. Ex quo quidem adparet sphærarum soliditatem aut frusta constitui ad motum siderum communem explicandum, aut ita quidem proferri, ut motibus siderum propriis officiatur.

34. *Secundo*, sphærarum soliditate constituta, impossibile est intelligere quomodo lux siderum ad nos tres usque oculos possit pervenire. Neque quidquam valet effugium, limpidiſſimam esse, atque purissimam crystallum, ex qua sphæræ Cœlestes elaboratae sunt; ut ut enim limpida, atque pura ea esse ponatur, tamen profunditas adeo immensa non potest lucem siderum non retinendam, atque labefactare: ut præterea in radios lucis, quod plurimas sphæras Cœlestes trahicere cogantur, refringi diversimode debere; quum tamen constet illas tunc tantum refractionem subire, quum incident in atmosphærā, sive devexam hujus vapidæ aeris nostri superficiem.

35. *Tertio* soliditas sphærarum manifestissime refragatur observationibus recentiorum Astronomorum, quæ motus Cometarum, & Planetarum respiciunt. Pensat equidem res ex inferius dicendis: Sed interim tamen recensete hic placet nonnulla, ex quibus sententia illa soliditatis sphærarum possit infirmari. Et a Cometis quidem hoc ducere possumus argumentum ad Cœlorum fluiditatem adstruendam: nempe quod iij multo superiores deprehensi sint regionibus Lunaribus, perque ætherea illa spatia longe lateque vagari; usque adeo ut quandoque accedere, quandoque vero longis spatiis a nobis recedere vili sint; quod profecto fieri non potuissest, si forent ea spatia occupata solidis, compaetisque sphæris, & non forent potius aut inania, aut fluido corpore plena. A Planetis vero, quod ex observationis in Venere phasisibus, quæ lunaris proorsus consimiles sunt, intellectum est ipsam Soli circumducī, hoc est nunc cis, nunc ultra, sed nunc supra, nunc infra, nunc ad latera ejus ferri. Id scilicet ut fieri valeat, necesse est Solem haud quidem infixum esse sphæræ solidæ, quæ tota ambiat sphæram aliam, cui Venus ipsa sit infixæ, sed potius habere debere circa se spatia diffusa ac libera, per quæ Venus compeditibus soluta libere excurrat. Idem arguunt satellites Jovis, ac Saturni, qui primarios Jovem, & Saturnum cursibus suis circumgunt, perinde proorsus ac Venus Soli circumducuntur.

Sed

## INSTITUTIONUM LIB. II. 23

Sed & Martis infra Solem excentris adversus soliditatem Cælorum apertissime elatim. Is enim in oppositione cum Sole propinquior est Telluri, quam Sol, ut *Tycho* visum est. Quæ quidem si perspecta fuissent *Aristoteli*, qui soliditatem sphaerarum cœlestium posuit, sua in sententia haud dubie, quantus vir erat, non perfringisset. Quo magis irascor *Péripateticis*, qui in tanta luce repugnantium observationum adhuc Magistri sui placito pertinaciter adhærere non desistunt.

36. Sequitur quæstio altera de Cœli substantia. Neque enim sat is est intellexisse Cœlum fluidum esse, necesse est quoque cognoscere cuius naturæ sit substantia illa fluida, quæ universum Cœlum replete. In qua tamen quæstione expendenda facile labi possumus. Est enim Cœlum à nobis adeo difficultum, ut vix quidquam de eo hæriolari, nisi temere non possimus. Itaque si, expositis hac in re aliorum placitis, nos rem videamur in medio relinquere, merito excusandi erimus. Primi autem se se nobis offerunt *Epicureos*, apud quos inanis prorsus est, ac supervacantea hujusmodi inquisitio. Quum enim vacui nullam impossibilitatem agnoscant, non dubitant a Cœlo omnem prorsus substantiam amovere, neque aliquid esse arbitrantur, quod cogat spatia illa sideribus intercepta dicere plena, & non potius innata; nisi quatenus pervia sunt sidetum radiis, quædamque ipsorum quasi intertextura complentur.

37. Sed enim nonnullis videtur impossibile, posse tantæ molis sidera movei, detinerique in orbibus suis absq; ulla æthereo vortice, a quod agantur, atq; rapiantur in gyrum? Verum nihil id deterret *Epicureos*, qui motus Cœlestes in vacuo peragi optime posse demonstrant, ad quod a nobis suo loco fuisius tradetur. Quin etiam, quoniarn ea ad motum comparata esse videntur, mosusque ipsorum pernicissimus est, plane congruum esse arbitrantur, ut spatia, per quæ spatia trajiciuntur, liberrima sint, nihilque in ipsis occurrat, quod proscindendum sit, aut resistere aliquatenus possit: quam quidem rem persequuti sumus pluribus *Libro primo*, quo loco de *Vacio* disputavimus. Quod autem addunt

B 4

*Epi*

*Epicurei* de luce siderum , tūclicet impossibile omnino esse , ut in tāta itineris prolixitate lux illa non pereat , si interjecta spatio substantia corporea , ut ut tenui , atque pura occupata sint , id quidem urgendum non videtur . Lumen enim non translatione , sed communicatione ad nostros oculos pervenire superiori Libro demonstratum est.

38. *Epicureos* excipiunt *Cartesiani* , qui quum vacuum ne Deo quidem volente fieri in Universo posse arbitrentur , statuunt Cœlum innumeris vorticibus contiguis infideri . Vortices autem conflatos potissimum esse docent ex globulis secundi elementi , nisi quod eorum interstitia occupari ajunt à materia subtilissima primi elementi , quæ una cum ipsis globulis in gyrum aëta defert una secum planetas . Qua quidem ratione *Cartesiani* non modo vacuum omne depellunt , verum explicant quoque , quomodo actio siderum in terram usque continuetur , quomodo lux , aut visio fiat ; quomodo Planetæ circumducantur , aliaque hujusmodi . Si ergo de Cœli substantia *Cartesiani* interrogentur , respondere non dubitant , per ea spatio materialiam quamdam subtilissimam , atque tenuissimam longe lateque esso diffusam . Ejus materie duas potissimum esse species ; alteram particularum sphæricarum minutissimorum , quam *secundum elementum* adpellare solent ; alteram particularum multo adhuc tenuiorum , sed nulla certa figura donatarum , quam *primum elementum* vocant . Quum autem materialiam Cœlestem ætherem interdum adpellarent , adparet eos nomine ætheris nihil aliud intellexisse nisi *globulos secundi elementi* , cum intermixtis primi elementi particulis .

39. Adeo & tertia opinio eorum , qui spatio Cœlestia neque omnino vacua , ut *Epicurei* , neque omnino plena ut *Cartesiani* ponunt , sed medii inter utrosque afferunt materialiam quamdam tenuissimam , atque rarissimam innumeris poris omnino vacuis refertam per Cœlum quaquaversum esse diffusam . Hi scilicet , ut lucis propagatio explicaretur , nonnihil substantiae corporeæ in Cœlo admittendum esse viderunt . At vero si spatio

spatia omnia plena essent, veriti ne Planetæ, atque Cœlestes tardarentur in cursibus suis, ob resistentiam scilicet, quam subirent, tantum materiæ per Cœlos diffusum esse arbitrati sunt, quantum lucis motui transmittendo sufficeret. Ea enim ratione utrique incommodo occurrebatur.

40. Sed quidquid sentire placeat in tanta opinioneum discrepantia, illud ambigi non potest substantiam Cœli, quam nonnulli *auram atberans* vocant, quæque a nostro aere supremo ad Stellas usque inerrantes, interque ipsas etiam fusa est, esse tenuitatis, puritatis, atque pelluciditatis ineffabilis. Hujus substantiæ rudis fortasse imago desumetur ab aere nostro, quamquam ea effingatur & decies, & centies, & millies, & pluribus adhuc vicibus purior, atque elasticior aere. Vere enim dictum est a Philone. *Caelum naturam habet incomprehensibilem, nullamque sui notitiam nobis indubitate* facit. Quid enim de illo dicamus? Esse commixtum glaciem, ut nonnullis placuit? an ignem purissimum? an corpus mobile in orbem, quod quinta natura sit, nihil que ad fine his quatuor elementis possideat?

41. Videndum est modo, quid de corporum Cœlestium natura, & constitutione statuendum sit. Atque usque a Sole ordiamur, nulli dubium est, quin Sol propria luce fulgeat; nullum enim adparet corpus in rerum Universitate lucidius, a quo ille lumen suum mutuari possit. Idem sentiendum est de sideribus inerrantibus, quæ multo magis splendent, quam Planetæ: ex eo enim tuto colligi posse videtur, sidera inerrantia ad instar Solis lumine proprio fulgere. Et sane longius absunt a Sole, ut inferius tradetur, quam ut sub adspicuum venire possent, si lumen ejus acciperent: nam Jovis, Saturnique satellites, qui multo minus absunt tum a nobis, quum à Sole nudis oculis nequaquam conspicuntur.

42. Si conferamus Solem cum nobis notis corporibus nullum inveniemus, quod ei assimilare magis possimus quam flammam, aut fortasse metallum liquefactum; ut enim hæc lucida sunt, calefaciuntque, & urunt, sic Sol luce sua regiones circuibetas illustrat, omnia cale-

calefacit, & ad perpendiculum incidens pene urit; Sed potissim, & vehementissim ignis effusus edit, si speculo con. avo ejus radii colligantur; tunc enim quæ radis collectis opponuntur in cinetes, aut in calcem redigit, vel liquefacit. Quæ quum ita sint, quare Sol igni, aut metallo liquefacto limulis non credatur, nulla ratio est. Ad hanc rationes accedit distinctior ope Telescopii, cuius vitrum furo infuscatum, aut carbasi tenorū involutum est, conspectus: Tum enim quasi share ignem, aut metallicum metallo liquido, & fervido constans, nec non vehementissimo motu agitatum cernitur.

43. Idem conjectandum est quoque de stellis fixis, que tamquam totidem Soles in variis Mundi regionibus locatae sunt; neque inficiandum est, quin si Sol tantum absit a nobis, quantum absunt stellæ inefrantes, eisdem fere exiguitatis conspiceretur. Et sane stellas fixas Sole vel non minores, vel non multo minores esse, inde conjecturam capere possunt, quod ex tam immensa intervallo tam vi viduum lumen fundant. Sapienter ergo hanc sententiam nunc passim tenent, qui Copernici systema amplectuntur: qui recte quoque hoc statuunt noti in una, eademque superficie stellas omnes fixas habentes, tum quod nulla ratio hoc suadeat, tum quod in eundem sphæram Sol, qui earum una est, referti nequeat. Itaque verius esse existimant spargi eas per vasta Cœli spatia, quantumque a Terra, aut Sole ad proximas interjacet, tantum citciter ab his esse ad sequentes, atque inde rursum ad alias continuo progressu.

44. In Sole maculas nasci, augeriique patulatim, & dissipati primus Telescopii adminiculo deprehendit Galilæus Galili; neque dubium est, quin contumilla accidant etiam stellis fixis, ut pote quæ eundem cum Sole naturam habere deprehenduntur. Nec vero multum difficile est harum macularum originem, & genesis intelligere. Quum enim Sol sit corpus metalli liquefacti instar, credibile est ipsum scorias quasdam subinde egere, quæ sub specie macularum cernantur. Pro ut autem major est vel minor scotiarum copia, maculae majores, vel

vel minores adparent. Necesse vero non est eas citè dissolvi: si enim compactiores paullo sint, atque con-  
fertiores, ut solaris æstus vini perferre queant, diutius durabunt. Fieri etiam potest, ut tanta harum macula-  
rum vis eodem tempore procreetur, ut inter se coag-  
mentata totum Solis globum tegant: quæ fuisse causa  
videtur, quare Sol interdum per integrum annum sub-  
pallidus visus sit: nimilum id non immirito crassiori-  
bus, latioribusque maculis ejus superficiem obtegen-  
tibus adscribendum est. Plinii verba hæc sunt: *Fuimus*  
*prodigiis, & longiores Solis defectus, qualis occisa Dicta-*  
*zore Cælare, & Antoniano bello totius pene anni pallore*  
*continuo.* Cæterum non defuerunt hoc sèculo, qui So-  
lem corpus esse ex matetia fluidissima compositum,  
maculas autem corpora esse sempiterna, & compacta in  
materia illa huc illuc fluitantia arbitrati sunt; quæ  
quidem corpora quando altissime demersa sunt, ptorsus  
sunt inconspicua: quum vero sursum emergunt, ad-  
parent: quod an verum sit, eorum judicio relinquo,  
qui solaribus maculis obseruandis diutius operam de-  
derunt.

45. Quæ autem maculae eodem modo generentur,  
& dissolvantur quoq; in stellis fixis, mirari desinamus, si  
interdum stellæ aliquæ novæ animadversæ sint veteri-  
bus protus ignotæ, quæ quum fulgidissimæ aliquandiu  
suffissent postea evanuerunt; aut etiam, si nonnullæ stel-  
lae a veteribus ipsis animadversæ nunc fructu quæran-  
tur in Cælo, quemadmodum *superiori Capite* explicata  
est. Nimilum quemadmodum Sol maculis obscu-  
ratur, potest fieri ut idem patiantur stellæ; quæ macu-  
lae si in tantam molem ex crescant, ut earum radios  
plane intercipiant, eas crasso, opacoque tegmine in-  
crustent necesse est: quod quum contingit, delinunt ex  
stellæ nobis adaptare. Si vero ejus materiæ, qua, veluti  
crusta quadam, stella coniecta est, compages resolvatur,  
stella iterum emicat. De iis autem stellis, quæ extingun-  
tur, atque accenduntur per vices, qualis est ea, quæ in  
collo Ceti conspicitur, quæque per octo, vel novem an-  
ni menses inconspicua quum sit, reliquo anni tempore  
non

non latet, ita opinabimur. Scilicet putabimus hanc stellarum superficiem maculis pro maxima parte tegi, reliqua parte lucida remanente; hac enim ratione stellæ illæ convertendo se circa se ipsas statim temporibus modo obscuram, modo vero lucidam partem spectantium oculis objicient.

46. Planetarum corpora solida, atque compacta esse existimabimus ad instar Telluris nostræ, cuius iij magnam similitudinem præferre videntur. Itaque quid quid ornatus, & cultus Telluri inest, id idem non putabimus deesse Planetis, quæ corpora sunt Telluri cognata. Atque ut explicatius id ostendamus, quemadmodum globus hic noster ex aqua, & terra conflatus est, ita globi Planetarum ex consimilibus substancialiis constituti sunt: quamquam aliquod fortasse in his ipsis substancialiis occurrat discrimen, de quo postea disseretur. Præterea ut ex corporibus compactis Telluris quedam lapides sunt, quedam metalla, quedam alterius naturæ substancialiæ, ita hæc eadem in Planetis subesse putandum est. Sed & montes, valles, fluvios, plantas etiam, & fortasse quoque animalia Planetis non detinere inde conjecturam capere possumus, quod hæc omnia occurrent in Tellure, quæ unus est Planetarum, neque is nobilissimus, atque excellentissimus.

47. Ut enim initio hujus operis præfati sumus, in Phycis magnum momentum habere debet illa coniunctio ratio, quæ naturali cuidam analogiæ innititur, quæque ex similitudine petita a rebus vilis ad nos visibiles producitur. Et sane quenadmodum si cui in dissecti canis corpore viscera ostenderentur, cor, stomachus, pulmones, intestina; tum veræ, arteriæ ac nervi, etiam si numquam cæterorum animalium corpus apertum conspexisset, vix dubitaret, quin consimilis quedam fabrica, ac partium varietas in bove, porco, cæterisque bestiis inesset; Ita nos quoque hanc rationem sequutis ex Tellure Planetarum uno, quam coram adspicimus de reliquis ejusdem generis, quos numquam vidimus recte conjecturam facimus. Neque in hoc magnum discrimen intercedere arbitramur inter Planetas primarios,

rios, & secundarios: quamquam aliquid dissimilitudinis subesse inter utroque, ex iis, quæ de Luna inferius tradentur, argumentum capere possimus.

48. Neque de Cometis multo aliter opinaturi esse mus, nisi singulare caudarum phænomenon in iis occurret, quod phænomenon in causa est ut credamus, peculiarem eorum esse naturam, atque a Planetarym constitutione longe diversam. Utque de caudis primum dicamus, non defunt, qui censeant eas jubar esse Solis per corpora Cometarum, quæ translucida credunt, transmissum: ducta similitudine ab eo lumine Solari, quod per fenestræ foramen immisum, in cubituculo tenebroso conspicitur, quodque Cometæ caudam quodammodo refert. Verum hoc non posset efficere, ut tantos radios videremus; libere enim radii Solis per corpus pellucidum transirent, neq; a nobis magis illic animadverterentur, quam in regionibus proximis, nisi quantum ab ipso corpore Cometæ reflectuntur ad nos: ea autem lux reflexa exhiberet Cometas instar Planetarym, absque ulla caudarum appendice. Verum quidem est in obscuriori conclavi per rimam admissos cerni radios solares, dum reliqua manent obscura: sed hoc ideo sit, quia lumen solare, quod per rimam, aut foramen subiit, reflectitur è pulvrum, humorumq; particulis per aërem semper volitantibus. Et sane jubar istud conclavis in aere sumis crassioribus infecto splendidus est, & sensum fortius ferit, in aere clariori tenuius est, ægriusque persentitur: id quod facile unusquisque animadvertere potest, excitato densiori pulvere in conclavi; eo enim per aërem volitante, jubar splendidius est; illo autem sedato, jubar languescit. At in Cœlo hujusmodi materia reflectens vel nulla est, vel si aliqua sit, quum ea, non ut conclave, æque illuminata sit, nihil est causæ cur posse Cometas caudæ conspiciri debeant, in cæteris locis non item. Qui ergo Cometarum caudas jubar esse Solis per eorum corpora translucida transmissum arbitrantur, ij non videntur scientia rerum opticarum satis imbuti. Accedit quod Cometarum corpora profundiora sunt, quam ut possint transsum solaribus radiis per-

permittere; quamquam ea ex materia purissima, translucidissimaq; constare supponantur. Denique si Cometa-  
rum caudæ ab hujusmodi causa profluerent, oporteret  
eas semper protendi versus plagam Soli ex adverso po-  
sitam: id quod falsum esse non modo ex iis, quæ supra  
exposita sunt liquet, verum & ex inferius dicendis  
patebit.

49. Sunt alii qui putant caudarum adparitionem  
oriri ex refractione lucis in progressu ipsius a corpore  
Cometae Terram versus, Verum hæc quoque sententia,  
quæ auctorem habet *Renatus Cartesius*, suis premitur  
difficultatibus. Primo enim caudæ Cometarum num-  
quam variegantur coloribus, qui tamen refractionem lu-  
cem numquam coimitari non solent. Est enim lux, ut  
*Libro primo demonstratum est*, corpus quoddam tenuis  
heterogeneum consitatum ex radiis partim rubeis, par-  
tim flavis, partim viridibus, partim violaceis, partim  
aliorum colorum, qui dum permixti, confusisque sunt  
inter se, albedinis sensum excitant, at refractione sepa-  
rati suos quique colores præbent. Quapropter si Co-  
metarum caudæ orirentur ex refractione lucis, quæ a  
Cometis ad nos tendit, eas necesse esset nonnullis colo-  
ribus imbutas esse; eo magis quod refractione fit a longin-  
guo intervallo, adeoque radii melius segregantur. Et  
secundo si talis esset caudarum origo, cur stellæ fixæ, &  
Planetæ, ex quibus etiam lux ad nos progreditur, suis  
caudis delituuntur? scilicet hæc sidera aperte ostendunt  
medium cœlestis nulla vi refractiva pollere: si enim ali-  
quam haberet, etiam circa stellas fixas, aque Planetas.  
caudæ adparituræ forent, Nam quod dicitur fixas ab  
*Egyptiis* comatas interdum visas fuisse, id quoniam  
rarissime accidit, adscribendum potius est nubium re-  
fractioni fortuitæ; cui *Cartesius* ipse adscribit cometam  
ab *Aristotele* circa fixam in femore *Canis* visam: quem-  
admodum *Halones*, qui quandoque Lunam cingunt, a  
consimili causa oriuntur; quæ causa atmosphæræ nostræ  
limites non excedit, ut postea explicabitur.

50. Et sane ipsa siderum radiatio, & scintillatio  
non quidem ad ætherem, per quem lux propagatur, sed  
ad

ad refractiones tum oculorum, quum aeri tremuli reflexione sunt, quippe quae admotis oculo Telescopijs evanescunt. Aeris, & adscendentium vaporum tremores fit, ut radii facile de angusto pupilla spatio per vices detorqueantur, de latioris autem vitri objectivi apertura non item: ex quo scintillatio in priori casu generetur, in posteriori autem casu cessa se est. Cessatio autem in posteriori casu ostendit, lucem per Cœlos transmitti ad nos absque villa sensibili refractione. Accedit & illud etiam, quod radii, qui & pupilla, & palpebris excipiuntur in longinquo spacio dilatantur, dum utrinque & palpebrarum interiore parte in pupillam reflectuntur; cui referendum est, quod facula nostra ex aliqua distantia prospecta multo major videatur, quam si prope adstamus. Eodem fortasse pertinet, quod adhibitis optime etiam notis Telescopijs moles siderum inerrantium minuantur potius, quam adageatur. Ea enim longius distant a nobis, quam ut cujusvis vel optimi Telescopijs ope amplificari possint; Telescopiorum autem subsidio omnes illi radii relectantur, quibus nudis oculis spectantibus circa adparent: iisque relectis non aliam, nisi punctorum lucidorum speciem præbere possunt.

§ 3. Non sum nescius nonnullos hic dicere, idcirco in Planetis, stellisque fixis nullas caudas adparere, quod eorum lumen debilius sit, quam Cometarum. Nam & Cometae ipsis, quorum lumen obtusius, debiliusque est, nullis caudis sunt instruti: in quo quantum fallantur, explorata profectio res est. Primo enim ex Planetis Venus, Juppiter, & Luna præclaro, fulgentique lumine donantur; ex sideribus autem inerrantibus ea, quae sunt magnitudinis primæ, praesertim vero *Sirius*, & *Capella*, & lucida *Lyra* lumen copiolissimum fundunt, quamequam caudata prolsus non sint. Et secundo Cometæ saepe visi sunt caudatissimi, etiamque eorum lux tenuis esset, atque obtusior; quemadmodum ex Cometarum historia luculentissime colligitur. Veluti Cometa anni 1680 mense *Decembri*, quo tempore ipse luce sua vix sequabat stellas secundæ magnitudinis, caudam emitterebat splendore notabili usque ad gradus 40, 50, 60 longitu-

gitudinis, & ultra. Postea mense *Januario* sequentis anni 1681 caput adparebat ut stella sextæ magnitudinis, vel fortasse minor: cauda vero luce pertenuit, sed satis sensibili longa erat sex, vel septem gradus, & luce obscurissima, quæ cerni vix posset, porrigebatur ad gradum usque duodecimum, & paullo ultra. Sed & *Februario* mense, quo tempore caput nudis oculis videri desierat, caudam gradus duos longam *Teloscopio* observarunt *Astronomi*. Similiter *Cometa*, quæ superiori anno 1737 in hac etiam *Civitate Regia* observata est, lumen habuit adeo tenuis, ut vix nudis oculis posset discerni, quamquam caudam ferret manifeste adparentem.

52. Has difficultates quum pervidisset *Isaacus Newtonus*, nihil verisimilius excogitari posse arbitratuſt est, quam conjiciendo *Cometarum* caudas oriri ex vapore longe tenuissimo, quem *Cometæ* ipſi a Sole calefacti emittunt. Quemadmodum enim in nostra atmosphæra fumus, qui ex accenso egreditur corpore petit superiora, & quidem recta si corpus quiescit, oblique vero si corpus è latere moveatur: ita in Cœlis ubi corpora gravitant versus Solem (ut inferius consistat) fumi, & vapores, qui ex iis corporibus elabi possunt, adscendere debent a Sole, ab eoque recedere, & superiora vel recta petere si corpora sumantia quiescant, vel oblique si corpora progrediendo loca semper deserunt, a quibus superiores vaporis partes adscenderunt: ab his autem vaporibus lux Solis versus oculos nostros reflexa, caudarum speciem exhibit. Neque vero, hac conjectura recepta, difficile erit intelligere, quare caudarum partes illæ, quæ sunt pone corpus *Cometæ*, manifestiores sint, atq; limite minus indistincto terminentur: id scilicet fit, quia vapor in columnæ latere præcedente recentior est, adeoque tam densus, ut lux inde copiosius versus oculos nostros reflecti possit.

53. Sed enim impossibile aliquibus videtur vapores, & fumos è *Cometarum* corporibus egredentes sufficere posse ad implenda tanta spatia, quanta profecto *Cometarum* occupant caudæ, quarum aliquas plusquam sextam Cœli partem tenuisse constat. Verum ipse, quem

quem modo laudavimus, *Newtonus* reī facile intellegi posse demonstravit, dummodo ad raritatem aeris nostri animus referatur; & præterea vapores illi tam esse elasticī supponantur, quam sunt particulæ aeris; quamquam nihil vetet elasticiores etiam eos supponere. Aer enim juxta superficiem Terræ spatiū occupat fere 850 vicibus majus, quam aqua ejusdem ponderis; ideoque aeris cylindrus pedes 850 altus ejusdem est ponderis cum aquæ columnā pedali æqualis latitudinis. Quapropter quum universa aeris columnā ad summam atmosphærā ad surgens æquet pondere suo columnā aquæ 33 pedes cīciter altam; si quidem ex tota columnā aerea dematur pars inferior pedum 850, pars reliqua æquabit pondere suo columnā aquæ altam pedes 32. Præterea compressio, sive densitas aeris in quovis loco atmosphæræ est ut pondus incumbens ipsius, ut pluribus observationibus confirmatum est a Philosophis: scilicet densitas aeris prope superficiem Telluris est ad densitatem aeris in altitudine ab eadem superficie pedum 850, ut 33 ad 32; ut enim modo vidimus pondus totius atmosphæræ est ad pondus ejusdem atmosphæræ detracta parte inferiori pedum 850, quemadmodum se habet 33 ad 32. Denique illud etiam constat, gravitatein cuiusvis corporis in recessu ipsius a centro Telluris sic decrescere, ut crescit quadratum distantiae.

54. Quibus positis, si ineatur geometricē calculus, deprehendetur aerem a superficie Terræ, ubi ad altitudinem unius tantum semidiametri terrestris adscenderimus, rariorem esse, quam in eadem superficie in ratione longe majore, quam spatii omnis infra orbem Saturni ad globum diametro unius digiti descriptum; ideoque globus aeris nostri digitum unum crassus ea raritate, qua est in regione semidiametrum unam terrestrem a nobis elata, implere posset omnes Planetarum regiones, usque ad orbem Saturni; immo etiam ulterius. Itaque quum aer adhuc altior in immensum rarefacat, cauda autem altissime adscendet, debebit ea cauda esse quam rarissima. Non multum ergo materiae postulabitur.

34. PHILOSOPHIAE NATURALIS  
tur ad caudas constituendas, si dicamus fumos egre-  
deentes è corpore Cometarum esse ad instar aeris nostri  
summa elasticitatis vi donatos. Accedit & illud, quod  
quotidiana experientia nos docet, scilicet fumum ab  
accenso ligno elabentem in immensam latitudinem dif-  
fundi solere.

55. Et sane caudarum insignem esse raritatem col-  
ligitur ex eo, quod astra per eas transluceant; quod qui-  
dem non fieret, si illæ ex materia densiori constitue-  
rentur. Nam si atmosphæra terrestris longe minus cra-  
frior luce Solis splendens astra omnia, immo ipsam  
Lunam penitus obscurat, atque extinguit, quanto ma-  
gis necesse esset, ut caudæ Cometarum, quæ longe pro-  
fundiores sunt, luce Solis illustratæ stellas fixas, etiam  
primæ magnitudinis, ne dum eæas, quæ sunt magnitudi-  
nis sextæ obscurarent? quum tamen eæ absque ullo  
splendoris detrimento translucere deprehendantur.  
Inde igitur manifesto colligitur caudas Cometarum esse  
quam rarissimas. Quæ etiam causa est, quare splendor  
earum sit admodum debilis: is enim non longe abi-  
solet ab aeris luce in tenebroso cubiculo, in quod fo-  
ramen digitum unum, vel duos latum lucem Solis  
immittit.

56. Observandum autem sequulo hic est, caudas Co-  
metarum non adscenderè perpetuo ab eorum corpori-  
bus, ac deinde brevi evanescere, sed eas ipsorum Co-  
metarum quotidianas esse pedissequas; id quod unde fiat  
explicandum est. Scilicet si Cometae quiescerent, vapo-  
res, & fumi ex eorum corporibus egredientes recta ad-  
scenderent in plagam a Sole aversam, quemadmodum  
paullo supra adnotatum est; essentque caudæ tamquam  
totidem columnæ perpendiculariter insistentes ad cor-  
pora Cometarum respectu Solis: ex quo etiam necessa-  
rio fieret, ut eæ spectatoribus terrestribus essent incon-  
spicuae. Quum enim in eam Cœli plagam protandan-  
tur, quæ Soli ex adverso est, profecto nihil luminis a  
sole mutuari possunt, quod deinde versus oculos no-  
stros remittant; ipsis scilicet Cometarum corporibus  
Solis lumen intercipientibus. Nunc vero quum Come-  
tae

tæ errent per spatia Cœlestia, supradiæta columnæ inclinabuntur ad corpora Cometarum; quumque adhuc participes sint motus Cometis insiti, quem, quum in iis essent, habuerant, non mirum est si eæ pergant diu per Cœlos una cum ipsis Cometarum corporibus moveri. Nec obstant spatia Cœlestia:ea enim, ut supra vidimus, omni pena resistendi vi destituta sunt. Quin immo ex ipsarum caudarum raritate, & motu inferri debet, quanta cum facilitate media ætherea pererrari possint,

57. Est præterea observandum, caudas eo potissimum tempore Cometis adnasci, quo sunt in Perihelio, sive non longe à Sole distantes. Enim vero quum pri-mum Cometæ descendere incipiunt versus Solem, aut nullis omnino caudis instrudæ sunt, aut nonnisi brevissimas trahunt. Sed posteaquam Soli adpropinquarunt, vi Solaris caloris non modo fumi, vaporeisque copiosius educuntur ex Cometis, verum etiam illi in immensum rarescunt; itaque immanis incipit cauda effor-mari, quæ, uti dictum est, in nonnullis Cometis sextam Cœli partem occupasse deprehensa est.

58. Sed deinde paulatim à Sole recedentibus Come-tis, ipsæ caudæ, quæ sunt eorum pedissequæ, in regiones longinas abibunt: & vel inde post longam annorum seriem cum iisdem ad nos redibunt, sed multo brevio-ribus, si fortasse durare potuerunt; vel potius ibi rarefacta paulatim evanescant: quod multo verisimilius est. Vapor enim in spatis illis liberrimis perpetuo rarescit. ac dilatatur. Ex quo fit etiam ut cauda omnis ad extremitatem superiorem latior sit, quam prope Cometam; scilicet quia illic vapor est magis rarefactus, hic vero densior est. Hæc autem doctrina non levem confirmationem traheret ex observationibus eorum, qui diligenter Cometarum corpora, & motus contemplatos se esse professi sunt, siquidem observationes illæ veræ sint. Cometarum enim descendentium corpora multo ma-joræ sibi visa esse memoriae prodiderunt, quam postea quam Perihelium attigerunt, aut inde recedere cœperunt; cum enim aquæ cauda, corpus ipsum Cometæ minus

semper, minusque adparuisse testati sunt; unde credibile est Cometas exauriri, atque in vapores abire.

59. Sed longe majus est id, quod *Newtono* in opinionem cecidit de usu, quem præstant caudæ Cometarum in generatione, ac corruptione rerum, quam ut hic possit silentio præteriri. Censuit *Newtonus* caudas Cometarum rarefactione perpetuo dilatatas diffundi tandem, ac spargi per Cœlos universos, deinde paulatim in Planetas per gravitatem suam attrahi, & cum eorum atmosphaeris misceri; idque non casu, sed sapientissimo *Divini Opificis* decreto fieri arbitratus est. Quemadmodum enim maria ad hujus Terra, cæterorumque fortasse Planetarum constitutionem omnino requiruntur, ut scilicet ex iis per calorem Solis vapores copiosius educantur, qui deinde vel in nubes coacti decidant in pluviis, Terramque omnem, atque Planetas ad incrementum vegetabilium irrigent, vel etiam in frigidis montium jungis condensati, ut nonnulli non absurde philosophantur, decurrant in fontes, fluminaque, sic ad conservationem marium, & humorum in Planetis requiri videntur Cometæ, ex quarum exhalationibus, vaporibusque condensatis quidquid liquoris per vegetationem, putrefactionemque consumitur, inque terram aridam convertitur continuo suppleri, reficieque possit.

60. Etenim vegetabilia omnia ex liquoribus omnino crescunt, dein magna ex parte in terram aridam per putrefactionem abeunt; & limus ex liquoribus putrefactis perpetuo decidit; Itaque moles terræ aridae in dies augetur, & liquores, nisi aliunde augmentum supererent perpetuo decrescere deberent, ac tandem deficeret; id quod minime fit. Accedit, quod aquam durorum corporum incremento inferuere quotidiane doceant observationes; quam tamen nullis adhuc observationibus constet corpora dura aquarum incremento usui esse: id quod efficit, ut verisimilior videatur opinio *Newtoni* docentis id caudis Cometarum, quæ Terræ, Planetisque cæteris quandoque occurrent, tribuendum esse. Sed & idem *Newtonus* spiritum illum, qui aeris nostri pars mini-

minima est, sed subtilissima, & optima, & ad rerum omnium vitam requiritur, quæque *aura vitalis* adpellerari jure potest, omnem ex Cometarum caudis venire suspicatur.

61. Quod si conjecturis indulgere liceret, non vererer & illud etiam addere, posse aliquando Cometarum caudas aeri nostro mutationes animalibus, & vegetabilibus præcipue sensibiles inducere. Fac enim caudam Cometæ Telluris nostræ atmosphæram attingere; aut etiam, si id minus placet, fac istius materiae per Cœlos late diffusæ partem gravitate sua in Terram decidere. Materia isthæc è regionibus longinguis, & peregrinis advecta, ingentemque colorem adeptâ magnos motus, atque tumulus in aere excitare potest, ex quibus aliquid animalia, ac vegetabilia pati posse rationi consentaneum esse videtur.

62. Nunc ut ad ipsa Cometarum corpora veniamus, jam apud omnes Astronomos doctiores constat, ea esse opaca, Planetarum instar: immo genus esse quoddam Planetarum, ut inferius explicabitur. Nec sane aliter adparent, quam Planetae, si Telescopio conspiciantur: nili quod fumus ille copiosior, quo videntur involuta, quoque Planetae carent, ostendit Cometarum natum, longe diversam esse à constitutione Planetarum: Discriumen autem omne in eo positum esse videtur, quod priores postquam a Sole calidæ sunt, emittendis vaporibus, atque fumis sint idonei, quæ tamen polteriores nihil tale emittere possint: quæ causa est quare Cometæ quidem caudati sint, Planetae vero non item. An autem Cometæ magis, quam Planetae humidi sint, ut scilicet major vaporum copia elici ex iis possit, an vero constent ex materia inflammabili, ex qua fumus continens exeat, id quidem affirmare certo non possumus: Illud ambigi non potest Cometarum corpora per continuas fumorum emissiones sensim decrescere debere, nisi alii aliorum jaæturas ope caudarum sarcire, atque reparare continuo adnitantur.

63. Fuerunt qui Cometas haud quidem corpora solidâ, compactâ, fixâ, & durabilia, ad instar Planetarum;

sed magnam vaporum, atque exhalationum Terræ, Solis, ac Planetarum vim esse arbitrii sunt: in quo quam turpiter lapsi sint, vel ex Cometa anni 1680 ostendi potest; cuius Cometæ, dum in Perihelio versabatur, distantia a centro Solis erat ad distantiam Telluris ab eodem centro Solis circiter ut 6 ad 1000: quemadmodum summi Vir ingenii Isaac Newtonus ex observationibus ejus Cometæ subduxit. Si enim nihil aliud essent Cometæ, quam vapores, exhalationesque Planetarum in unum coactæ, profecto hicce Cometa in transitu suo per viciniam Solis statim dissipari debuisset. Quum enim calor Solis intendatur, vel remittatur in duplicata ratione distantiae imminutæ, vel auctæ, necesse fuit ut calor Solis apud Cometam, dum is versabatur in Perihelio effet ad calorem Solis æstivum apud nos, ut se habet 1000000 ad 36, sive etiam ut 28000 ad 1 fere. Itaque quum calor aquæ ebullientis sit quasi triplo major, quam calor, quem Terra arida concipit ad æstivum Solem, quemadmodum per experimenta cognitum est; prætereaque calor ferri candardis sit quasi triplo, vel quadruplo major, quam calor aquæ ebullientis: haud difficile colligetur calorem, quem Terra arida apud Cometam in Perihelio versantem ex radiis solaribus concipere potuit quasi 2000 vicibus majorem fuisse, quam calorem ferri candardis. Tanto autem calore corpus ex vaporibus exhalationibusque coalescens statim consundi, dissiparique debuisset.

64. Ex his, quæ novissime exposita sunt, adparet Cometas, saltem illos, qui multum accedunt ad Solem, in Periheliis magnum calorem concipere: Sed hunc calorem diutissime conservare posse vix dubitabit, qui consideret globum ferri candardis digitum unum latum aeri expositum calorem suum omnem spatio horæ unius vix amittere; globos autem maiores calorem diutius conservare in ratione diametri: propterea quod superficies, ad cuius mensuram per contactum aeris ambientis refrigerantur, in illa ratione minor est præ quantitate materiae calidæ inclusæ. Sunt enim quantitates materiae in globis contentæ in triplicata diametrorum ratio-

nes;

nos; at vero superficies globorum sunt in duplicata eārumdem diametrorum ratione; adeoq; quum calor in globis conservetur pro ratione materiæ, atque adeo in triplicata ratione diametrorum, decrescat vero pro ratione superficie, atque adeo in duplicata ratione eārumdem diametrorum, sequitur eum conservari in ratione diametrorum simplici. Itaque quum corpora Cometarum sint vātissima, ea calorem a Sole mutuatum diutissime conservent necesse est: nam globus ferri carentis huius Terræ æqualis, id est pedes 39231564 latus, vix refrigericeret diebus 19615782, qui sunt anni fere 53741. ded Cometæ ejusdem magnitudinis diurnius calorem sibi conservabunt; vidimus enim calorem ab iis in Perihelio conceptum longe vegetiorem esse calorem ferri carentis.

### C A P U T T E R T I U M.

*De Ordine, atque distantiis Corporum cœlestium: ubi de Systemate Ptolemaico,  
Coperniceo, & Tychonico.*

65. **L**ustratis corporibus cœlestibus, eorumque natura indicata, dicendum modo est de ordine, atque distantiis ipsorum. Primusque omnium se se offert *Claudius Ptolemaeus*, qui primus disputasse traditus de ordine Planetarum, deque strūctura totius Universitatis, quique tantum gloriæ ex Astronomia, cæterisque disciplinis Mathematicis apud Græcos sibi comparasse fertur, ut *Divinus*, & *Sapiens*, & *Astronomæ Princeps* passim diceretur. Is itaque rerum universitatem ita credidit esse dispositam. Posuit Tellurem nostram in Mundi centro fixam, pondereque suo immotam; reliqua vero corpora, quæ a Luna ulterius porrecta sunt omnia circa Tellurem statis temporibus circumverti arbitratus est; ita tamen ut Telluri proxima esset Luna; hanc subsequerentur Mercurius, & Venus; deinde Sol; Solem vero exciperent primum Mars, tum Jupiters, postea Saturnus; denique firmamentum, sive sphæra

ia stellarum fixarum . Censuit præterea stellas tum erantes , quem inerrantes sphæris , & quidem solidis infixas esse , cumque illis una moveri ; adeoque suam Lunæ , suam Mercurio , suam Veneri , suam Planetis cæteris , suam denique stellis fixis sphæram solidam attribuit , quas ad eamdem a Tellure distantiam in una Cœli solidâ superficie Telluri concentrica affixas esse credidit . Præter has sphæras tres alias superiores finxit ; duas *crystallinæ* vocantur , quæ motibus *trepidationis* , aut *librationis* ( utrumque enim nomen usurpatum est ab iis , qui hoc systema amplexi sunt ) cœntur , ad explicandam scilicet nescio quam vacillationem , quam in stellis fixis se deprehendisse autumavit . Tertia , quæ est sphærarum ultima , quæque Universum ambit , atque terminat *Primum Mobile* vocatur , cuius diurna vertigine cæteræ omnes sphæræ inferiores , salvis suis in ortu motibus , ab ortu in occasum rapiuntur .

66. Hæc est Universi structura , quæ sub nomine systematis Ptolemaici in Scholis traditur , quæque quamquam falsa esset , & absurdâ , diu tamen obtinuit apud Astronomos ; neque nisi ætate Copernici cœpit primum antiquari . Memorabilis est vox , ut ut deinentissima , *Alphonsi X. Castella* , & *Legionis Regis* , qui Mundum ita a Deo conditum , digestumque arbitratus , quemadmodum hauserat ex libris Ptolemai , cuius auctoritatem mirum in modum reverebatur , temperare tamen se non potuit , quin carperet strueturam tam inconcinnam , tamque operosam ; & ut erat ingenio acer , ac vcheiens dixisse fertur . Si principio Mundi ipse Deo adfuissem , multa melius , ordinatisque condenta fuisse.

67. Ptolemaeum excipit Nicolaus Copernicus , qui Pythagoræ , Philolaï , Aristarchi , aliorumque veterum Pythagoricæ sectæ sapientium de stabilitate Solis sententiam proorsus emortuam exfuscitans , novum Mundi systema protulit miræ & simplicitatis , & elegantiæ , in quo nihil proponebatur , quod non cum Cœlo adamushim consentiret . Erat illi Sol in medio fixus & immotus : tum se se explicabant Solem circumcurrentium orbites Mercurii , Veneris , & Telluris , cui superaddebatur via Luna.

Lunæ ; quippe quæ Tellurem suo motu comitatur , & cingit : deinde Martis, Jovis , Saturnique orbitæ circa Solem quoque descriptæ consequbantur ; ultra quos Planetas ad immensam , ac pene infinitam distantiam locabantur stellæ fixæ : quod novissimum quare a *Copernico* fuerit constitutum, infra notescet . Sed deinde quum detecti essent Jovis , Saturnique assecæ , ut horum quoque ratio haberetur, superadditæ sunt a *Copernici* se-  
tatoribus his Planetis secundariorum orbitæ , Jovi qui-  
dem quatuor, Saturno autem quinque, cui suus & annu-  
lus concessus est.

68. Sed illud etiam a recentioribus *Copernicano* sy-  
stemi adjectum est, scilicet ut circa Solem, præter Pla-  
netas prædictos , revolverentur quoque , sed in orbibus acutissimis , ipsique admodum excentricis , Cometæ ; idque eo consilio factum est , ut possent ipsi modo ad Solem accedere , modo vero longis intervallis ab eo re-  
cedere . Cometarum enim nulla sedes est certa ; quippe interdum supra Saturnum altissime evehuntur , deque conspectu nostro abeunt , interdum vero infra ipsum maxime descendunt, ut inferius demonstrabitur . Quia immo traditur de nonnullis , eo usque in Planetarum regionem penetrasse , ut Soli Mercurio ipso viciniores extiterint ; ut de Cometa anni 1680 refert *Newtonus* , qui minus distavit a Sole , quam parte sexta diametri Solaris . Per orbes autem acutissimos intelligendi sunt orbes versus partem unam longissimi , extensislimique , versus partem vero alteram græcillimi ad instar longioris olivæ , vel ovi . Et vero quum Cometæ talibus orbibus Solem complectantur, is tamen non in centro ipsorum orbium , sed longe procul ab illo versus regiones , quæ sunt prope alterum verticem partis longioris con-  
stituitur: sic enim intelligendum id, quod modo adnota-  
tum est ; scilicet orbes , in quibus revolvuntur Cometas esse Soli admodum excentricos.

69. Systema haec tenus descriptum *Solare* passim di-  
citur , compositumque est partim ex primariis , secun-  
dariisque Planetis , partim vero ex Cometis ; Solareque  
dicitur , quia , Sol tenet centrum systematis . In eo au-  
tem

tem systemate , quod præcipuo loco habendum est , occurrunt præterea tria alia systemata minora unum Saturni , alterum Jovis , tertium Telluris ; quorum primum conflatur ex Saturno , annulo , satellibusque quinque ; diciturque systema Saturni , ex eo quia Saturnus systematis illius centrum occupat . Secundum constituitur ex Jove , satellibusque quatuor , adpellaturque Jovis systema , quia similiter Juppiter systematis centrum occupat . Et tertium denique constatur ex Tellure , ejusque affecla Luna ; diciturque systema Telluris , quia centrum hujus systematis a Tellure occupatur . Ubi notandum est apud Renati Cartesii sectatores idein fere systema obtinere , quamquam nominibus immutatis ; quod enim nos vocavimus systema Solare , illi *Vorticem Solarem* dicunt : in quo vortice vastissimo , latissimoque fluctuare ajunt plures minores vortices , præsertim vero Saturni , Jovis , & Telluris , quibus Planetis sui comites adhærent .

70. Cæterum quemadmodum Sol , qui unum est ex sideribus inerrantibus , constituitur in centro omnium Planetarum , Cometarumque , quos haetenus vidimus , ita quoque putandum est , reliqua sidera inerrantia esse tamquam totidem Soles , quibus sui fortasse circumpositi sunt Planetæ , sui Planetarum Comites , suique etiam Cometæ . Quod si verum est , quemadmodum magnam veri speciem præferre videtur , jam infinita in hoc Universo existent Solaria systemata descripto huic nostro non absimilia . Ita certe sensit magnus Philosophus *Renatus Cartesius* . Voluit enim Cœlum tot vorticibus contiguis insideri , quot sunt sidera inerrantia , sive etiam quot sunt stellæ fixæ ; nam in centro singulorum vorticum singulas fixas locavit , quibus has a natura partes datas esse statuit , ut luce sua Planetas omnes circumgyrantes collustringaret ; quemadmodum Soli nostro datum est omnes hujus nostri vorticis regiones , omniaque corpora , quæ in eo moventur , & errant suo lumine præsentissimo illuminare .

71. Audiamus quoq[ue] *Christianum Hugenum* ita de hac se præclare differentem . *Nos vero una cum præcipiis*

puis nostra etatis Philosophis ne dubitemus eamdem omni-  
um stellarum, & Solis naturam existimare. Ex quo  
jam Mundi idea multo major nascitur, quane quo eadē  
hac tenus traditis percipiebatur. Quid enim nunc prohibe-  
bet, quin unamquamque ex stellis bise, sive solibus hanc  
aliter, ac Sol noster, circum se Planetas habere possemus,  
qui rursus suis Lunis stipati sint? Immo hoc ita se ha-  
bere manifesta ecce ratio suadet. Etenim si cogitationes  
in Celi regionibus nos ponamus non minus a Sole, quam  
stellis fixis remotos, nihil quidquam certe discriminis  
basce inter, atque illum essemus animadversuri. Longe  
enim abest, ut corpora Planetarum Solem ambientium  
conspicuti simus, vel ob tenuissimam eorum lucem, vel  
quod universa, quibus feruntur orbita in unum idem-  
que lucidum punctum una cum Sole confunderentur.  
Hic igitur positi merito eamdem omnium stellarum ra-  
tionem, naturamque esse existimaremus, & ex una pro-  
pius inspecta de ceteris quoque iudicari posse nihil ambi-  
geremus. At nunc Dei benignitate ad unam ex ipsis, So-  
lem videlicet nostrum, admoti sumus, ac tam prope ac-  
cessimus, ut circum eam sex minores globos converti cer-  
namus, & circum horum quosdans alios obire secunda-  
rios. Cur itaque non eo iudicio nunc utamur, ac pror-  
sus verisimile possemus, non solam hanc stellam tali comi-  
tatu cingi, aut aliqua in re ceteris praminere? Quane  
admirabilis igitur, quamque stupenda Mundi amplitu-  
do, & magnificentia iam mente concipienda est, quum  
tot Soles luceant in Universo; singulos vero Soles tot Ter-  
rae curribus suis complectantur, & cingant.

72. Copernico successit Tycho Braheus nobilis Da-  
nus, qui veritatis primum, deinde vero elegantiae ratio-  
nem habendam ratus, dislensis quidem ab illo in eo, quod  
posuit Solem quiescere, Terram vero castrum, pigrum-  
que, inhabileque corpus ad movendum agitari in or-  
bem, in ceteris minime discepavit. Itaque Copernico  
ordini levissimam permutationem inferens, commuta-  
tis scilicet locis, atque officiis Solis, Tellurisque, aliud  
non aque sane elegans, sed verum, ac inconcussum  
Mundi systema protulit. Hoc autem ita se habet. Cen-  
trum

trum systematis occupat Tellus immobilis, & fixa, cit-  
ca quam statim revolvitur Luna ad modicum interval-  
lum. Tum ad distantiam longe maiorem Sol circum-  
fertur; atque ad distantiam longe adhuc maiorem cir-  
cumferuntur sidera inerrantia. Circa Solem vero re-  
volvuntur Planetæ hoc ordine: primum Mercurius; deinde Venus: tum Mars; postea Juppiter una cum  
suis quatuor satellitibus: denique Saturnus cum suo  
annulo, atque cum suis quinque satellitibus; quibus  
recentiores *Tychonici* addunt Cometas, quas Solem or-  
bibus suis acutissimis circumire docent. Sed enim ut  
trium modo expositorum systematum descriptionem  
ex imaginibus etiam, atque picturis peterent Lectores,  
tria schemata excudenda curavi, quorum primum  
• (*Fig. 2.*) *Ptolemæi*; secundum (*Fig. 3.*) *Copernici*; tertium  
(*Fig. 4.*) *Tychonis Brahei* sistema ad oculum exhibit.

73. Distantiae Planetarum, quas hic subjicimus; mediocres sunt, mediae scilicet inter maximas, mini-  
masque distantias: Nam, ut inferius constabit, Planetæ  
primarii ita revolvuntur circa Solem, ut modo ad ipsi-  
sum accedant, modo vero ab eo recedant; neque aliter  
faciunt secundarii circa primarios suos. Pendent au-  
tem distantiae mediæ ex ipsis maximis, minimisque  
distantiis, cum quibus illæ arithmeticam servant pro-  
portionem; adeoque semisumma distantiarum maxi-  
marum, & minimarum dat distantias medias, de qui-  
bus hoc loco agendum est.

74. Jam quemadmodum magnitudines Planetarum  
ad magnitudinem Telluris nostræ referre solent Astro-  
nomi, ita eorumdem distantias cum ejusdem Telluris  
a Sole distantia solent comparare. Proportiones distan-  
tiarum in Planetis primariis ita se habent. Polita Tel-  
luris a Sole distantia partium 1000; Mercurius aberit  
a Sole earum partium 387; Venus 723; Mars 1523;  
Juppiter 5201; & Saturnus 9528: a qua distantiarum  
proportione non multum recedunt *Keplerus*, & *Bul-  
lialdus*, qui Planetarum distantias diligentissime ri-  
mati sunt. Quod si vero distantia Telluris a Sole ponan-  
tur tantum partium 10, distantiae ceterorum Planeta-  
rum

rum a Sole fient, Mercurii fere 4, Veneris 7, Martis 15,  
Jovis 52, & Saturni 95.

75. Quum autem distantia<sup>e</sup> Planetarum a Sole, ex  
auctoritate præstantissimorum Astronomorum, cum  
Telluris ab eodem Sole distantia comparata a nobis  
sint, videndum est quanta sit distantia ista; ut scilicet  
eius notitia comparata, reliquarum mensuræ haberi  
facile possint. Dicimus ergo Terram abesse a Sole duo-  
decim millibus fere diametris suis; ejus spatii ampli-  
tudo, si milliaribus designanda sit, plus quam 82356000  
millaria *Italia* comprehendet. Sed melius fortasse hanc  
vasitatem animo concipiems, si motus cujusdam ce-  
leritate eam metiamur, *Hesiodi* Poetae exemplo, qui  
altitudinem Cœli, & Tartari profunditatem æquis spa-  
tiis definiens, novem dierum, noctiumque lapsu ferream  
incudem è Cœlo demissam ad Terram decima perve-  
nire scripsit; ac tanto quoque tempore è Terra superfî-  
cie cadentem ad Tartara ferri. Nos vero non incudis  
lapsum, sed continuam potius celeritatem globi ex ma-  
jore tormento emissi huic adhibebimus, quem singulis  
horæ scrupulis secundis, live arteriæ pulibus centum  
circiter hexapedas confidere experimentis compertum  
est, quæ in *Ballisticis* commemorat *Mersennus*. Initio  
autem calculo si ex Terra ad Solem tanta illa celeritas  
globus continuo feratur, is annos ferme 25 esset in-  
sumpturus, antequam iter hoc peragat: adeoque a Jove  
ad Solem 125 annis opus habebit, a Saturno 250. Ex  
quibus quidem apparet, quanta sint istorum orbium  
spatia, quamque exilis eorum respectu Telluris nostræ  
globulus, in quo tam multa homines molimur, tantas  
navigationes instituimus, tot bella gerimus.

76. Satellitum omnium distantia<sup>e</sup> a suis primariis de-  
signari passim solent per semidiametros ipsorum prima-  
riorum, ad quos illi pertinent; Lunæ nempe per semi-  
diametros Telluris, & comitum Jovis per semidiamete-  
ros Jovis; nam comitum Saturni distantia<sup>e</sup> designan-  
tur per semidiametros annuli. Intervallum medium Lu-  
nae a Terra est semidiametrorum terrestrium fere 60  $\frac{1}{2}$ .  
Satellitum Jovis primus, sive intimus distat a centro  
Jovis

Jovis per semidiametros ipsius Jovis  $5\frac{2}{7}$ . Secundus per semidiametros 9; tertius per semidiametros  $14\frac{1}{3}$ ; & quartus denique, sive extimus per semidiametros  $25\frac{1}{7}$ . Distantiae satellitum Saturni ab ipso Saturno ita se habent. Primus, sive intimus satelles a centro Satur-

19

ni distat  $1\frac{1}{2}$  semidiametris annuli; secundi distantia

20

est semidiametrum  $2\frac{1}{2}$ ; tertii  $3\frac{1}{3}$ : quarti 8; & quinti denique, sive extimi 24.

77. Denique ut de stellarum fixarum distantiis attingamus aliquid, sciendum est eas nostris majoribus omnino fuisse incomptas, nullasque iis succurriferas rationes earum definiendarum. Quin & *Copernicus* ut systemati suo caveret, (magno enim, ut deinceps explicabitur, se laqueo irretiri videbat, si sidera inerrantia parum a nobis abesse dicerentur) distantias siderum immanitas esse, ac pene infinitas monuit *Astronomos*. Qui primus tantam rem adgredi veritus non est, fuit magnum Astronomiæ prælidium *Christianus Hugenius*; qui quidem de siderum distantiis ita differuit. Qui ante nos definiendi tam vasti spatii rationem inierunt, nihil certi comprehendere potuerunt propter nimiam observationum necessiarum subtilitatem, quæque omnem diligentiam supereret. Itaque nibi unica hæc via superesse visa est, quam nunc insistam, qua saltu verisimile quid in rem explicatu ardua consequamur. Quum ergo stellæ, ut jam diximus, totidem sint Soles, si earum aliquana Soli aequalis esse supponamus, erit illius tanto maior, quam Solis distantia, quanto adparentis diameter diametro Solis minor erit: Nam quemadmodum siderum ad eamdem a nobis distantiam constitutorum diametri verræ sunt inter se, ut se habent diametri adparentes; ita quoque siderum æqualium ad inæquales distantias a nobis constitutorum diametri adparentes erunt inter se, ut ipsæ distantiae: ex quo deinde facile est colligere, diametros veras duorum siderum esse inter se, ut se habent diametri adparentes directe, & distantiae etiam directe. Sed, pergit *Hugenius*, tam exiguae adparentes stellæ, etiam qua

qua primæ sunt magnitudinis, atque etiam Telescopio spectatæ, ut veluti puncta lucentia sine visibili latitudine resulgeant. Quo sit ut bujusmodi observationibus nulla earum mensura deprehendi posse.

78. Quum itaque bac non succederet, tentavi quæ ratione Solis diametrum ita imminuere possem, ut non majorem lucem quam Sirius, aut aliud è clarioribus sideribus ad oculum mitteret. Occlusi ergo tubi duodecimpedalis vacui aperturam alteram lamella tenuissima, cuius medio tam exiguum effeci foramen, ut linea partem duodecimam non superaret, sive pollicis centesimam quadragestimam quartam. Hunc tubum ea parte ad Solem obverti, altera oculo admovi, qui tunc particulam Solis cernebat, cuius diameter erat ad totius diametrum ut 1 ad 182. Quum enim Hugenius hanc observationem instituebat, Sol, ut totus conspiceretur, inspiciendus erat per foramen, cuius apertura esset pollicis unius, linearum trium, sextæque adhuc partis unius lineæ: ex quo quidem facile colligitur, diametrum ejus Solis particulæ, quæ tunc per exiguum illud foramen conspiciebatur, tanto fuisse minorem tota Solis diametro, quanto prior apertura minor erat posteriori, sive etiam quanto unitas minor erat numero 182. Sed eam particulam multo clarioram comperebam, quam noctu Sirius adpareat.

79. Itaque quum longe magis arctandam Solis diametrum viderem, id ita effeci, ut in perforata bujusmodi lamina vitreum globulum obicerem minutissimum pari circiter diametro, ac prius illud foramen habebar, quo globulo antè hac ad Microscopia usus fueram. Atqui ex Dioptrices legibus instituto accuratissimo calculo fibbas

I I  
jam Solis diameter — ejus particula —, quam per  
152 182  
foramen exiguum me prius conspexisse dixeram. Ductis  
autem in se —, & —, fit —. Ergo eisque contrado  
152 182 27664  
Sole, vel eisque remoto (erit enim effectus idem) ut dia-  
meter

*spatium ejus fit ————— ejus, quam in Cælo intuemur, scilicet  
27664*

pereft illi lux, qua Sirii luci non cedat; Solis vero conſequēt remoti distantia erit necessario ad eam, quam nunc habet ut 27664 ad 1; & diameter paulum excedet quatuor scrupula secunda. Itaq; quum æqualis ei Sirius ponatur, sequitur Sirii quoque diametrum toridorum esse ejusmodi scrupulorum, distantiamque itidem ad eam, qua a Sole absimus, ut 27664 ad 1. Quod quam incredibile fit intervallum adparebit eadens ratione, quam in affirmanda Solis distantia adhibuimus. Nam si 25 annis opus habeat tormenti bellici globus continua velocitate, quanta exploditur, incedens ut a Terra ad Solem perveniret, iam numerus 27664 vicies & quinquies ducentus est, atque ita fiunt 691600; adeo ut pene septingenta annorum millia insumpturus sit globus in tanta celeritate sua, prius quam ad proximas stellarum inerrantium perveniat. Atque ad has stellas serena nocte oculos circumferentes, quantum horum iudicio comprehendere possumus, vix aliquot milliaribus supra verticem eas extare putamus.

80. Post Hugenium Flamstedius, deinde vero plerique acutissimi Viri idem negotium omni cura suscep- runt, adhibita siderum annua parallaxi ab eodem Flam- stedio primum deprehensio; cuius quidem parallaxeos ignoratio effecit, ut *Copernicus* immanes, ac pene infinitas stellarum fixarum distantias pronunciaret. Quid autem ab his constitutum sit de stellarum fixarum distantijs tunc exponam, quum de ipsa siderum annua parallaxi agendum mihi erit. Satis nunc sit admonuisse distantias illas sive *Hugenii*, sive aliorum subtilissimis calculis stare velimus esse quide[m] immensas, sed non infinitas, atque incomprehensibiles, ut *Copernicus* censuit.

81. Ex tanta autem Firmamenti, sive ejus sphæræ, in qua stellæ constitutæ sunt, magnitudine, illud sequitur, reætas lineas parallelas CA, NE (Fig. 5.) alteram per centrum Telluris C, alteram per quodvis superficie Terrestris punctum N ducetas, atque ad Firmamentum usque pro- ductas

duetas abscindere ex sphærica illius superficie arcum AB, cuius nulla fere est proportio ad integrum ambitum Firmamenti: idemque verum esse liquet, quamvis rectæ lineæ parallelæ duci intelligantur per duo superficie terrestris puncta, etiam ex diametro opposita: quemadmodum sunt rectæ NB, nb ex punctis superficie terrestris N & n ex diametro oppositis egredientes. Ex quo quidem duo consequuntur. *Primum*, rectas lineas parallelas NB, nb, quæ a duobus superficie Terrestris punctis N, & n proficiscuntur, ulterius productas in unum idemque punctum B, vel b Firmamenti ad sensum coire; nam arcus Firmamenti Bb inter parallelas istas comprehensus nullius pene est magnitudinis, si ad universam Firmamenti amplitudinem animus referatur. *Secundum*, rectas lineas NB, nb, quæ a duobus superficie terrestris punctis N, & n excentes, coeunt in unum idemq; punctum B Firmamenti ad sensum haberi posse pro parallelis: adeoq; angulum NBn ab ipsis comprehendens nullius fere esse magnitudinis: earum enim inclinatio in tanta distantia nulla pene est. Quæ omnia vera pariter erunt, si Telluris diameter multo major sit, quam a Mathematicis novissime deprehensa est.

82. Cæterum, ut idem hic rursus comminemorem, verisimile est Firmamentum suam habere crassitudinem; nulla enim ratio nobis persuadet, ut credamus stellas fixas ad eamdem omnes distantiam a Sole esse collocatas. Quod quidem si verum est, quemadmodum magnam veri speciem præferre videtur, cogitandum est intimum, nobisque propriorem Firmamenti corticem ea magnitudine esse donatum, ut ipsa Solis diameter, ne dum diameter Telluris, ad ipsius diametrum comparata instar puncti habeat. Quin immo Telluris a Sole distantia ut ut immensa statuatur ab Astronomis, tamen præ tanto inerrantium siderum intervallo exigua, atque insensibilis in posterum reputabitur.

## CAPUT QUARTUM.

*De Motu Corporum Cœlestium periodico;  
deque loco Firmamenti, in quo  
videntur moveri,*

83. **J**AM vero recensita corpora cœlestia non eodem semper in loco consistunt, sed locum inter stellas fixas continenter mutare videntur. Dixi inter stellas fixas; & si enim ea longe infra sphærarum fixarum sint constituta, propiusque nos ætherea spatia trahiant, tamen quum propter visus infirmitatem id nos distinguere non valeamus, videntur nobis inter sidera inerrantia esse posita, interq; ea moveri, tamquam si in eadem cum ipsis sphæra essent constituta. Neq; tantum in Planetarum, Cometarumque situ visus nos fallit, sed & fortasse in ipsis stellis fixis eundem in errorem incidimus: eas enim ad unicam sphærarum oculorum judicio referimus, quum tamen, ut supra expositum est, probabilius sit alias aliis longe superiores esse.

84. Id me admonet, ut in sideribus errantibus duplarem motum distingcam, verum scilicet, qui absolutus etiam, & realis dici potest, & adparentem. Motus siderum errantium verus est, quo illa in sphæris suis, sive regionibus illis cœlestibus, quibus in regionibus constituta sunt, de loco in locum transeunt. Motus vero siderum errantium adparentes est, quo ea locum inter ipsas stellas fixas, ad quas usque visus refert, mutare videntur. Ubi notandum est solos motus adparentes a nobis posse observari; de veris autem motibus id tantum comperti nos habere, quod ex adparentibus jam observatis, adsumpta aliqua hypothesis colligitur. Unde nihil vetat, quin adsumpta hypothesis sit falsa, quamquam ea motus adparentes accuratissime repræsentet.

85. Id quum ita sit, minus mirandum est, si non omnium Astronomorum sentæ consentiant in eo, quod ad siderum inerrantium motus veros pertinet. Ut enim

¶ Pto.

¶ *Ptolemaeo*, ejusque fautoribus incipiam, his visum est sidera omnia quum errantia, tum inerrantia, eo ordine, quem *superiori Capite* exposuimus, circa Tellurem, quam immobiliter centrum Universi occupare censuerunt, ferri. Deinde quum haec hypothesis minus bene representaret phænomena Planetarum, præcipue vero ea, quæ Mercurii, & Veneris modicos a Sole recessus respiciunt (ut suo loco explicabitur) *Copernicus* omnibus difficultatibus occurri recte posse arbitratus est ponendo Planetas omnes primarios, in quorum numero habuit & Tellurem, eo ordine, iisque fere intervallis, quæ supra exposuimus ferri circa Solem immobiliter in centro Mundi constitutum. Idem *Copernicus* ipsis stellis fixis, ut & Soli omnem motū denegavit; & quamquam ea videantur sensim de loco in locum moveri, tamen nonnisi adparentur id eas facere demonstravit; id quod suo etiam loco discutietur. Paullo post *Tycho Brabaeus* Telluris motum incredibilem reputans, in hoc quidem, inque stellarum fixarum quiete dislensit a *Copernico*, in cæteris vero ejus sententiam amplexatus est. Itaque quum Tellurem centrum Universi occupare, circaque eam primum Solem spatio ferme annuo, deinde stellas fixas, sed longo temporis intervallo, revolvi posuisse, constituit, ut reliqui Planetæ primarii Mercurius, Venus, Mars, Juppiter, & Saturnus cursibus suis Solem ambirent, ejusque motum circa Tellurem simul seftarentur; adeo ut in *Tychoonis* systemate motus primiorum duplex sit, componaturque ex motu ipsorum proprio circa Solem, exque motu Solis anno circa Tellurem.

86. Nos autem cum recentioribus *Copernicanis* non modo Planetas primarios, sed & Cometas etiam circa Solem revolvi arbitramur, & quidem temporibus constitutis. Præterea secundarios Planetas statim etiam temporibus circa suos primarios revolvi ponimus, cumque iis simul ferri circa Solem; quemadmodum ipse *Copernicus* de Luna Telluris comite, quem solum ex Planetis secundariis novit, constituit: adeo ut in hoc *Copernici* systemate ita amplificato secundiorum

## 52 PHILOSOPHIAE NATURALIS

motus duplex sit, componaturque ex ipsis propriis motu circa suos primarios, ex quo motu primiorum circa Solem.

87. Jam Planetæ primarii ita moventur circa Sollem, ut tendant semper ab occasu in ortum, & rursus ita errant in cursibus suis, ut intra certos Cœli limites se se contineant, ultra quos numquam vagantur. Tractum istum Cœli stellati, quem Mercurius, Venus, Mars, cæterique Planetæ motibus suis lustrare videntur, quique Zona est duodeviginti prope gradibus lata, *Zodiacum* veteres dixere, ab imaginibus animalium, quas fixæ in isto tractu referre visæ sunt. Imagines istæ duodecim, ut supra dictum est, constitutæ fuerunt; fortasse quia hic numerus aptissimus visus est, quippe qui in duas, in tres, in quatuor, in sex, inque partes duodecim sine residuo est divisibilis. Zodiaci autem partes signa dicuntur, quorum nomina duobus versibus sequentibus notissimis, atque vulgatissimis comprehenduntur.

*Sunt Aries, Taurus, Geminî, Cancer, Leo, Virgo, Libraq; Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.* Unumquodque autem horum signorum in partes triginta æquales rursus distribuitur: idque eo consilio factum est, ut integer circulus, sive fascia Zodiaci, reliquorum omnium instar, in 360 partes æquales, sive gradus dividatur.

88. Quamquam autem Zodiaci nullum sit proprium initium, nullus finis, tamen Astronomi initium numerandi faciunt a primo *Arietis puncto*, sive *gradu*, in quo gradu Sol, ut inferius constabit, è Tellure videtur die vigesima prima Martii: quo tempore Ver incipit nobis Boreale Telluris hemisphaerium incolentibus. Numeratio autem fit ab Ariete ad Taurum, inde ad Geminos, deinde ad Cancrum, atque ita deinceps, donec ad initium Arietis reversum denuo sit; Planetæ enim tali ordine Zodiacum pertransire videntur. Et quoniam motus Planetarum est ab occasu in ortum, etiam ordo signorum erit ab occasu in ortum. Ilbi advertendum est motum Planetarum dici fieri in *consequentia signorum*, quam-

quando is peragitur secundum ordinem signorum jam descriptum ; scilicet ab Ariete ad Taurum , deinde ad Geminos , atque ita deinceps . Quid si vero videantur quandoque procedere contra ordinem signorum jam descriptum (id quod unde accidat, in loco explicabitur), dicentur moveri in *antecedentia signorum* : adeo ut quemadmodum motus in consequentia est ab *occasu in ortum*, ita motus in antecedentia est vicissim ab *orta in occasum*.

89. Tempora autem , quibus temporibus Planetarum primarii absolvunt revolutiones suas circa Solem sunt longe diversa ; nam quae minus absunt a Sole citius , quae vero magis remota sunt, tardius absolvunt circulationes suas . Mercurius perficit revolutionem suam circa Solem diebus 87, & horis  $23\frac{1}{4}$ . Venus diebus 224, & horis  $17\frac{3}{4}$ . Tellus nostra diebus 265, horis 5, & minutis  $49\frac{1}{4}$ . Mars diebus 686, horis  $23\frac{1}{2}$ . Juppiter diebus 4332, horis 14, qui sunt anni fere 12. Denique Saturnus revolutionem suam absolvit diebus 10759 , horisque septem, qui sunt anni fere 30.

90. Sed contemplemur quaeſo parumper motum Telluris circa Solem : non dubito enim fore plerosque, quibus , etiam præcisa Romanæ Ecclesiæ auctoritate , inane prorsus, ac falsum videatur systema Mundi haecenus descriptum, saltem ea in parte, quae ad motum Telluris , atque ad Solis stabilitatem pertinet ; idque ea de causa, quod non Tellus , sed Sol ipse videatur vertente anno Zodiaci signa pertransire, Tellus autem adpareat quiescere immobilis , & fixa in centro Universi . Sed desinent omnes hoc ex capite falsitatis arguere Copernici systema , postquam ostensum fuerit Solem videri posse in speciem moveri, quamquam revera is quiescat; contra vero Tellurem revera moveri posse, quamvis nullum motus ipsius sensum terrestres incolæ habere videantur.

91. Quemadmodum enim qui sedet in amplissima Navi de loco in locum placido motu transiata ipsius Navis motum non percipit ea de causa, quod partes Na-

vis eundem inter se situm , atque immutabiles positiones conservant cum se ipso, qui sedet in ea ; ita si Terra circa Solem movetur, non idcirco Telluris motus percipietur ab ejus incolis , quum ædificia , & cæteræ partes Telluris eodem semper in loco manentes relative quiescant. Viciissim vero quemadmodum ille idem, qui sedet in Navi, dum ipsa è portu provehitur, si ad immota littora oculos vertat, videt Terras , & ædificia , quæ revera immota manent, recedere.

*Provehimur portu Terreque , Urbesque recedunt  
ita Telluris incola, si Tellus ipsa moveatur, Solem revera  
immotum moveri, atque in orbem circumferri videbit.  
Quod ut luculentius constet, placet scheme aliquo rem  
totam illustrare .*

92. Repræsentet itaque S (Fig.6.) Solem fixum , & immotum in centro systematis Planetarii , & ABCD planum orbis Terrestris per ipsum Solis centrum transiens , in quo Tellus ab occidente ad orientem scilicet ab A, per B, C, D spatio ferme annuo movetur . Itaque si intelligatur planum ejusdem orbis ABCD produci usq; ad Firmamentum, occurret illud duodecim Zodiaci signis ; dictum est enim Terram una cum Planetis cæteris cursibus suis periodicis Zodiaci signa lustrare : id quod *schemate* ipso satis demonstratur , in quo signa illa in orbem exarata sunt . Jam si Tellus constituatur in loco C, nempe sub initio Libræ, atque ex eo loco Terricola Solem observet , is Solem referet ad oppositum signum , scilicet ad initium Arietis : at vero Terra appellente ad punctum D , tribus jam mensibus elapsis, quo tempore è Sole visa conspiceretur in principio Capricorni , idem Terricola referet Solem ad oppositum signum, nempe ad Cancri initium. Quapropter Observator motus domicilii sui prorsus ignarus opinabitur Solem locum inter stellas fixas Zodiaci mutasse, atq; ab Ariete, per Taurum , Geminos ad Cancrum adpulisse. Ex D vero ad A progrediens Terra , Sol ex ea conspiciens signa Cancri , Leonis , & Virginis perlustrasset , & rursus dum aliam orbis sui mediotatem describit

Ter-

Terra, Sol per sex signa oppolita Libram, Scorpium, Sagittarium, Caprum, Aquarium, & Pisces in superficie Cœli sphærica deferri videbitur.

93. Ex quibus consequitur iis, qui in Tellure degunt, Solem eundem in Cœlo circulum, eodemque tempore circa se describere videri, quem revera Tellus describit circa Solem, quamquam Tellus immota prorsus videatur. Neque id tantum de incolis Telluris, sed pari jure intelligendum quoque est de cæterorum Planetarum incolis, si qui sint. Scilicet Jovis incola observabit Solem in orbem agi circa se, eundemque circulum sub Zodiaco describere spatio ferme 12 annorum videbit, quem revera Juppiter describit circa Solem, qui tamen immotus eidem incolæ videbitur. Et similiter incola Saturni videbit Solem circa Saturnum in orbem agi, eundemque circulum sub Zodiaco spatio ferme 30 annorum describere, quem revera Saturnus circa Solem describit, qui tamen immotus eidem incolæ adparebit,

94. Erunt fortasse & aliis, qui hoc alio argumento Telluris motum evertere contendant. Si Tellus moveretur circa Solem, oporteret ipsam quibusdam anni temporibus ad quasdam Zodiaci stellas proprius accedere, aliis vero temporibus ab iisdem stellis longius recedere; unde stellæ illæ modo majores, modo vero minores adparere deberent; quemadmodum id in Luna, inque Planitis cæteris usuvenire videmus, qui qum sunt *Apogei*, idest longissime a Terra remoti, exigui adparent, qum vero sunt *Perigei*, hoc est Telluri vicinissimi, adparent grandiores. Neque solum aliqua magnitudinis mutatio in his stellis propter Telluris motum foret observanda, verum etiam observanda esset aliqua mutatio situs. Unde qutum neutrum in Cœlo observetur; falsum esse ajunt Terram moveri circa Solem sub Zodiaci fascia, sed eam immobilem consistere in centro Universi.

95. Verum id non ex immobilitate Telluris, sed potius ex immensa stellarum fixarum a nobis distantia est repetendū, que tanta est ut ipsa orbis Terrestris diameter præ ea iustas punctū habeat. Hinc enim sic ut

etiam si spectator aliquando propter motum Telluris ad quasdam stellas accessisse comperiatur, tamen tantillus est accessus ille, ut nullam mutationem neque in situ, neque in magnitudine stellarum fixarum inducere possit. Fit ge in Terra duas turres sibi invicem propinquas, a quibus tamen spectator decem milibus passuum absit. Jam si is per unum tantum passum situm mutet ad turres accedendo, tantillo spatio admotus nec turres magnitudine augetas, nec a se invicem longius distitas videbit. Nec dissimiliter etsi Tellus accedat aliquando ad fixas per decies millesimam distantiae suae partem, nulla tamen orietur in stellis magnitudinis, aut situs ad patens mutatio. Quod si consideremus accessum Telluris ad sidera aliquanto minorem esse: (Nam ex Christiani Hugenii computo superius adlatu constat distantiam viciniorum siderum a Sole esse ad eam distantiam, quæ est inter Tellurem & Solem, ut 27664 ad 1) tanto minus ponderis argumentum istud contra Telluris motum habere comprehendemus. Sed enim paucis ab hinc annis in Anglia primum, deinde in Gallia, Dania, novissimeque in Italia annuæ quædam vicissitudines in ipsis stellis fixis præstantissimorum organorum, & observationum subtilissimarum ope deprehensæ sunt, quas vicissitudines, ex eo quod annuæ sint, nonnulli ad Telluris motum, sive etiam ad ejus accessum, vel recessum a sideribus inerrantibus retulerunt: de qua re consulendus est elegantissimus Eustachii Manfredii libellus de annuis inerrantium siderum vicissitudinibus.

96. Quemadmodum autem Planetæ primarii mouentur circa Solem ab occasu in ortum, ita secundarii mouentur circa primarios suos etiam ab occasu in ortum. Lunæ tempus periodicum circa Tellurem est diem 27, & horarum circiter 7. Planetarum circumjovialium primus sive intimus revolvitur circa Jovem in uno die, & horis adhuc 18, minutisque 28. Secundus diebus 3, horis 12, minutis 14. Tertius diebus 7, & horis 4. Et quartus diebus 16, horis 18, minutis 5. Denique satellitum Saturni primus, sive intimus revolvitur die una, horis 21, & minutis 18. Secundus diebus 2, ho-

2, haris 17, minutis 41. Tertius diebus 4, horis 13, minutis 47. Quartus diebus 15, horis 22, minutis 41. Et quintus denique diebus 79, horis 7, & minutis 54.

97. Cometatum periodi ex observationibus certissime adhuc non constant. Extant tamen conjecturæ recentiorum Astronomorum de temporibus periodicis Cometarum. Nam Cometa annorum 1680, & 1681 regit, ex Newtoni calculo, annis plusquam quingentum ad revolutionem suam absolvendam. Ejusdem Newtoni judicio Cometa anni 1682 redditurus videbatur post annos 75: quorum utrorumque, multorumque præterea aliorum Cometarum vias diligentissime exaravit Wiffonus in Mappa Cometarum. Cassinius etiam Cometam visum anno 1702 perficere revolutionem suam credidit in annis 34; quem Cometam Aristoteli primum ad partusse certissimis argumentis evicit.

98. Cæterum ex plurium Cometarum observationibus quendam quasi Cometarum tractum inter fixas statuit idem Cassinius, quem *Zodiacum Cometicum* appellavit; ipsumque transire deprehendit per *Antinoum*, *Pegasum*, *Andromedam*, *Taurum*, *Orionem*, *Canem minorem*, *Hydram*, *Centaurum*, *Scorpionem*, & *Sagittarii arcum*. Ubi advertendum est plurimos quidem Cometas, non omnes moveri sub hujusmodi Zodiaco: nulla enim est Cœli plaga, in quam tendere aliquis Cometa interdum visus non sit. Constat namque ex observationibus nonnullos Cometas Planetarum ritu ferri in *consequentia signorum* ab *occasu* ad *ortum*; alios in *antecedentia signorum* ab *ortu* ad *occasum*; alios a *septentrione* ad *austrum*; alios denique ab *austro* ad *septentrionem*: quæ quidem arguunt Cometas per omnes Cœli plagas vagari, & excurrere.

99. Ex his, quæ dicta sunt adaptat Cometas, quoad motum, esse genus quoddam Planetarum primariorum; quemadmodum enim Planetæ primarii cursibus suis periodicis Solem ambiant, ita id idem faciunt Cometæ: neque in eo ullum aliud discriminem est, nisi in orbium figura. Orbis enim Planetarum non sicutum recedunt  
a circ.

a circulorum circumferentiis, ut inferius dicetur, quum tamen Cometarum orbis sint ellipses acutissimæ; id quod eorum longissimi a Sole recessus arguunt. Rejicienda ergo est sententia Joannis Bernullii docentis Cometas nihil aliud esse, nisi invisibilis cuiusdam Planeta primarii satellites, qui tum demum videri incipiunt, quum ad Perigeum se demittunt, nobisque proximi evadunt. Is enim in *Systemate Cometarum* anno 1682 edito supposuit Planetam quemdam primarium circa Sollem rotari ad eam a Sole distantiam, quæ sit ad distantiam Telluris ab eodem Sole, ut 2583 ad 1 spatio annorum 4, & dierum 157; etiamsi Saturnus ducenties quinquegies octies ferme prior eo id non nisi 30 annorum spacio præstet. Circa primarium istum, qui cum ob corporis exiguitatem, tum etiam ob immensam distantiam conspectum nostrum perpetuo fugit ad diversa intervalla diversos circumvolvi Cometas arbitratus est, quorum tamen nullum ad Saturni usque orbitam descendisse audacter adfirmavit.

100. Supersunt sidera inerrantia, quæ quamquam & ipsa etiam videantur lentissime moveri in consequentia signorum motu semper parallelo, tamen in *Copernici* sententia dubitandum non est, quin motus ille sic tantum adparent, atque ex certo Telluris motu proficiatur, quemadmodum suo loco explicabitur. Qua quidem in re sidera inerrantia Soli absimilia non sunt. Ut enim Sol hæret fixus in centro systematis Planetaryrum, & Cometarum, neque nisi adparenter Zodiaci signa pertransit, ita stellæ fixæ hærent immobiles in locis suis, neque nisi adparenter de unis in alia loca trahunt. In eo differunt, quod motus Solis adparente absolitus diebus 365, horis 5, & minutis  $49\frac{1}{3}$ ; quum tamen stellarum motus adparente sit adeo tardus, ut vix in annis 25000 cursus suos videantur absoluturæ.

CA-

## CAPUT QUINTUM.

*In quo tempora periodica Planetarum tum pri-  
mariorum , quum secundariorum cum  
ipsorum distantias conferuntur.*

101. Nonnotuerat ante Keplerum periodos Planetarum eo esse diurniores , quo ipsi Planetæ longius abeissent a Sole; sed an ulla esset inter Planetarum à Sole distantias, eorumque tempora periodica proportio, quæve ea esset , nemo ante Keplerum divinaverat . Primus sagacissimus Joannes Keplerus comparatione facta mirabilem quamdam inter Planetarum tempora, quibus circulationes suas absolvunt circa Solem , & eorum ab eodem Sole distantias deprehendit harmoniam , & proportionem , ut scilicet quadrata temporum periodicorum sint cubis suarum a Sole distantiarum proportionalia ; sive etiam ut ipsa tempora periodica sint in ratione sesquipliata distantiarum a Sole : neque aliam in Cœlo legem salvis legibus Naturæ obtinere posse ostendit deinde incomparabilis Philosophus , & Mathematicus Isaacus Newtonus.

102. Sic in numeris rotundis periodus Saturni est annorum 30, Jovis vero periodus est annorum 12 ; quorum numerorum quadrata sunt 900, & 144, quæ sunt inter se, ut  $6\frac{1}{4}$  ad 1 ; Saturni vero distantia a Sole est ad distantiam Jovis ab eodem Sole in ratione paullo majori , quam 9 ad 5, quorum numerorum cubi adsumi possunt 729 & 117 , qui sunt etiam sese ut  $6\frac{1}{4}$  ad 1 : Itaque quum in eadem ratione sint etiam quadrata temporum, liquet quadratum temporis periodici Saturni esse ad quadratum temporis periodici Jovis , ut se habet cubus distantie Saturni a Sole ad cubum distantia Jovis ab eodem Sole.

103. Similiter periodus Telluris paullo plus, quam quadruplicato major est periodo Mercurii : adeoque numerorum supradictas periodos exponentium quadrata edisu-

mi

mi hic possunt 17, & 1. At vero posita distantia Telluris a Sole partitum 10, Mercurii a Sole distantia est paulo minor partibus 4, quorum numerorum cubi adiuncti possunt 1000, & 59, qui sunt inter se etiam ut 17 ad 1, in qua ratione esse vidimus quadrata temporum periodicorum: itaque ut se habet quadratum temporis periodici Telluris ad quadratum temporis periodici Mercurii, ita est cubus distantiae Telluris a Sole ad cubum distantiae Mercurii ab eodem Sole. Quod si distantiae, & periodi correspondientibus numeris exprimantur, accuratior adhuc deprehendetur supradieta temporum, & distantiarum proportio.

104. Hanc legem detexit Iohannes Keplerus in Planeti primariis. Sed postea deprehensum est Planetas quoque secundarios tam eos, qui Jovem, quam eos, qui Saturnum cingunt eamdem in motibus suis legem servare; ut scilicet quadrata temporum periodicorum sint cubis distantiarum a centro Jovis, vel Saturni proportionaliter. Ita in satellitibus Jovis, in quibus tempora periodica intimi, secundi, tertii, & extimi sunt ferme  $1\frac{1}{4}$ ,  $3\frac{2}{3}$ ,  $7\frac{1}{6}$ ,  $16\frac{1}{4}$  respectively, eorumque distantiae ut  $5\frac{2}{3}$ : 9,  $14\frac{1}{3}$ : &  $25\frac{1}{3}$ : quadratum temporis periodici intimi nempe 3 est ad 13 quadratum temporis periodici satellitis secundi, ut se habet 182 cubus distantiae intimi a centro Jovis ad 729 cubum distantiae secundi ab eodem centro Jovis. Et 3 est ad 280 quadratum temporis periodici extimi satellitis, ut 182 ad 16259 cubum distantiae dicti extimi a centro Jovis. Et igitur ex aequo eadem ratio obtinet, si quivis alii duo comites Jovis conferantur inter se, secundus nempe cum tertio, vel extimo, vel tertius cum extimo. Quod si accuratiores distantiae sumantur, & tempora periodica accuratiora, ratio haec accuratior quoq; prodibit.

105. Idem in Saturni satellitibus obtainere deprehendetur, si instituatur comparatio inter quadrata temporum, & cubos distantiarum juxta numeros supra descriptos. Neque dubitandum quin idem haberet etiam locum in Luna, si alius praeter ipsam satelles Tellurem obiret, cum quo institui posset comparatio. Nunc quum sola

sola revolvatur circa Tellurem, ei lex ista nequit aptari, Neque etiam dubitandum, quin postea quam periodica Cometarum tempora, eorumq; distantiae mediae ( de his enim quæstio hic est ) ex compluribus observationibus statutæ , confirmataeque sint , ejusdem legis veritas ulterius adhuc confirmetur : tuncque adparebit Natura quam simplicissima sit , & quam religiose quasdam leges servare soleat.

106. Cæterum recentiores *Copernicani* argumentum hinc repetunt ad Telluris motum , atque ad Solis stabilitatem confirmandam , quod quanti ponderis sit cæteris judicandum relinquo . Ego enim quid de tanta resentirem , paucis in ipso hujus *secundi Libri* vestibulo declaravi . Itaque argumentum tantum hic proponam nihil quidquam de ejus infirmitate , vel robore affirmans . Defumunt autem argumentum ex eo , quod si Tellus quiesceret , Sol autem cursu suo anno Tellurem obiret , supradiæta *Kepleri* regula , quam nulli exceptioni obnoxiam credunt , detrimentum pateretur in motibus Solis , & Lunæ , qui utrique circa Tellurem moventur . Id quod ut adpareat memoria repetendum hic est , distantiam Solis a Tellure continere 12000 diametros Terrestris ; Lunæ vero ab eadem Tellure distantiam tantum 30 ex iisdem diametris continere : adeoque distantia Solis a Tellure est ad distantiam Lunæ ab eadem Tellure ut 12000 ad 30 sive etiam ut 400 ad 1 : quorum numerorum cubi sunt ut 64000000 & 1.

107. Præterea meminisse oportet motum Solis sive verum , sive adparentem absolvi spatio dierum  $365 \frac{1}{4}$  ; Lunæ vero motum diebus  $27 \frac{1}{3}$  : adeoque tempus periodicum Solis est ad tempus periodicum Lunæ ut  $365 \frac{1}{4}$  , ad  $27 \frac{1}{3}$  , sive etiam fere ut  $13 \frac{1}{3}$  ad 1 ; quorum numerorum quadrata sunt 178 , & 1 . Itaque quum ex *Kepleri* regula quadrata temporum periodorum Solis , & Lunæ esse debent inter se ut cubi suarum a Tellure , circa quam moventur , distantiarum ; necesse foret ut numeri 178 , 1 , 64000000 , & 1 essent proportionales ; quod quum falsum sit , inferunt falsum esse Solem moveri circa Tellurem .

108. Ad.

108. Addunt & hoc: si summo rerum Opifici placuerit Telluri quietem, Soli vero motum circa Tellurem concedere, profecto, ne in supradictam regulam peccaret, aut Solem Telluri vicinorem conservata ejus periodo, aut Solis periodum diuturniorem conservata ejus distantia efficeret. Et quidem ut hæ Solis, Lunæque periodi constare possent, necesse esset Solem non amplius, quam vicibus 5 $\frac{1}{2}$ , fere abesse a Tellure respectu distantiae Lunæ ab eadem Tellure; adeoque distantia Solis a Tellure esse deberet diametrorum terrestrium 170; hoc est pars tantum septuagesima ejus distantiae, qua nunc is abest a Tellure. Ut vero hæ Solis, Lunæque distantiae, quæ nunc obtinent, constare possent, necesse esset Solis periodum diuturniorem esse periodo Lunari vicibus 8000; adenque periodus Solis circa Tellurem esse deberet dierum fere 218666; hoc est 598 vicibus diuturnior ea periodo, qua nunc cursum suum absolvere putatur.

## CAPUT SEXTUM.

*De Figura, & proprietatibus Orbitarum,  
in quibus moventur Corpora Cœlestia;  
deque vera motus ipsorum  
lege.*

109. **Q**uamquam supra dictum sit Planetas moveri sub Zodiaco ab occasu versus ortum, intellegendum tamen id sicut de motu eorum ad parenti, nempe de eo motu, qui visu percipitur. Revera enim Planetæ describunt in Cœlo orbæ longe inferiores Zodiaco, qui in Firmamento ipso, sive Cœlo stellato effingitur: id quod ex distantiarum mensuris Capite tertio adductis manifesto colligitur. Idem & de Cometi sentiendum est, qui quamquam videantur inter ipsa sidera cursus suos confidere, longe tamen inferius moventur: errorque hic noster, ut & plenique alii, infirmitati visus adscribendus est: neque enim hoc organum

ganum ea pollet virtute, ut interdistingueundis Cœlestium Corporum vēris distantiis par sit.

110. De his autem orbibus quum agendum hoc Capite nobis sit, dicemus primum ea, in quibus Astronomi fere omnes consentiunt; tum vero ea adducemus, in quibus cordatiores a cæterorum sententia recesserunt. Primo itaque unanime hodie est Astronomorum placitum orbes Planetarum, & Cometarum circa Solem descriptos esse omnes in se redeuntes; hoc est tales, ut nulla sui parte pateant, sed undique spatiū claudant: id quod ea de causa constitutum est, quia nisi orbes illi essent in se redeuntes, non possent Planetæ, & Cometas post certa temporis intervalla ad eisdem fere stellas, sive etiam ad eadem Cœli loca reverti. Sane Planetarum orbibus jam olim proprietatem istam attribuerunt Astronomi, Sed de Cometis diu dubitatum est, an moverentur in orbibus, qui in se ipsos redirent; scilicet quia nullis adhuc observationibus constabat, an ulli Cometas unquam rediissent; Cartesiusque ipse Cometarum trajectorias minime certas esse, atque stabiles, sed huc illuc de uno vortice in alium temere, sineq; ulla lege eos vagari docuit. Verum posteaquam Viri illustrissimi Dominicus Cassinius, & Iacobus Newtonus quosdam Cometas jam rediisse compererunt, eamdein proprietatem orbibus Cometarum etiam concedere veriti non sunt.

111. Secundo in eo consentiunt omnes Astronomi, in orbibus Planetarum, Cometarumque adesse duo puncta ex diametro opposita, inque una linea recta cum centro Solis collocata, quorum alterum a Sole remotissimum, alterum vero sit in vicinissimum. Veluti si ABPC (Fig. 7.) referat orbem cuiusvis Planetæ, vel Cometæ circa Solem S descriptum, statuunt vulgo Astronomi adesse in eo non modo punctum quoddam A omnium cæterorum a Sole S remotissimum, verum etiam punctum oppositum B reliquorum omnium eidem Soli vicinissimum; eaque puncta sic esse in eo orbe sita volunt, ut regia linea AB ab uno ad aliud ducta transeat per centrum Solis S.

112. Tertio statuunt orbes Planetarum, & Cometarum

tarum ita secari in partes duas aequales, & similes a superdicta recta linea conjugente punctum remotissimum cum vicinissimo, ut si pars una alteri superimponatur, futurum sit, ut ea accuratissime congruant inter se. Scilicet, in eodem schemate, volunt rectam ASP dispergere orbem ABPC in partes duas ABP, ACP omnino aequales & similes, adeo ut pars ABP superimposita parti ACP congruat cum ea. Ex quo sequitur Planetas, & Cometas in locis aequae remotis a recta linea ASP aequales a Sole distantias sortiri: nam positis aequalibus angulis ASB, ASC, vel etiam PSB, PSC ob aequalitatem, & similitudinem partium ABP, ACP facile intellegitur rectas SB, SC aequales esse inter se. Id quum ita sit nescio qua causa Philippus Hirius unum Mercurii orbem regularitate ista spoliaverit: ut enim ex suis Tabulis Astronomicis adpareat, in orbe Mercurii pars ABP ex ejus sententia non est aequalis & similis parti ACB; idque eo magis mirum est, quod cæterorum Planetarum orbibus proprietatem istam minime denegavit.

113. Denique censem formam orbium Planetarum, Cometarumque talēm esse, ut rectæ lineaæ a centro Solis ad eorum puncta quævis ductæ eo sint majores, quo magis ei, quæ a Sole ad punctum remotissimum ductæ est propinquiores fuerint, eo vero sint minores, quo magis ab eodem fuerint remotiores. Scilicet, in eodem schemate, volunt rectas SB, SC ductas a Sole S ad quævis puncta B, & C eo esse majores, quo minus distant a recta SA, quæ ab eodem Sole ducitur ad punctum remotissimum A; eo vero esse minores, quo magis distant ab eadem recta SA. Ex quibus omnibus illud sequitur orbes Planetarum, & Cometarum vel circulares non esse, vel si circulares sint, Soli excentricos esse. Si enim circulares statuantur, Sol autem occupet centrum ipsorum, nullus esset puncto remotissimo, aut vicinissimo locus; essentque præterea distantiae omnes aequales inter se.

114. Orbibus ergo Planetarum, Cometarumque circa Solem descriptis quatuor communiter adtributæ sunt ab Astronomis proprietates. Prima est ut redeant in se ipsos. Secunda ut habeant duo puncta opposita in

extremitate

eadem linea recta cum Sole constituta, quorum alterum sit a Sole remotissimum, alterum autem eodem vicinissimum sit. Tertia ut a linea jungente ista duo puncta secantur in partes binas aequales, & similes. Et quarta denique ut cetera eorum puncta eo sint Soli viciniora, quo magis absunt a punto remotissimo; eo vero sint ab eodem Sole remotiora, quo minus absunt ab eo. Iam punto remotissimo. Ubi adnotandum est, has easdem proprietates pertinere etiam ad orbitas, quas secundarii delcribunt circa primarios suos: Luna scilicet circa Tellurem; satellites Jovis circa Jovem; & satellites Saturni circa Saturnum: quamquam eae nonnisi in orbita Lunari, ut pote quae nobis est vicinissima, manifestissime deprehendantur: nam in Jovis, Saturnique satellitum orbitis, eo quod exiguae sint, atque a nobis remotissimae, nonnisi conjecturis eadem proprietates assequuntur.

115. Sed quoniam infinitae sunt figurae geometricae, ad quas recentiores proprietates aptari possint, videndum est quænam sit figura illa, quam Planetæ quidecum, atque Cometae describunt circa Solem, secundarii vero circa suos primarios: de eo enim non satis convenientur recentiores ipsi inter se, ne dum recentiores cum veteribus. Et quidecum vetustiores *Astronomi* motus omnes coelestes his duabus legibus contineri tradiderunt. Prima lex erat; ut singula corpora coelestia accuratissime describerent circumferentias circulorum, ita tamen ut centrum motus aliquantulum abesse ab earum centro: sive potius, ut corpus illud, circa quod ea revoluerentur non esset in centro ipsarum circumferentiarum. Altera lex erat; ut motus omnes coelestes in se aquabiles essent. quamquam spectatoribus extra centrum circulorum constitutis inaquabiles adparerent. Veluti si T representat (Fig. 8) Tellurem, & L Lunam; docuerunt veteres hanc revolvi circa Tellurem in circuli circumferentia ALP, ita tamen ut ejus centrum C aliquantulum abesse a Tellure T: prætereaque aequales arcus ejusdem circumferentiae aequalibus temporibus describerentur. Adeoque spectatori in centro C constituto motus Lunæ adparabit aequalis: quum aequalibus arcibus aequales in cen-

tro anguli insitant: at vero spectatori in Tellure Extra centrum constituto motus Lunæ nequaquam adparerebit æquabilis, sed tardior videbitur prope locum A, in quo Luna maxime absit a Tellure, celerior vero videbitur prope locum oppositum P, quo in loco Luna Telluri est vicinissima.

116. Sed superiori saeculo quum *Joannes Keplerus* senioris Astronomæ Patre accuratissimo examini subiecisset motus cœlestes, innumeræque *Tychonis* observationes diligentissime expendisset, deprehendit utramque harum legum motibus Planetarum veris minime congruere, certissimisque rationibus evicit eosdem motus neque perfecte circulares, neq; æquabiles esse. Observationes enim *Tychonis* ostendebant, idque ultra omnem, dubitationem, figuram orbium a Planetis circa Solem descriptorum esse ellipticam, sive ovatam; motumque Planetarum in hujusmodi orbibus esse semper varium, atque diversum (& quidem in se, & realiter, non modo adparenter), nunc concitatum, nunc remissum, nunc proportione media inter utrumque temperatum, pro minori nempe, aut majori a Sole distantia.

117. Neque tantum Planetae primarii feruntur circa Solem in orbibus ellipticis, sed idem quoque faciunt Cometæ circa eundem Solem, & secundarii circa suos primarios; eorumque motus est pariter inæquabilis; tardus nempe quum longius recesserunt a centro, velox vero quum ad illud proprius accesserunt, inter utrumque autem temperatus in distantiis intermediis: idque secundum certam quamdam, & immutabilem legem, quam idem *Vir incomparabilis Joannes Keplerus e Tychoenicis* numeris primus eruit.

118. In hac autem *Kepleri* hypothesi Sol, aut Planeta primarius non in ellipso centro C (Fig. 9.) seu puncto axis medio, sed in focorum alterutro F constituitur. Ex quo fit ut quum Planeta, vel Cometa est in axis majoris vertice summo A, tunc maxime absit a Sole; quum vero est in vertice imo B, tunc vicissim Soli maxime sit vicinus. Quapropter Planeta, aut Cometa descendente a vertice summo A ad ipsum B, eorum a Sole distantia

con-

continenter minuitur; at vero iis redeuntibus a vertice imo B ad summum A eadem distantia continenter augetur: angulisque AFP, AF<sub>p</sub> positis aequalibus, aequales sunt eorum a Sole distantiae hinc, & inde ab axe positae. Et quoniam rectæ FD, FE ad vertices axeos minoris DE duæ, propter ellipsoes naturam, aequales sunt medietati axeos majoris AB; axis autem major AB componitur ex maxima distantia AF, & minima BF; liquet Cometam, vel Planetam dum versatur in loco D, vel etiam in loco C, mediam a Sole distantiam sortiri. Sunt enim distantiae mediae distantiarum maximarum, minimarumque semisses.

119. In hac itaque eadem hypothesi recta AF, quæ a vertice summo A ad Solem F ducitur, dicetur in posterum *distantia maxima* Planetæ, vel Cometæ a Sole: recta autem BF, quæ a vertice imo B ad eundem Solem ducitur *distantia minima* adpellabitur. Denique rectæ DF, EF, quæ a verticibus axeos minoris ad Solem ducuntur, *distantias mediae* dicentur; quas quidem distantias medias constat aequales esse semisummæ distantiarum maximæ AF, & minimæ BF. In eadem ellipsi punctum A dicetur *Apsis*, sive *Aux summa*; punctum oppositum B *Apsis ima*; recta vero AB transiens per Solem, vel primarium quemvis *F linea apsidum*. Specialiter autem in Planetis, & Cometis, qui feruntur circa Solem, punctum A dicetur *Aphelion*; & punctum oppositum B *Perihelion*. In Luna vero, quæ circa Tellurem revolvitur, punctum A dicetur *Apogaeum*, punctum vero B *Perigeum*. Denique recta CF, quæ est distantia Solis a centro orbitæ, adpellatur *excentricitas*; eaque ex natura Ellipsoes adæquat semidifferentiam distantiarum maximæ AF, & minimæ BF. Etenim si sit focus alter, erit Afæqualis BF; adeoque differentia distantiarum maximæ AF, & minimæ BF adæquabit rectam Ef, cujus semillæ est CF.

120. Est autem hic sedulo advertendum Ellipsum formas tum in Planetis primariis, quum in Planetis secundariis a circulorum circumferentiis non longe recedere, ut ex mensuris excentricitatum mox recenti-

sendis constabit. Quin immo in secundariis omne illud  
discrimen neque etiam est sensibile, ob longinquitatem  
scilicet intervalli, & angustiam orbitarum, quemad-  
modum modo adnotatum est. Quæ fuit causa, quare  
*Astronomi* in repræsentandis satellitum Jovis, & Saturni  
motibus supponerent eos moveri in circulis Jovi, Satur-  
noque concentricis, absque eo quod erroris quidquam  
ex ea hypotheli manarit. Longe alia res est de Cometa-  
rum orbitis, quas ellipses esse acutissimas, sive multum  
excentricas constat ex observationibus Astronomorum.  
Ex quo fit, ut Cometæ raro spectandos se præbeant: tunc  
enim tantum videri queunt, quum in iis suarum orbita-  
rum partibus versantur, quæ sunt prope *Peribulum*: in  
*Aphelio* vero, inque locis *Aphelio* propinquis incon-  
spicui evadunt. Et quoniam, ut demonstrant Scriptores  
Conici, quo magis centrum ellipsois discedit a foco,  
manente axeos majoris longitudine, eo magis ellipsis  
ipsa recedit a circulo, atq; accedit ad parabolam: præ-  
fertim vero in locis, quæ sunt prope vertices axeos ma-  
joris; inde factum est ut orbes Cometarum, qui revera  
sunt ellipses acutissimæ, haberentur absque ullo sensi-  
bili errore tamquam orbites parabolicæ. Et sane re ipsa  
comprobatum est motus Cometarum recte per hujus-  
modi orbites repræsentari. Neque mirum. Cometæ enim  
tunc tantum nobis evadunt conspicui, quum eas orbita-  
rum ellipticarum partes peragrant, quæ sunt prope  
*Peribulum*, quæque nihil vetat quin habeantur ut pa-  
rabolicæ. Quapropter si aliquando dicamus Cometas  
ferri circa Solem in orbibus parabolicis, minime qui-  
dam erit id accipiendum in eo strictissimo sensu, quem  
verba sonant; quasi revera Cometæ moverentur in li-  
neis parabolicis, quæ non redeunt in se ipsas; sed intel-  
ligendum id laxius est; scilicet eas moveri in talibus or-  
bibus ellipticis, qui prope vertices ad parabolicos mul-  
tum accendant.

121. Planetæ autem, atque Cometæ seruntur in  
orbibus ellipticis non quidem motu æquabili, sed ea  
ratione, ut radius ab umbilico, sive centro motus ( in  
quo Sol constituitur ) ad Planetum, vel Cometam du-

tus

*Eus describat, seu verrat aream ellipticam tempori proportionalem.* Veluti si Planeta est in *Aphelio A*, unde discedens perveniat primum ad *P*, intereaque temporis radius ab umbilico, sive foco *F* ad Planetam ductus verrat aream, sive triangulum mixtilineum *AFP*, deinde vero perveniat ad *Q*, radiusque ab eodem umbilico ad Planetam ductus describat triangulum mixtilineum *AQF*; tempus, quo tempore Planeta descripsit arcum *AP* erit ad tempus, in quo idem Planeta descripsit arcum *AQ* ut area, sive sector ellipticus *AFP* ad Sectorem ellipticum *AQF*. Unde quia existente angulo *AQF* duplo anguli *AFP* area *AQF* non est dupla areae *AFP*, sed nonnihil est minor; liquet motus adparentes Planetæ, vel Cometae descendentes ab *aphelio* summa ad imam a Sole visos, qui quidem designantur per angulos *AQF*, *AFP* esse in ratione temporum paullo minore; adeo ut Planeta descendente ab *Aphelio* ad *Perihelium* velocitas ejus continententer adaugatur; eo vero redunde a *Perihelio* ad *Aphelium* iterum minuatur, sed ita ut in *Aphelio* velocitas sit omnium maxima, in *Peribolio* vero sit omnium minima.

122. Hæc eadem obtinent in Luna, quæ revolvuntur circa Tellurem, & in Jovis, Saturnique satellitibus, qui Jovem, & Saturnum curlibus suis ambiant: quamquam in Jovis, & Saturni satellitibus ob prolixitatem intervalli motus inæquabilitas observari non possit. Itaque quemadmodum invaluit apud Astronomos, ut orbitæ satellitum circulares ponerentur, primariisque suis concentricæ, ita quoque passim supponitur eosdem satellites motu æquabili primarios suos obire: manetque adhuc verum in hac hypothesi, ut *areae, quas satellites describant circa primarios suos sint temporibus proportionales*: nam *areae illæ sunt sectores circulares, qui augentur ad modum arcuum, sive etiam ad modum temporis.*

123. Quemadmodum autem in motu Cometarum, & Planetarum circa Solem, inque motu Lunæ circa Tellurem considerantur distantiae mediæ, ita quoque considerari in eorum motibus solent *velocitates mediae,*

quarum nomine intelliguntur velocitates tales , quibus velocitatibus si Planeta , vel Cometa æquabili semper motu progredentur , eodem temporis intervallo suas circulationes absolverent . Nempe quum Juppiter ( de hoc enim Planeta placet tantum hic loqui ; sed quid- quid de eo dicitur de cæteris est quoque intelligendum ) feratur circa Solem S in orbe elliptico APBp absolvens integrum circulationem spatio ferme annorum 12 , sed incedens inæquabiliter , modo scilicet cum majori , mo- do vero cum minori velocitate : si quidem supponamus Jovem eodem temporis intervallo eamdem circulationem abolvere , sed eadem cum velocitate semper in- cedentem ; velocitatem istam *medium* appellabimus , quasi medio loco positam inter maximam velocitatem , quam habet in *Peribolio* , & minimam , quam habet in *Aphelio* . Et quemadmodum Planeta quivis , vel Come- ta bis in singulis suis revolutionibus distantiam me- diam sortitur , ita bis etiam cum velocitate media pro- gredi debet , semel quum ab apside summa descendit ad imam , iterum quum ab ima ad summam regreditur . In descensu enim velocitas gradatim intenditur ; in adscensu vero gradatim remittitur ; itaque necesse est ut tum in descensu , quum in adscensu cum velocitate media , quæ minor quidem est maxima , sed major est minima , aliquando progrediatur .

124. Neque vero difficile erit definire loca ellipsois , in quibus existente Planeta , vel Cometa , is cum velo- citate media progrediatur : nimirum si descripto ex fo- co F (Fig. 10.) circulo , cuius radius FP sit medius pro- portionalis inter semiaxem majorem AC , & semiaxem minorem CD notentur loca P , & p , in quibus circulus iste occurrit ellipsi ; etenim illis in locis Planeta , vel Cometa cum velocitate media progredietur . Ad quod ostendendum ponamus in descripto circulo GPHp aream , sive sectorem GFX æqualem esse areae ellipti- cæ AFP . Et quoniam circulus , cuius radius medius est proportionalis inter semiaxem majorem , & minorem alicujus ellipsois adæquat eamdem ellipsim ; erit semi- circulus GXH æqualis semiellipsi ADB . Itaque ut se- habet

habet semiellipis ADB ad aream ellipticam APF, ita erit semicirculus GXH ad sectorem GFX. Unde quoniam semiellipis ADB ad aream ellipticam APF eamdem habeat rationem, quam habet tempus, in quo Planeta descendit ab apside summa A ad imam B ad tempus per arcum AP: erit etiam semicirculus GPH ad sectorem GFX ita tempus descensus ab apside summa ad imam ad tempus per arcum AP. Et quoniam si Planeta alius revolvatur æquabiliter circa centrum F, in circumferentia circuli CPH, tempus consumptum ab eo ad describendam semicircumferentiam GXH, est ad tempus ab eodem impensum ad describendum arcum GX, ut se habet semicirculus GXH ad sectorem GFX: propter rationum æqualitatem erit quoque, ut tempus per integrum semiellipsum APB ad tempus per arcum AP, ita tempus per integrum semicircumferentiam GXH ad tempus per arcum GX.

125. Jain ponamus alium istum Planetam, qui moveretur æquabiliter in circuli GPH $\rho$  circumferentia, incedere velocitate illa media, de qua modo loquuti sumus; hoc est progredi cum tanta velocitate, quanta profecto postulatur ad absolvendam integrum circulationem eodem prorsus tempore, quo Planeta describit ellipsem suam ADPB. In hac hypothesi tantum temporis impendet Planeta verus, ut ab apside summa A descendat ad imam B, quantum impendet Planeta medius (sic enim vocant Planetam media velocitate incedentem) ut ex puncto semicirculi G descendat ad oppositum H. Quapropter ut tempus per semirevolutionem ellipticam adæquat tempus per semirevolutionem circularem, ita tempus per arcum ellipticum AP, adæquabit tempus per arcum circularem GX.

126. Itaque si Planeta verus in parte temporis quamminima de loco P transeat ad Q describens aream ellipticam PFQ; Planeta autem medius eadem temporis particula de loco X transeat ad O describens sectorem circularem XFO; quia tempus per AP est ad tempus per PQ, ut area elliptica AFP ad aream ellipticam PFQ; tempus autem per GX est ad tempus per XO, ut

area circularis  $GFX$  ad aream circularem  $XFO$ ; erit area elliptica  $AFP$  ad aream ellipticam  $PFQ$ , ita area circularis  $GFX$  ad aream circularem  $XFO$ : sunt enim tum tempora per arcus  $AP$ ,  $GX$  quum tempora per arcus  $PQ$ ,  $XO$  æqualia inter se. Unde quum area elliptica  $AFP$  æqualis sit areæ circulati  $GFX$ , erit etiam sector  $PFQ$  æqualis sectori  $XFO$ . Sunt autem radii horum sectorum  $PF$ ,  $XF$  æquales inter se; quare angulus  $PFQ$  æqualis erit angulo  $XFO$ . Unde quum prior angulus designet velocitatem, cum qua videtur incedere Planeta verus ex foco  $F$ ; alter autem angulus designet velocitatem, cum qua ex eodem foco  $F$  videtur incedere Planeta medius; sequitur utrumque Planetam eadem velocitate incedere videri; adeoque quum unus moveatur semper velocitate media, alter, id est Planeta verus progredietur in loco  $P$  etiam cum velocitate media: Et similis est demonstratio de velocitate, cum qua idem Planeta verus moveatur in loco altero  $p$ .

127. Superest ut tum excentricitates, quum motus mediis ex iudicio sanissimorum Astronomorum hic adducamus. Et excentricitates quidem dabimus in partibus illis, quarum partium 1000 contineri diximus in distantia media Telluris a Sole; 387 in Mercurii; 723 in Veneris; 1513 in Martis; 5201 in Jovis; & denique 9538 in Saturni: Ea enim ratione nullo negotio invenire licebit distantias tum maximas, quum minimas singulorum Planetarum. Nam in ellipsi ADBE distantia maxima AF componitur ex distantia media DF, sive AC, & ex excentricitate CF: distantia vero minima BF habetur subtrahendo ab eadem distantia media FD, sive CB excentricitatē CF: Itaque cognitis excentricitatibus, distantiasque mediis ope additionis subtractionisque comparare licebit distantias maximas, & minimas.

128. Et quidem in orbe Mercurii excentricitas est partium 80; in orbe Veneris est partium 5; in orbe Telluris est partium fere 17. In Martis vero, Jovis, Saturnique orbibus excentricitates sunt respective partium 141, 250, & 547. Sed præstat easdem excentricitates

tates in ea etiam hypothesi designare, quod singulorum Planetarum mediae a Sole distantiae distributae sint in mille partes aequales: sic enim ellipsum formas inter se conferre licebit. Itaque si tum Mercurii, quum Veneris, quum reliquorum Planetarum mediae a Sole distantiae distributae supponantur in 1000 partes aequales (quas quidem partes singulæ majores erunt in distantia Veneris quam Mercurii; & adhuc majores in distantia Telluris; & multo adhuc majores in distantiis Martis, Jovis, & Saturni) excentricitas Mercurii continebit 206 partes earum, quarum media ejus a Sole distantia continet 1000; Veneris 7; Telluris 17; Martis 92; Jovis 48; & denique Saturni 57. Ex quo liquet Mercurii orbem omnium maxime recedere a circulo; Venerem omnium minime. Martem vero, Saturnum, Jovem, & Tellurem hoc eodem ordine a forma circulari discedere.

129. In motibus autem mediis Planetarum recentendis Astronomorum morem usurpabimus, qui motus eorum diurnos, sive gradus, quos dietim suis velocitatibus mediis describerent, notare solent. Itaque Mercurii motus medius diurnus est gradum 4, minutorum 5, & secundorum 32. Veneris gradus unius, minutorum 36, & secundorum 8. Telluris minutorum 59, & secundorum 8. Martis minutorum 31, & secundorum 27. Jovis minutorum 4, & secundorum 59. Saturni denique minutorum 2, & unius fere secundi. Adeoque motus angulares mediis Mercurii, Veneris, Telluris, Martis, Jovis, & Saturni circa Solem erunt inter se, ut numeri 14732, 5768, 3548, 1887, 299, 121.

130. Quum autem motus veri, & absoluti eorumdem Planetarum; sive etiam spatia eodem tempore ab iis velocitatibus mediis descripta sint, ut motus angulares directe, & eorum a Sole distantias etiam directe: sintque motus angulares, ut numeri 14732, 5768, 3548, 1886, 299, & 121, distantias vero sint, ut numeri 4, 7, 10, 15, 52, & 95 respectively: erunt iidem motus veri, ut numeri 58928, 40376, 35480, 28290, 15548, 11495, respectively. Ex quo sequitur revera Mercurium velocius moveri, quam Venerem; hanc autem velocius quam

Tel.

Tellurem; hancque velocius quam Martem; Martem autem velocius quam Jovem; & hunc velocius quam Saturnum.

131. Satellitum Jovis motus medii diurni circa Jovem primi, secundi, tertii, quarti sunt fere gradus 203, & minuta 36; gradus 101, & minuta 12; gradus 50, & minuta 24; gradus 21, & minuta 36; adeoque motus angulares medii eorumdem satellitum erunt inter se, ut numeri 12216, 6072, 3024, 1296. Itaque quum spatia eodem tempore ab iis velocitatibus mediis descripta sint, ut *motus angulares directe*, & *eorum a centro Jovis distans etiam directe*; sintque distantiae, ut numeri  $5\frac{2}{3}$ , 9,  $14\frac{1}{3}$ , &  $25\frac{1}{3}$  erunt eadem spatia respectively, ut numeri 69224, 54648, 43344, 32832. Ex quo sequitur velocitatem veram, & realem, ne dum angularem, uniuscujusque Jovis satellitum eo esse minorem, quo magis is abest a centro Jovis.

132. Satellitum Saturni motus medii diurni circa Saturnum primi, secundi, tertii, quarti, quinti sunt fere gradus 190, & minuta 48; gradus 121, & minuta 36; gradus 78, & minuta 48; gradus 22, & minuta 48; gradus 4, & minuta 32. Adeoque motus angulares medii eorumdem satellitum erunt inter se, ut numeri 11448, 7896, 4728, 1368, & 272. Itaque quum spatia eodem tempore ab iis velocitatibus mediis descripta sint, ut *motus angulares directe*, & *eorum a centro Saturni distantiae etiam directe*, sintque distantiae, ut numeri 1—<sup>19</sup>, 20

$2\frac{1}{3}$ ,  $3\frac{1}{2}$ , 8, & 24, erunt eadem spatia respectively, ut numeri 22324, 19740, 16548, 10944, & 6528. Ex quo sequitur velocitatem veram, & realem uniuscujusque ex Saturni satellitibus eo esse minorem, quo magis is abest a centro Saturni. Quumque idem, uti vidimus, obtineat etiam in satellitibus Jovis, qui feruntur circa Jovem, & in Planetis primariis, qui feruntur circa Sollem, non dubitandum est, quin id universaliter in Cœlo verum sit; quamquam in systemate Tychonico alicui exceptioni obnoxium id esse videatur.

133. Ete-

133. Etenim quum in eo systemate Sol & Luna revolvantur circa Tellurem, sintque motus mediis angulares diurni, Solis quidem minutorum 59, & secundorum 8; Lunæ vero graduum 13, minutorum 10, & secundorum 35; iidem motus mediis angulares erunt inter se, ut numeri 3548, & 47435. Itaque quum spatia eodem tempore velocitatibus mediis descripta sint, ~~ut~~ motus angulares directe, & eorum a Tellure distantia etiam directe; distantiae autem sint inter se, ut 400 ad 1; erunt eadem spatia, ut numeri 1419200, & 47435; adeoque majus iter Sol, quam Luna conficiet lingulis diebus; majorque idcirco erit realis velocitas Solis, quam Lunæ. Quod quidem quum absurdum omnino esse videatur Copernicanis, audacter pronunciant Solem quiescere in centro Universi, Tellurem vero cursu annuo Solem ambire.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De Orbitarum, in quibus Corpora Cœlestia  
moventur, Planis ad Firmamentum  
usque productis; deque eorum  
inclinatione.*

134. **S**uperiori Capite dictum est Planetas, atque Cometas moveri in orbibus ellipticis, in quorum umbilico altero Sol constituitur. Jam si plana horum orbium cogitatione ad Firmamentum usque undeque que protrahantur, signabuntur ibi viæ, quas vias Planetæ, Cometæque è Solæ viæ describere videntur inter sidera ipsa; quarum viarum eas, quæ a Planetis pergrantur, sibi Zodiaci fascia omnes continerunt demonstravimus. Viæ autem istæ ex eo, quod Cœlum est rotundum, sunt totidem circumferentiaz circulorum, & quidem maximorum: nam plana omnium orbitarum transiunt per Solem, quem centrum Universi tenet. **E**c-

135. Et

135. Et quidem si Planetæ peragerent revolutiones suas in uno eodemq; plano, ellipses a Planetis in Cœlo descriptæ forent euidem diversæ, quum ipsis revolvantur circa Solem ita variis ab eo distantiis; at vero una, eademq; effet circumferentia circuli, quam inter sidera ipsi a Sole visi motu adparenti describerent; omnium enim ellipsum plana undique producta in eamdem circuli circumferentiam delinerent. Nunc vero quemadmodum Planetæ revolvuntur circa Solem in variis ab ipso distantiis, ita orbes elliptici, in quibus revolutiones suas conficiunt, non sunt in uno plano, sed in planis diversis ad se invicem diversimode inclinatis; adeoque eorum plana ad Firmamentum usque protracta alios, aliosque circulos signabunt, quorum alterius ad alterum inclinatio tanta erit, quanta est ipsorum orbium ellipticorum inclinatio.

136. Ad has autem inclinationes definiendas constuerunt Astronomi, ut planum illud, in quo plano jacet orbita Telluris, quodq; *Eclipticæ planum* adpellatur, effet veluti regula, ac norma inclinationis cæterorum planorum; adeo ut singula plana tantum inclinationis habere censenda sint, quanta est ipsorum inclinatio ad hoc *Eclipticæ planum*. Ubi adnotandum est *Eclipticæ planum* ad Firmamentum usque productum Zodiaci fasciam bifariam secare, adeoque eam dividi ab Ecliptica in duas fasciolas, quarum singularum latitudo est novem ferme graduum. Et que præterea adnotandum, quod quemadmodum in Zodiaco numeratio graduum initum capiat a primo *Arietis gradu*, fiatque versus ortum secundum ordinem signorum; ita numeratio graduum in Ecliptica eodem modo peragatur. Scilicet 360 gradus *Eclipticæ* ortum capiunt ab initio *Arietis*, seque extendent in consequentia signorum.

137. Ad planorum autem inclinationem ut redeamus, supponamus planum illud, quo in plano Tellus revolvitur circa Solem S (Fig. 11.), quodque *Eclipticæ planum* nuncupari diximus, cum plano schematis congruere. Jam plana, in quibus reliqui Planetæ Mercurius, Venus, Mars, Juppiter, & Saturnus perficiuntur revo-

## INSTITUTIONUM LIB. II. 77

revolutiones suas, non congruunt cum plano schematis, sed ab eo nonnihi deflecent; ita tamen ut pars eorum dimidia extet supra planum schematis, altera vero dimidia infra illud deprimatur. Hic præterea planorum deflexus talis est, ut communis sectio cuiusvis eorum cum Eclipticæ plano semper transeat per centrum Solis S, ut pote qui est in communi umbilico orbitalium omnium. Nempe si ABCD sit planum Eclipticæ ad Cœlum usque productum, planum scilicet illud, in quo Tellus movetur circa Solem S, & EFGH sit planum orbis alicujus Planetæ ad Firmamentum usq; pariter productum; pars hujus orbitæ dimidia HEF attollitur supra planum Eclipticæ, altera vero dimidia FGH deprimetur infra idem planum; recta autem AHFC, quæ est communis sectio utriusque plani, transibit per centrum Solis S; is enim in utroque piano reperitur.

138. Puncta H, & F, in quibus orbis Planetæ secant planum Eclipticæ, dicuntur *nodi* ipsius Planetæ; rectæ vero AHFC, quæ est communis sectio utriusque plani, vocatur *linea nodarum*, eaque ad Firmamentum usque producta in ea puncta incurret, in quibus viæ circulares, quas vias Tellus, & Planeta a Sole visi ibi describunt, se se inutuo secant, quæque *nodi* pariter adpellantur. Patet autem quod, quum Planeta constituit in alterutro nodorum H, aut F, tunc ipse è Sole visus in ipso Eclipticæ piano adpareat. At vero progresso Planeta ad P, si is è Sole contueatur, videbitur ab Eclipticæ deviare, & rectæ SP, sive etiam Planetæ in P ex Sole visi inclinatio ad Eclipticam, quæ Planetæ *latitudo heliocentrica*, sive *ex Sole vijs* appellatur, mensurabitur per angulum PSP, demissa ex centro Planetæ perpendiculari Pp ad Eclipticæ planum. Et quidem hujusmodi latitudo heliocentrica continenter augetur, usque donec Planeta perveniat ad punctum E nonaginta gradibus ab utroque nodo remotum, qui locus *limes orbitæ* dicitur; inque eo loco latitudo Planetæ heliocentrica inclinationem orbis Planetæ ad planum Eclipticæ adæquat, ut ex *sphericis* constat. Sed inde discedente Planeta minuitur latitudo per eosdem gradus, per quos

*increz*

incrementum subiit, donec ipso ad nodum alterum appellente, prorsus evanescat. Superato nodo iterum Planeta latitudinem adipiscitur, quamquam ad partes Eclipticæ oppositas, augeturque usque ad alterum limitem G, unde rursus minui incipit, donec in nodo priori H denuo evanescat.

139. In singulis ergo uniuscujusque Planetæ revolutionibus circa Solem latitudo ipsius heliocentrica bis evanescit; id quod accidit in nodis; bis evadit maxima; id quod contingit in utroque limite, quorum a nodis distantia est gradum 90: quater vero intermedium quantitatem sortitur, semel in primo quadrante, in quo latitudo continenter augetur; iterum in secundo, in quo latitudo decrescit continuo; tertium in quadrante tertio, in quo latitudo rursus est crescens; & quartum denique in quarto quadrante, in quo latitudo per eosdem gradus derementum subit.

140. Præter latitudinem Planetarum modo descriptam, quam *heliocentricam* appellavimus, adest & alia latitudo, quæ *geocentrica* dicuntur, eaque locum habet, quem Planetæ non jam spectantur a Sole, sed potius spectantur a Tellure. Sit enim in *eodem schema* T locus Telluris, & P locus Planetæ, ex quo ad planum Eclipticæ demissa intelligatur perpendicularis Pp. Liquet latitudinem Planetæ geocentricam designari per angulum PTp, qui quidem diversus est ab angulo PSP, per quem latitudo Planetæ heliocentrica mensuratur. Et quidem si Planeta manente in P Tellus sit tuatur in loco remotori, latitudo Planetæ geocentrica erit angulus PSP longe minor angulo PTp: quamquam utroque casu eadem sit Planetæ P heliocentrica latitudo PSP.

141. Quapropter eadem manente latitudinis heliocentricæ quantitate latitudo geocentrica modo major est, modo minor pro minori vicissim, aut majori Telluris a Planeta distantia. Est quippe major, si Tellus sit Planeta proxima, est vero minor, si Tellus longius absit a Planeta. Cæterum Planeta existente in alterutro nodorum, quemadmodum evanescit ejus latitudo heliocentrica, ita evanescit pariter latitudo geocentrica: etenim sive Pla-

Planeta conspiciatur è Sole , sive conspiciatur a Tellure , semper in plano Eclipticæ adparebit. At vero si Planeta sit in limite , quemadmodum latitudo heliocentrica maxima est, ita, cæteris paribus, maxima quoque erit latitudo geocentrica ; eaque evadet *maximarum maxima* , si tunc Planeta sit *Perigaeus* , hoc est Telluri vicinissimus; vicitim vero fiet *maximarum minima* si Planeta sit *Apogaeus* , hoc est maxime absit a Tellure.

142. Quæ de Planetis dicta sunt intelligenda sunt etiam de Cometis , & de secundariis Planetarum ; nisi quod norma inclinationis in Planetis secundariis desumitur a piano illius primariae, circa quæ revolvuntur. Qua propter inclinatio orbis Lunaris refertur ad planum Eclipticæ ; Inclinationes vero orbium satellitum Jovis , Saturnique ad ipsa Jovis , Saturnique orbitalium plana referuntur.

143. Superest ut inclinationes singulorum planorum ad planum Eclipticæ hic indicentur . Et quidem planum Jovis omnium minime inclinatur ad Eclipticæ planum ; Mercurii planum omnium maxime; reliqui Planetæ medias inclinationes sortiuntur. Inclinatio Jovis est gradus unius , & minutorum 20 ferme . Mercurii graduum 6 , & minutorum 52 . Martis planum inclinatur gradu uno , & minutis 51 . Saturni gradibus 2 , & minutis 23  $\frac{1}{2}$  . Veneris vero inclinatio est gradum 3 , & minutorum 23 . Inclinatio orbitæ Lunaris ad planum Eclipticæ constans, stabilisque non est, aliquando enim evadit major, interdum vero fit minor. Ejus tamen mediocris quantitas præterpropter est graduum quinque.

## CAPUT OCTAVUM.

*De Motu Apsidum , & Nodorum , atque  
corum positione : deque inde ortis  
Periodis.*

144. **T**um ex vetustis , quum ex novissimis observationibus æque constat orbium apsidæ , noscendoque

*dofque continenter moveri*. Ut a motu apsidum ordinamur, sciendum est plana orbitalium, in quibus Planetæ, & Cometæ feruntur circa Solem, haud quidem immota manere, sed motu angulari ferri omnia in consequentia signorum. Sic ADBE (Fig. 12.) orbis Ellipticus alicujus Planetæ, in quo A sit apsis summa, B apsis imma, AB linea apsidum, & F focus, circa quem fit æquabilis descriptio arearum. Cogitandum est planum ADBE revolvi circa punctum F ab occasu in ortum; sive, quod eodem redit, putandum est lineam apsidum AB motu angulari revolvi circa idem punctum F in consequentia signorum, secumque una deferre orbem ADBE; adeo ut quando linea apsidum AFB ex positione AFB transit in positionem afb, cogitandum est orbitam ADBE transisse in locum *adbe*, persistente interea Planeta in motu suo per orbitam ipsam ea lege, ut tempus augeatur æquabiliter cum ipsa area descripta.

145. Itaque Planetæ, & Cometæ præter motum sibi proprium, qui in Planetis est semper ab occasu in ortum, alium sortiuntur pariter ab occasu in ortum tendentem, qui ab ipsis plani, sive orbitæ motu angulari proficiscitur. Ponamus enim motum orbitæ angulari tantum esse, ut dum Planeta profectus ab apside summa A redit ad eamdem apsidem summam, ipse orbis a positione ADBE veniat in positionem *adbe*. Et jam si Planeta positus in apside A omni motu esset destitutus, is labente integro tempore suæ revolutionis reperiaretur in *a*, atque describeret arcum *Aa* una cum apside A; nunc vero quum feratur motu suo per orbem ADBE, labente eodem tempore reperiatur quidem in eodem loco *a*, sed post peragratam integrum orbitam, & adhuc arcum *Aa*: adeo ut motus Planetæ hoc casu componatur ex motu suo proprio per orbitam ab occasu in ortum, & ex motu apsidum etiam ab occasu in ortum.

146. Propter hunc ergo apsidum motum fit, ut velocitates Planetarum nonnihil augeantur. Sed inde fit etiam, ut duplex in Planetis revolutio sit distingueda, quarum altera *anomalistica*, altera autem *vulgaris*, & p-

& periodica dicitur. Revolutio anomalistica est *spatium temporis*, quo eget Planeta quivis ad hoc ut digressus a quicunque sua orbitæ puncto, veluti ab apside summa, ad eamdem apsidem summam revertatur. Revolutio autem periodica est *spatium temporis*, quo eget Planeta ad hoc, ut profectus a linea apsidum, considerata ut immobili, revertatur ad eamdem apsidem lineam. Ex quo sequitur tempus primum aliquanto majus esse tempore secundo: dum enim Planeta absolvit gradus 360 revolutionis periodicae, propter aplidum motum in consequentia signorum, nondum transgressus est gradus 360 revolutionis anomalisticæ. Vicissim vero dum Planeta transgit gradus 360 revolutionis anomalisticæ plus quam gradus 360 revolutionis periodicae absolvit; idque propter eundem aplidum motum in consequentia signorum.

147. Præter apsidum motum considerandus est etiam in orbitis Planetarum motus nodorum; ex quo nodorum motu fit, ut *Planeta continenter exstant de unis planis inque alia plana migrant*. Etenim quemadmodum apsides Planetarum moventur in consequentia signorum, ita non dissimili motu feruntur nodi eorumdem Planetarum. Qui nodorum motus ut rectius intellegitur, ponamus orbem ANBN (Fig. 12.) referre planum Eclipticæ, in quo S sit locus Solis; orbem vero CNDN referre planum, in quo plano jacet orbita aliquujus Planeta: sitque N nodus unus, & N nodus alter priori oppositus; linea vero NSN transiens per centrum Solis S sit linea nodorum. Cogitandum est hanc lineam NSN moveri circulariter circa Solem S, tamquam centrum, ab occasu versus ortum, secumque ferre totum orbem Planetae CNDN. Quapropter quum linea nodorum NSN transiit in positionem nSn, orbita CNDN abiisse censenda est in orbitam cndn. Hujus autem planum quum diversum sit a piano illius, sequitur. Planetam, propter motum nodorum, continenter ex uno piano in aliud migrare.

148. Verum hic Planetae ex uno in aliud planum continuus transitus ita fit, ut tamen orbis ipse maneat semper eodem modo inclinatus ad planum Eclipticæ.

TOM. II.

B

E. g.

E.g. Mercurius, cujus orbis inclinationem diximus esse graduum 6, & minutorum 52 ita de uno plano tranlit in aliud, ut tamen ejus inclinatio ad planum Eclipticæ, saltem ad sensum, semper maneat gradum 6, & minutorum 52. Idem sentiendum de Planetis cæteris Veneri, Marte, Jove, atque Saturno. Tantum de Luna, parique jure de Planetis secundariis Jovis, & Saturni id verum non est, quorum inclinationes ad plana primariorum augentur, atque minuuntur per vices; quemadmodum suo loco explicabitur.

149. Quamvis autem cæteri Planete continent ex uno plano migrant in aliud planum, sola tamen Tellus perpetuo manet in eodem plano. Itaque in orbe Telluris considerandus est tantum apsidum motus: at vero in orbibus cæterorum Planetarum, præter motum apsidum, considerandus est præterea motus nodorum, quorum uterque in Planetis primariis est in consequentia signorum. Quemadmodum autem ab apsidum motu duplex revolutio fluxit, scilicet *anomalistica*, & *periodica*; ita a motu nodorum tertia manat revolutio, quæ *Nodalis* dici potest: cujus nomine intelligitur spatium temporis, quo eget *Planeta*, vel *Cometa* ad hoc, ut profectus ab uno nodo regrediatur ad eundem nodum. Unde quam nodi moveantur in consequentia signorum, sequitur Planetas citius absolvere suas revolutiones periodicas, quam revolutiones nodales. Nam si revolutio periodica, & nodalis ab eodem nodo initium ducant, absoluta jam erit revolutio periodica, quamquam nodalis non dum ad finem suum pervenerit, propterea quod nodus interea aliquantulum spatii prægressus est. Sane Luna de nodo uno profecta citius assequitur eundem nodum, quam integrum revolutionem periodicam conficiat. Sed id ex eo oritur, quia motus nodorum Lunarium est in *antecedentia signorum*, id est ab ortu in occasum; quemadmodum suo loco demontrabitur. Unde nodi occurunt Lunæ, antequam ipsa ad idem Cœli punctum, ex quo discessit, revertatur.

150. Newtoniani motum Apnidum, Nodorumque Lunæ, cæterorumque Planetarum secundariorum non negant;

negant; primiorum autem Nodos, atque Aphelia quiescere contendunt. Sane Nodos, atque Aphelia Planetarum primiorum lentissime moveri in *consequentia signorum* constat ex ipsis observationibus. Id non constat num illa revera moveantur, an vero in speciem tantum videantur moveri, ut *Newtoniani* contendunt: quibus persuasum est motum Apheliorum, & Nodorum *præcessioni* *Equinoctiorum* tribuendum esse. De qua re quale sit judicium nostrum alibi fortasse explicabitur.

151. Supereft ut Apsidum, Nodorumque positiones, quales hac tempestate obtinent, breviter indicentur. Aphelium Telluris ultra gradum octavum Capricorni constituitur. Mercurii Aphelium ultra gradum decimum quartum Sagittarii; ejus vero Nodus quasi in decimo sexto Tauri gradu. Veneris Aphelium constituitur in gradu quasi octavo Aquarii; nodus vero ultra gradum decimum quartum Geminorum. Martis Aphelium est paullo ultra primū gradum Virginis; nodus vero prope decimum octavum gradum Tauri. Jovis Aphelium ultra undecimum gradum Librae; nodus vero prope septimum Cancri gradum. Denique Saturni Aphelium hæret in principio Capricorni; nodus vero constituitur prope vigesimum tertium Cancri gradum. Motus autem anni Apsidum, & Nodorum tales constituuntur ab accuratioribus Astronomis. Telluris Aphelium quotannis progreditur minutis secundis 62, vel 63. Mercurii autem, Veneris, Martis, Jovis, & Saturni Apsides progrediuntur quotannis secundis 99, 86, 67, 94, & 82. Eorumdem Planetarum nodi quotannis conficiunt secunda 85, 46, 37, 14, & 72. Ex quibus liquet motum Nodorum, Apsidumque esse admodum irregularem, neque ullam cum distantiis Planetarum proportionem servare.

## C A P U T N O N U M.

*De Planetarum adspectibus.*

**152.** EX eo quod Planetæ inæqualibus temporibus circa Solem revolvuntur manifestum est, ipsos evundem inter se situm, atque immutabiles positiones servare non posse; sed quandoque ad se mutuo accedere, quandoque vero longis intervallis recedere debere. Diversas istas Planetarum positiones, atque distancias, quas rectius *Elongationes* dices, *Adspectus* appellant Astronomi: quos distinguunt in *heliocentricos*, sive spectatos ex Sole, & *geocentricos*, sive spectatos ex Tellure. Ut enim ex hoc Capite constabit, alia est Planetarii Cœli facies spectata è Sole, alia vero spectata è Tellure.

**153.** Quamquam autem infinita sit adspetuum varietas, tamen qui frequentissime considerantur ab Astronomis sunt *Conjunction*, *Oppositio*, *Quadratura*, *Trinus*, & *Quadratus adspectus*. Planetæ dicuntur *conjuncti*, quando rectæ lineæ ab oculo ad ipsos ductæ ad eundem Zodiaci gradum pertingunt; veluti si duo Planetæ adpareant in principio Cancri, vel Libræ. Quod si linearum ab oculo ad Planetas ductarum una pertineat ad unum gradum Zodiaci, altera vero ad gradum oppositum, Planetæ dicentur *Oppositi*. Veluti si dum Planeta unus videtur versari in principio Arietis, alter adpareat in principio Libræ, qui sunt gradus oppositi. Aut etiam si dum Planeta unus videtur in octavo gradu Cancri, alter adpareat vicissim in octavo gradu Capricorni, qui etiam sunt gradus oppositi.

**154.** Sed ut adspetuum *heliocentricorum*, *geocentricorum*, que diversitatem paucis hic attingamus, placet Planetas omnes primarios in *inferiores*, & *superiores* distinguere. Planetæ inferiores sunt Mercurius, & Venus, qui scilicet infra Tellurem Soli circumvolvuntur. Planetæ vero superiores sunt Mars, Juppiter, & Saturnus, qui semper supra Telluris orbitam circa Solem volvuntur.

Jain

Jam si Planeta aliquis superior è Sole visus adpareat Telluri conjunctus, is conspectus è Tellure adpareat necesse est Soli oppositus. Ut enim Planeta superior è Sole videri possit Telluri conjunctus, oportet Tellurem inter Solem, & Planetam esse constitutam: ita enim spectatori Terrestri adparebunt Planeta, & Sol ad partes Cœli oppositas, ideoque in oppositione versari. Vice versa si Planeta aliquis superior spectatus è Sole videatur esse in oppositione cum Tellure, is conspectus è Tellure Soli conjunctus adparebit; nam eo casu Sol versabitur inter Tellurem, & Planetam; adeoque ex Tellure visus eidem Planetae conjunctus adparebit.

155. Longe aliud accidit Planetis inferioribus, qui è Sole conspecti, sive adpareant Telluri conjuncti, sive eidem oppotiti, semper tamen è Tellure viti Soli conjuncti adparebunt. Sane si inferior Planeta Telluri oppositus sit vitus ex Sole, dubitandum non est quin is idem è Tellure visus adpareat Soli conjunctus. Sed eumdem adspectum subire debere respectu Solis Planetas inferiores, quando iij ex Sole viti Telluri adparent conjuncti, ex eo liquet, quod Planeta inferiores, propterea quod Soli infra Tellurem circumducuntur, tunc constituti sint inter Solem, & Tellurem; adeoque quemadmodum ex Sole viti adparent Telluri conjuncti, ita pariter viti ex Tellure eidem Soli conjuncti adpareant necesse est. Id tantum intercedit discriminis inter utramque conjunctionem, quod priori casu Planetae inferiores Soli jungantur *superne*; sunt enim supra Solem respectu Telluris; posteriori vero casu eidem Soli jungantur *inferne*; sunt enim infra Solem respectu ejusdem Telluris. Adeoque quando Planetae inferiores sunt *heliocentricæ* oppositi Telluri, iij erunt *geocentricæ* conjuncti Soli, sed *superne*: quando vero sunt *heliocentricæ* juncti Telluri, tunc erunt etiam *geocentricæ* conjuncti Soli, sed *inferne*.

156. In quadrato adspectu dicuntur esse Planetae, quum rectæ lineæ ab oculo ad ipsos ductæ rectum intersecte angulum continent. Veluti si dum Planeta unus adpareat in principio Arietis, alter videatur in principio Cancri, aut etiam in principio Capricorni; utraque

enim loca distant gradibus 90 a principio Arietis . In *trino* adspēctū dicuntur versari Planetæ , quum rectæ lineæ ad ipsos ab oculo ductæ angulum continent graduum 120 ; veluti si dum Planeta unus versatur in principio Arietis , alter adpareat in principio Leonis , aut etiam in principio Sagittarii : utraque enim hæc signa distant ab Arietis initio per gradus 120 . Et denique in *sexili* adspēctū dicuntur esse Planetæ , quando rectæ lineæ ab ipsis ad oculum ductæ angulum comprehendunt gradum 60 ; veluti si dum Planeta unus hæret in principio Tauri , alter sit in principio Cancri , vel etiam in principio Piscium . Quapropter Planetarum *conjunctorum* nulla prorsus est elongatio . *Oppositorum* elongatio est signorum sex . Eorum , qui sunt in *Quadratura* , elongatio est signorum trium . Eorum , qui sunt in adspēctu *Trino* , elongatio est signorum quatuor . Et eorum denique , qui sunt in adspēctu *Sexili* , elongatio est signorum duuum .

157. Jam nullus est adspēctus , ad quem Planetæ omnes tum primarii , quum secundarii ē Sole conspici , & cum Tellure comparati nequeant pervenire : nempe potest unusquisque Telluri conjungi ; in ejus oppositionem venire ; in adspēctu quadrato , trino , sextili denique cum ea versari . Nam *primo* quum Planetæ inferiores citius , quam Terra , periodos suas absolvant , oportebit ut ipsis nunc magis , nunc minus absint a Tellure ; & nunc in oppositis Cœli locis ē Sole conspiciantur , nunc in eodem cum Tellure punto adparant conjuncti . Finge aliquando hos Planetas inferiores Telluri adparere ex Sole conjunctos . Statim post conjunctionem spectator in Sole constitutus eos ē Tellure versus ortum recedere videbit . Terram enim segnius incidentem paulatim post se relinquunt ; adeoque in sextilem adspēctum primum venient ; tum ad quadratum transibunt ; deinde in trinum ; denique ad oppositionem pervenient . Et *secundo* quum Planetæ superiores tardius , quam Terra , gyros suos absolvant , oportebit ut ipsa nunc magis , nunc minus absit ab illis , & nunc in oppositis Cœli locis videatur ē Sole , nunc in *codem*

codem cum Planetis puncto adpareat conjuncta . Fingat aliquando Tellurem Planetis superioribus adparere ex Sole conjunctam . Statim post conjunctionem spectator in Sole constitutus eam a Planetis versus ortum recedere videbit . Ipsos enim segnius incidentes paulatim post se relinquet ; adeoque in sextilem adspectum primum veniet ; tum ad quadratum transibit ; deinde in trinum ; denique ad oppositionem perveniet .

158. Similiter nullus est adspectus , ad quem Planetae superiores conspecti è Tellure , & cum Sole comparati nequeant pervenire ; sed Planetae inferiores è Tellure visi numquam in oppositione , numquam in quadratura , numquam in sextili , aut trino adspectu cum Sole versari videbuntur : tantum in singulis suis revolutionibus bis Soli conjuncti adparebunt : post conjunctionem vero exiguo intervallo a Sole recedere , deinde vero de novo ad Solem accedere videbuntur . Etenim quum orbitæ Planetarum superiorum comprehendant orbitam Telluris , & hoc amplius ipsi tardius incedant , quam Tellus , fit hinc ut Tellus modo transeat inter Planetas , & Solem : quo tempore contingunt oppositiones Planetarum cum Sole , modo vero transeat ultra Solem respectu Planetarum ; quo tempore eorumdem cum Sole conjunctiones celebrantur . Unde quum inter conjunctiones , & oppositiones intercedere necessario debeat omnes adspectus intermedii ; sextilis scilicet , quadratus , & trinus sequitur nullum esse adspectum , ad quem Planetae superiores è Tellure visi , & cum Sole comparati nequeant pervenire .

159. Longe diversa res est de Planetis inferioribus Venere , & Mercurio . Nam quum orbitæ horum Planetarum includantur in orbita Telluris , sive ipsi transeant inter Solem , & Tellurem , sive ultra Solem respectu Telluris , semper Soli conjuncti adparebunt . Adeoque in Planetis inferioribus è Tellure visis cessat adspectus oppositionis , ejusque locum subit conjunctionio altera . Ut enim supra adnotatum est , in his Planetis duplex conjunctionio locum habet inferior scilicet , & superior . Illa , quæ est vice oppositionis , habet locum quum Planetæ

inferiores transeunt citra Solem respectu Telluris ; hoc est quum transeunt inter Solem, & Tellurem ; hæc vero locum sibi vindicat , quum vicissim Planetæ transeunt ultra Solem respectu ejusdem Telluris.

160. Superata coniunctione inferiori , Planetæ inferiores adparere incipiunt ad occatum respectu Solis , hacque adparitio locum habet usque donec Soli superne deuenio conjungantur. Superata deinde hac altera coniunctione , adparebunt vicissim ad ortum respectu Solis , usque donec ad coniunctionem inferiorem denuo regredi finit . Quapropter Planetæ inferiores post coniunctionem tempora modo versus occasum , modo versus ortum recedent ; quum tamen Planetæ superiores post coniunctiones semper ad ortum adpareant . Sed habet recessus iste in Planetis inferioribus suos limites , qui prætergredi numquam possunt . Etenim quum eo loci progressi sunt Planetæ , ut recta linea TV , vel TM ( Fig. 14. ) ab oculo ad ipsos ducta contingat orbem VAMB , in quo feruntur circa Solem S , tunc maxime a Sole recessisse censendi sunt : postea enim denuo ad Solem adpropinquare incipiunt , ut ipsum schema apertissime demonstrat : quippe angulus STV , vel STM , qui elongationem Planetæ a Sole designat , augetur usque ad loca supradicta V , & M , sed deinde minuitur .

161. Quum Planetæ isti recesserunt a Sole quam maxime potuerunt , in *maxima elongatione* versari dicuntur . Maxima Veneris elongatio numquam quadrantis semiensem , sive gradus 45 excedit . Mercurii vero maxima elongatio vix signum integrum solet adæquare . Post maximas elongationes iterum videntur ad Solem redire , & inde rursus ad partes alteras , quasi oscillando , excurrere . Cæterum maximæ elongationis quantitas habetur per solutionem trianguli rectanguli plani . Etenim si intelligamus triangulum TVS , vel TMS ad Tellurem , ad Planetam quemvis inferiorem , & ad Solem : angulus ad Tellurem semper designabit elongationem Planetæ a Sole ; quo autem tempore angulus ad Planetam TVS , vel TMS est rectus , supradictus angulus ad Tellurem referet maximam ejus a Sole elongationem , saltem in hypothesis

thesi quod Planetarum inferiorum orbitæ sint circulares, Solique concentricæ : quod quidem in Veneris orbe tuto adsumi potest ; in Mercurii vero orbe paullo longius a vero discedit . Quum autem in hoc triangulo , præter angulum reænum ad Planetam ; detur & latus SV , quod designat distantiam Solis ab ipso Planeta , & hypotenusa TS , quæ designat ejusdem Solis a Tellure distantiam , dabitur angulus elongationis maximæ STV.

162. Illud hic prætereundum non est ; Planetas inferiores minus abesse a Tellure quam Soli inferius junguntur , quam quum ei junguntur superne : quæ causa est , quare ipsi adpareant grandiores prope conjunctionem inferiorem , quam prope conjunctionem superiori-rem . Similiter Planetæ superiores minus distant a Tellure in suis oppositionibus cum Sole , quam in suis con-junctionibus . Nam posita distantia Telluris a Sole partium 10 , Saturnus , quum Soli oppositus est , distat a Tellure tantum partibus 8 ; at vero quum eidem conjunctus est , distat ab eadem Tellure partibus 10 ; adeoque prior distantia ad secundam erit , ut 8 ad 10 , sive etiam , ut 17 ad 21 . Similiter Juppiter , quando Soli oppositus est , distat a Tellure partibus 42 ; quando vero eidem est con-junctus distat a Tellure partibus 62 ; adeoque prior distantia est ad posteriorem , ut 42 ad 62 , sive etiam fere , ut 2 ad 3 . Denique Mars , quando est Soli oppositus , distat a Tellure Solis partibus 5 ; quando vero eidem conjunctus est , distat ab eadem Tellure partibus 25 ; adeoque prior distantia est ad securidam , ut 5 ad 25 , sive etiam , ut 1 ad 5 . Qua ratione Mars multo major , scilicet quinques major adparet , quum est *achronicus* , sive quum Soli opponitur , quam quum eidem conjungitur .

163. Illud hic etiam prætereundum non est , ad spe-ctus Planetarum *geocentricos* ab *heliocentricis* ut plurimum differre , neque æquales esse inter se , nisi quoni circulus , qui transit per Planetas duos , & per Solem transit etiam per Tellurem , vel saltem non longe de-flectit ab ea ; tunc enim angulus ad Solem adæquat an-gulum ad Tellurem , quippe qui sunt in eadem circulli por-

portione. Similiter adspectus alicujus Planetæ cum Sole visus è Tellure tunc tantum erit idem cum adspectu ejusdem Planetæ cum Tellure è Sole viso, quum Planeta est in tali situ respectu Solis, atque Telluris, ut ab utrisque æque distet. Sit enim Planeta in P (Fig. 15), Tellus in T, & Sol in S; quum distantia PT Planetæ a Tellure adæquat distantiam PS Planetæ a Sole, adspectus geocentricus idem erit cum heliocentrico; prior enim adspectus designatur per angulus PTS; posterior vero per angulum PST; qui quidem anguli æquales sunt, propter æqualitatem rectarum PT, PS. Sed hæc rectarum PT, PS æqualitas tantum in Mercurio, & Venere, qui interioribus gyris Solem amplectuntur, & etiam in Marte, qui non longe a Terra revolutionem suam perficit contingere potest; in reliquis vero duobus Planetis Jove, & Saturno, qui longius absunt a Tellure, numquam locum habet; adeoque numquam, respectu horum Planetarum, adspectus heliocentricus æqualis est geocentrico.

164. Denique adnotandum hic est conjunctiones, & oppositiones Solis, Lunæque, quæ singulis mensibus celebrabitur, communis nomine *Syzygias* nominari; sive enim Luna Soli conjugatur, id quod contingit, quum ipsa transit inter Solem, & Tellurem, sive ei opponatur, quod accedit, quum transit ultra Tellurem respectu Solis, semper in *Syzygiis* versari dicetur.

## C A P U T D E C I M U M .

### *Dē Planetarum Phasibus; sive Luminum incrementis, & decrementis.*

165. **C**apite primo, & secundo dictum est Planetas, atque Cometas corpora esse quasi sphærica, scabra, opaca, & densa instar Telluris nostræ: neque alia de causa lucida videri, nisi quia remittunt in oculos nostros partem luminis, quod mutuantur a Sole. Jam non omnes Planetæ è Tellure conspecti videntur semper

semper pleno orbe fulgere; sed in nonnullis ipsorum observatur luminum perpetua quædam varietas, atque mutatio; in Luna quide[m] nudo oculo; in Mercurio, autem Venere, & Marte nonnisi Telescopii subsidio. Nam Luna singulis mensibus crescere, atque senescere observatur: interdum enim curvata in cornua; interdum aqua portione divisa; modo sinuata in orbem; modo vero plena facie fulgens conspicitur. Non dissimilia phænomena, Telescopii subsidio, observantur in Mercurio, Venere, & Marte tantum; nam Juppiter, & Saturnus nullas subeunt luminum vicissitudines, sed pleno orbe semper fulgent. Hæc Phænomena Phases Planetarum passim appellantur, de quibus est hic sermo instituendus.

166. Et quidem quum Planetæ corpora sint quasi sphærica, necesse est alteram ipsorum medietatem a Sole illuminari, alteram tenebris penitus involvi. Id enim contingere necessario debet sphæris opacis, quæ corpori lucido objiciuntur. Perspicuum est autem medietatem illam Planetarum illuminari a Sole, quæ ipsi obversa est; reliquam vero medietatem, quæ a Sole aversa est, obscuram permanere. Quocirca spectator in Sole constitutus nullam luminum varietatem deprehenderet in Planetis, si ipsos ei contueri liceret, sed eisdem plena semper facie fulgentes conspiceret.

167. Longe aliud accidit spectatoribus in Tellure constitutis, respectu quorum Planetæ nonnulli omnes phasium vicissitudines videntur subire. Etenim quum tria contingere possint; *Primum*, ut dimidia pars Planetæ illuminata a Sole tota Telluri sit aversa: *Secundum*, ut tota ei sit obversa: & *Tertium*, ut ei obvertatur pro parte tantum: siquidem primum accidat, Planeta *obscurus*, atque *inconspicuus* erit Terricolis; si secundum continget, *totus lucidus* adpareat necesse est; denique si tertium accidat, Planeta neque *totus opacus*, neque *totus lucidus*, sed *partim opacus*, *partimque lucidus* adparebit: lucida autem pars major erit, vel minor, prout major, vel minor hemisphærii illuminati pars Telluri objicitur.

168. Quæ omnia planiora sient ex adposito schema-

## 92 PHILOSOPHIÆ NATURALIS

se 16, in quo circulus ABCDEFGH interior repræsentat orbem alicujus Planetæ inferioris; circulus vero exterior Tꝫ refert orbem Telluris, in quorum centro communis est Sol S: Itaque siue Planeta sit in A, siue sit in B, siue in C, siue in alio quovis sui orbis puncto, semper ea ipsius medietas, quæ Soli obversa est, lucida erit, talisque adparebit spectatori in Sole constituto. At Terra existente in t, Planeta autem in A, quo loco ipse Soli jungitur inferne, Terricola in t, videbit Planetam in A penitus obscurum, siue omni lumine solari delictum: ea enim Platieta pars, quæ a Sole aversa est, Telluri obvertitur: Sed progresso Planeta ad B, scilicet ad occasum Solis, aliqua medietatis illustrata pars Telluri obvertetur, sed multo major medietatis obscuræ; quumq; Planeta ex tam longinguo intervallo spectatus adpareat tamquam planus, pars illuminata Telluri obversa in cornua a Sole aversa, hoc est ad occasum vergentia pro tendi videbitur: Procedente Planeta ad C illuminati hemisphaerii medietatem Terricola videbit, adeoque Planeta adparebit dimidiatus, siue bisectus. In D adparebit gibbus, hoc est plusquam quam dimidiatus. In E denique, quo loco Planeta Soli jungitur superne, pleno orbe fulgens adparebit; quia integrum Planeta hemisphaerium illuminatum Telluri hoc in situ obvertitur.

169. Easdem prorsus phases subit Planeta, dum per F, G, H redit ad A: nempe in F adparebit iterum gibbus; in G dimidiatus, siue bisectus; in H corniculatus, sed cornua orientem spectabunt; in A denique obscurus: Et quamquam in hac phasim vicissitudine indicanda motus Telluris rationem non habuerimus, quam semper in eodem loco et constitutam supposuimus, id tamen nonnisi facilitatis causa factum est; is enim motus nihil prorsus phasim supradictæ vicissitudini officit: id tantum facit, ut eadem phases aliquanto tardius sibi succedant; loca enim ipsa, in quibus phases contingunt, mutantur. Scilicet quum Planeta, quando Tellus manebat immobilis, videretur bisectus in loco C, is idem, dum innotetur Tellus, eamdem phasim subibit ultra locum C, prope scilicet locum D, quo in loco gibbus contuebatur.

Et quo-

Et quoniam Planeta existente in A conjungitur Soli in parte inferiori, existente vero in D conjungitur Soli in parte superiori, ut modo adnotatum est, sequitur Planetas inferiores, quum versantur prope conjunctiones inferiores, corniculatos adparere: & quidem cornua tendere versus ortum, quando ipsi sunt ad ortum Solis, tendere vero versus occatum, quando vicissim sunt ad occasum Solis. Quum vero versantur prope conjunctiones superiores videri gibbos: in ipsis conjunctionibus inferioribus esse opacos, adeoque inconspicuos; in ipsis denique conjunctionibus superioribus pleno orbe fulgere, sed esse pariter inconspicuos: quia a Solis lumine, cui coniuncti sunt, omnino occultantur.

170. Hujusmodi phasium vicissitudines consequuntur ex eo, quod Planetæ inferiores orbibus suis Solem complestantur. Sane quum id primus omnium posuissest *Copernicus*, statim ei arduus se nodus, atque difficilis obiectit, a quo nodo, non dum reperto Telescopio, ægre se expedivit: cuius modi resolutionem in magni *Galilæi* tempora fata distulerant. Etenim quum Venus perpetuo Solem ambiret, & quandoque supra Solem respectu Telluris, quandoque vero infra ipsum veniret, subeunda ei erant incrementa, & decrementa luminum eorum non dissimilia, quæ modo a nobis descripta sunt; quum tamen nihil horum tunc deprehenderetur in Venere, sed rotunda semper, plenoque orbe fulgens oculis nudis spectata adpareret. Quem laqueum, ut declinaret *Copernicus*, peculiarem prorsus constitutionem in Venere communisci debuit: Itaque aliquando arbitratus est Platonem istum inæqualitate, & celeritate cursus ad Lunæ, Telluris, Martis, cæteroru[m]que Planetarum naturam accedere, lumine vero proprio, sibiisque insito ad naturam accedere inerrantium siderum; ( quam ad conjecturam non parvi ponderis erat vividum, splendensque lumen, quod Venerem fundere videbat ) interdum etiam censuit Venerem esse diaphanam, sive pellucidam, in quam idcirco quum decidissent radii solares, viam sibi planam, atque apertam ad ulterius progrediendum esse concessam. Sed utramque *Copernici* conjecturam primus infit-

infirmavit Galilaeus, qui Telecopii beneficio phasium vicissitudines in Venere observavit: qua tamen ex re adparuit, quam vere Copernicus posuisset Veneris, atque adeo Mercurii orbitam Solem cingere.

171. Ab hac phasium vicissitudine modo exposita prorsus immunes sunt Juppiter & Saturnus. Etenim quum Saturni, Jovisque a Sole distantiae multo majores sint, quam distantia Telluris ab eodem Sole, inde fit, ut quod eorum hemisphaerium Soli obvertitur, idem obvertatur ad sensum etiam Telluri; adeoque Planetæ isti duo semper pleno orbe fulgentes adpareant oportet. In Marte aliter se res habet: nam quum Martis a Sole distantia sit tantum sesquialtera distantia Telluris ab eodem Sole, manifestum est Martis hemisphaerium Soli obversum non semper ad sensum obvertit ipsi Telluri. Atque ut schemate aliquo res ostendatur, sit T locus Telluris (Fig. 17.) & S Sol. Patet Martem in situ A, vel B, dum vel Soli conjungitur, vel eidem opponitur eamdem prorsus faciem Telluri, & Soli obvertere: itaque utroque loco Mars pleno orbe fulgens adparebit. At in situ M, vel m, nempe quum angulus ad Tellurem STM, vel STm est rectus, sive etiam quum Mars quadratum cum Sole adspicuum obtinet, hemisphaerium a Sole illuminatum integrum Telluri non obvertitur; quare in utroque illo situ Mars ad partes a Sole aversas paululum lumine deficiens, adeoque gibbus adparebit.

172. Sed opera pretium est Lunares phases, quæ apud vulgus ipsum, nedum apud Astronomos celebres sunt, paullo fusiis hic describere. Itaque sit S (Fig. 18.) Sol, T Tellus, RTS portio orbitæ terrestris, quam nempe Terra motu annuo circa Solem describit, & ABCDEFGH orbita Lunaris, in qua scilicet fertur Luna circa Tellurem ab occasu in ortum spatio dierum  $27\frac{1}{3}$  fere. Connequantur Solis, Lunæque centra cum recta SL, perque Lunæ centrum transeat planum MLN, ad quod planum recta SL perpendiculariter insistat. Planum istud efficiet in corpore Lunari circulum, qui erit lucis, & umbras finitor, sive etiam circulus illuminationis, illuminatam scilicet Lunæ partem ab obscura distin-

stingens. Eodem modo jungantur centra Terra & Lunæ cum recta TL, quæ normalis sit ad aliud planum PLO transiens quoque per Lunæ centrum. Planum istud efficit in corpore Lunari circulum, qui Lunæ partem a Terra spectabilem ab occulta, & inconspicua dividet, ilque *circulus visionis* dici poterit.

173. Itaque ponamus primo Lunam esse in A, quo tempore vnde Tellure Soli opponitur. In hoc situ coincidente circulo visionis cum circulo illuminationis, tota Lunæ illustratæ facies a Terricolis videbitur, hæcque phasis dicitur *Luna plena*, *Luna pernocte*, & *Plenilunium*. Ponamus secundo Lunam pervenisse ad B: in eo situ circulus visionis deflectit aliquantulum a circulo illuminationis, adeoque hemisphærium illuminatum MPN non totum Terræ obvertitur, sed pars MP è Terricolarium conspectu subducitur. Itaque pars Lunæ visibilis non nihil ab hemisphærio deficiet, ipsaque gibba adparabit. Ponamus tertio Lunam ad C pervenisse: in hoc situ circulus visionis rectum cum circulo illuminationis angulum continet; adeoque illuminati hemisphærii MPN pars tantum dimidia videtur a Tellure, & Luna *bisecta*, sive *dichotoma* adpellatur. Et quoniam in hoc situ Sol, & Luna è Tellure spectati sunt in adspectu ferre quadrato, sequitur Lunam tunc videri *dichotomam*, sive *biseptam*, quum est in quadratura cum Sole.

174. Ponamus quarto Lunam pervenisse ad D: eo in situ exigua tantum illuminati hemisphærii pars Telluri obvertitur; quapropter Luna apparebit curvata in cornua; tuncque circulus visionis obtusum cum illuminationis circulo angulum continet. Denique ponamus Lunam pervenisse ad E, hoc est ad conjunctionem cum Sole; hoc in situ coincidit iterum circulus visionis cum circulo illuminationis; sed Luna erit penitus obscura: nulla enim illuminati hemisphærii pars Telluri objicitur. Hæc phasis *Novilunium*, *Interlunium*, *Luna silens*, *Synodus Luminarium*, *Copula*, & *Neomenia* dicitur. Eisdem phasibus patitur Luna, quando alteram orbis sui medietatem peragrat. Scilicet in F cursus est *corniculata* cum hoc discrimine, quod ante-

novilunium cornua spectabant ad occasum, post novilunium vero spectant ad ortum; in G adparerunt rursus *bisecta*; in H iterum *gibba*; denique in A *pleno orbe* denuo fulgebit.

175. Antequam finem huic *Capiti* imponamus, advertendum est tempus, quod labitur a novilunio uno ad proximum novilunium, sive a coniunctione Lunæ cum Sole ad proximam coniunctionem, longius esse tempore periodico. Hinc duplicitis mensis Lunaris ortæ distinctione apud Astronomos, quorum alter *Synodicus* alter *Periodicus* adpellatur. Mensis periodicus est spatium temporis, quod labitur ad hoc ut Luna ab aliquo Zodiaci puncto, veluti ab initio Arietis, profecta ad idem Arietis initium redeat. Mensis vero *Synodicus* est mensura temporis, quod labitur ad hoc ut Luna ab aliqua phasi ad eamdem phasim redeat, veluti a novilunio ad novilunium proxime sequens, aut a plenilunio ad plenilunium.

176. Oritur hæc distinctione aut ex motu Telluris reali ab occasu in ortum, aut etiam ex motu Solis adparenti. Etenim dum Luna circulationem suam absolvit circa Tellurem, spatio dierum  $27\frac{1}{3}$ , Sol etiam adparenter ambit Tellurem: adeoque si alibi Luna, & Sol adparente conjuncti, Luna post dies  $27\frac{1}{3}$  regredietur ad eundem Cœli locum, ubi Soli jungebatur, at vero ibi Solem non inveniet interea motu adparenti ulterius progressum: adeoque absolutus jam erit mensis Lunæ periodicus, mensis autem *Synodicus* non item; qui ut absolvatur necesse est, ut Luna Solem consequatur. Et quoniam Luna Solem non consequitur, nisi post dies  $2\frac{1}{3}$  ut alibi ostendetur, sequitur mensem *Synodicum* absolvi post spatium dierum  $29\frac{1}{2}$ .

177. Idem consequitur ex motu Telluris; dum enim Luna integrum revolutionem suam perficit circa Tellurem in consequentia signorum, Tellus ipsa una cum orbita Lunari promovetur nonnihil etiam in consequentia signorum circa Solem. Sit AD portio orbitæ Terrestris (*Fig. 18.*), S Sol, T Tellus, & ADL orbita Lunaris, in qua Luna versetur in L, in coniunctione scilicet

cet cum Sole. Ponamus Tellurem spatio mensis periodici, quem diebus  $27\frac{1}{3}$  absolvi diximus, descriptisse arcum Tz. Itaque Tellus in fine ejus temporis reperietur in t: orbita vero Lunaris ACDL translata erit in acdl; atque adeo ducta per centrum Telluris et recta et parallela ipsi CTL, in fine ejusdem temporis Luna reperiatur in puncto l, quod respondet puncto L prioris orbitae. Jungantur centra Solis, & Telluris per rectam SMt: ea erit ad partes orientales respectu Lunæ sitæ in l. In ea autem recta quum accidere debeat conjunctio Solis, Lunæque, sequitur Lunam, ut Soli conjungi possit, ulterius adhuc per arcum /M ferri debere; qui quidem arcus tot ferme gradus continet, quot gradus continet arcus Tz a Tellure interea temporis descriptus. Nam propter parallelas TLS, et anguli alterni TSz, Mz æquales sunt inter se. Et quoniam Luna ad describendum arcum /M eget ferme diebus  $2\frac{1}{6}$ , ut deinceps demonstrabitur, inde fit ut mensis Lunaris Synodicus non absolvatur nisi post dies  $29\frac{1}{2}$ .

178. Unde facile modo erit intervalla phasium notare; quin immo totam luminum Lunæ incrementorum, vel decrementorum rationem ad tempora accommodare. Finge ehim integrum Lunæ revolutionem Synodicam a conjunctione incœptam, atque ad sequentem conjunctionem absolutam in quatuor æquales partes scari; ita scilicet, ut primo Luna sit Soli conjuncta; deinde sit in quadrato cum ea adspicere; tum ei sit opposita; denique iterum cum ipsa quadratum adspicuum obtineat; fingeque præterea integrum tempus revolutionis Synodicæ in totidem æquales partes distribui. Itaque a conjunctione ad quadraturam primam intercedent dies  $7\frac{1}{3}$  ferme: a prima quadratura ad oppositionem dies totidem; totidemque etiam elabentur ab oppositione ad quadraturam alteram; totidemque ab hac ad conjunctionem.

179. Et quoniam Luna in conjunctione oculis nostris penitus conspicua non est, in oppositione pleno orbe fulget, in utraque autem quadratura videtur bisecta; adpareat l. primis a conjunctione diebus  $7\frac{3}{4}$  Lunam

catam contueri debere , ita tamen , ut cornua ad ortum spectent ; eaque dietim adaugeri usque ad quadraturam primam , quo in loco evadet bisecta . II . Secundis totidem diebus  $7 \frac{1}{6}$  a quadratura prima Lunam videri debere gibbam , ejusque lumen sentim incrementum suscipere usque ad oppositionem , quo in loco pleno orbe fulgens adparebit . III . tertis ab oppositione diebus  $7 \frac{1}{6}$  Lunam decrescere , viderique gibbam usq; ad quadraturam alteram , quo in loco iterum adparebit bisecta . Deniq; quartis a quadratura secunda diebus  $7 \frac{1}{6}$  Lunam pariter esse decrecentem , viderique iterum falcatam , nisi quod hic cornua vergunt ad occasum usque ad conjunctionem , quo in loco inconspicua prorsus evadet .

## CAPUT UNDECIMUM.

### *De Eclipsibus Planetarum quum primariorum , etum secundiorum .*

180. **P**lanetarum phasibus jam descriptis adfinia sunt phænomena Eclipsum . Est autem Eclipsis vox græca , quæ latine *deliquium* , sive *defectionem* designat ; eaque utuntur Astronomi ad significandos pallores , laboresque , quos interdum patiuntur Planetæ . Scilicet quinadmodum ægros , quum deliquium animi patiuntur , in *Eclipsim* incidiſſe dicimus ; ita pariter Planetæ pleno orbe fulgentes , si statim expalleant , *Eclipsim* , sive *deliquium* pati dicuntur .

181. Arque ut rem ab ovo , quod ajunt , repetam sciendum est , corpus omne opacum Soli expositum umbram projicere in plagam Soli oppositam respectu sui ipsius . Est autem hæc umbra nihil aliud , nisi *carentia luminis in illo spatio , in quo umbram adesse dicimus* . Quem enim radij Solares , qui in superficiem corporis opaci decidunt , ab ipso opaco corpore intercipiantur , eo loci penetrare nequeunt . Quod quin ita sit , sequitur Planetas omnes , ex eo quod opaci sunt , umbram projectare debere versus plagam Soli oppositam . Et quoniam Pla-

Planetarum figura præterpropter sphærica est , siquidem iij Solem magnitudine æquarent , umbra ipsorum esset *Cylindrica*; si superarent , umbra referret *conum*, cui apes *obtruncatus* est , *versusque partes baseos ulterius producuntur*: utroque autem calu umbra porrigeretur in infinitum . Nunc quum Sol vicissim Planetas exsuperet , umbrae Planetarum *conicæ* erunt , singulæ in acutissimum apicem desinentes .

182. Umbras istas Planetarum non longe ab Eclipticæ plano defleßere facile adparebit , si ea memoria repetantur , quæ superius dicta sunt ; nempe *primo* Solem in plano omnium orbitalium , atque adeo in plano ipsius Eclipticæ esse constitutum ; & *secundo* plana orbitalium ita quidem ad se mutuo esse inclinata , ut tamen inclinationis quantitas intra paucissimos gradus consistat , Hinc enim fit , ut etiam si Planeta sit in limite , quo in loco , ut supra adnotatum est , maximam latitudinem adipiscitur , tamen umbra ipsius nonnisi modico intervallo ab Eclipticæ plano deflecat . Tendente deinde Planeta versus nodum , intervallum illud continuo minuitur ; & primo quidem umbra levissime stringet planum Eclipticæ ; deinde altius illud penetrabit : donec Planeta in nodo constituto axis umbræ (per axem intellegimus lineam , quæ a vertice umbræ ad centrum baseos ipsius , sive etiam ad centrum Planetæ , a quo umbra proficiuntur , tendit ) coincidat cum piano ipsius Eclipticæ . Quæ quum ita sint , accidere potest interduum , ut Planeta unus incidat in umbram alterius ; Planetæ enim & umbrae in iisdem Cœli regionibus , quæ prope Eclipticæ planum sunt , errant . Id autem quum accedit Planeta Solis lumine orbatus Eclipsem patiatur oportet .

183. Sed ut Planeta unus incidat in umbram alterius necesse est illum spectatum ab isto Soli oppositum esse ; umbrae enim Planetarum semper in plagam Soli adversam projiciuntur . Quapropter Luna non alio tempore incidere potest in umbram Telluris , nisi quum pleno orbe fulget , Solique opponitur . Et similiter Jovis , Saturnique satellites tunc umbras suorum primiorum

riorum subibunt, quum in Solis oppositionem, ipsorum primiorum respectu, venerunt.

184. Jam queniam Tellus motu annuo fertur circa Solem in Eclipticæ plano, etiam umbra Telluris pat i velocitate feretur circa Solem in eodem Eclipticæ plano. Quocirca si planum orbitæ Lunaris congrueret cum piano Eclipticæ, singulis mensibus Luna Terrestrem umbram pervaderet, singulisque mensibus deliquia Lunaria contingenterent: nam singulis quoque mensibus Luna Soli opponitur. At quia Lunaris orbitæ planum deflebat a piano Eclipticæ, non semper, dum Luna Soli opponitur, invenitur in piano Eclipticæ, sed ut plurimum celebrantur oppositiones extra Eclipticæ planum. Itaque remanet, ut deliquia Lunaria contingant tunc tantum, quum oppositiones Lunæ cum Sole vel celebrantur in piano Eclipticæ, vel saltu non longe ab eo piano contingunt.

185. Quibus positis nullo negotio ostendetur, Eclipticæ Lunae contingere, quum *Tellus*, & *Luna* versantur vel in linea nodorum, vel saltu non procul ab ea, ita tamen, ut *Tellus* sit inter Solem, & Lunam. Ut enim deliquia Lunaria accidant, duo postulantur. Primum ut Luna constituatur in piano Eclipticæ, vel saltu non longe ab illo piano deflebat. Alternum ut Luna Soli sit opposita. Et primum quidem obtinebitur, si Luna versetur aut in ipsis nodis, aut prope illos: alterum vero ut habeatur, necesse est Tellurem versari inter Solem, & Lunam, adeoque etiam prope nodos esse constitutam. Quapropter quum *Tellus* his singulis annis versetur in nodis, semel in nodo uno, iterum in nodo altero, duo vel tria ad summum (id quod rarissime accedit) deliquia Lunaria quotannis accidere poterunt, quorum tamen quandoque alterum, interduum utrumque deflebat potest; nempe si Tellure in alteruero nodorum constituta, Luna in multis ante diebus oppositionem Solis evaserit.

186. Quemadmodum autem Luna his, vel ter incideat potest quotannis in umbram Telluris, ita vicissim *Tellus* his etiam, vel ter singulis annis pervadore potest umbram

umbram Lunare: id quod quando accidit, deliquia Terrestria contingunt, quæ vulgus minus proprie adpellat *Eclipses Solares*. Sed ut detur locus hujusmodi Eclipsibus, non modo oportet Lunam constitui in plano Eclipticæ, aut saltem prope illud, ut nempe umbra ipsius involvere possit Tellurem ab Eclipticæ plano numquam deflectentem, verum necesse est quoque, ut Luna Soli jungatur; ad hoc nempe, ut Lunaris corporis interpolatione Solares radii a Tellure arceantur. Quapropter ut contingent deliquia Terrestria necesse est *Terram, & Lunam versari vel in linea nodorum, vel saltem non procul ab ea, ita tamen ut Luna sit inter Silem & Tellurem.* Estque hic etiam adnotandum, quod etiā Tellus bis singulis annis versetur in nodis, semel in nodo uno, iterum in nodo altero, possit tamen vel alterum, vel utrumque Terreste deliquium deficere; nempe si Tellure in alterutro nodo constituta, Luna multis antediebus Solis conjunctionem evaserit.

187. Habent autem locum haec omnia in cōmitibus Jovis, & Saturni; nisi quod quum umbræ horum Planetarum sint crassissimæ; (vastissima enim sunt corpora Jovis, atque Saturni). Intęque plana, in quibus satellites moventur, ad suorum primiorum plana modice inclinata: in singulis revolutionibus necesse sit satellites umbras suorum primiorum subire. Inde est ut Eclipses in Cœlo Jovis, & Saturni frequentissime accident, singulisque pene noctibus celebrentur nonnullæ, quæ a nobis Telescopii sublido observantur.

188. Cæterum umbra Tellutis Lunam solam tenetbris suis involvit, neque ad superiores Planetas Martem, Jovem, & Saturnum pertingit. Et enim altitudo umbræ Terrestris, brevior est, quam ut ad tanta intervalla possit pervenire. Id autem eo magis verū est de umbra Lunæ, cuius diameter est tantum subquadruplica diametri Terrestris. Idem dicendum est cum de umbra Jovis, quæ ad Saturni Cœlum numquam porrigitur, quum de umbra Martis, quæ ne ad Jovem quidem ipsum, adeoq; nec ad Saturnum potest pertingere. Unde fit, ut omnes Planetæ primarii, excepta Tellure, ab Eclipsibus sint imminentes,

180. Si qui sint, quibus placeat altitudinem umbræ vel Terrestris, vel alterius cuiusvis Planetæ investigare, iij hanc adhibere poterunt rationem. Repræsentet *Sf* (*Fig. 19.*) globum Solis, cuius centrum est *O*, & *Pp* globum Planetæ, cuius centrum est *C*. Ductis tangentibus *SP*, *sp*, iisque protractis ulterius, usque donec converniant in *A*, erit punctum *A* apex umbræ: recta vero *CA* jungens apicem cum centro Planetæ erit altitudo ejusdem umbræ, quæ quidem producet versus Solem transibit per ejus centrum *O*. Junctis autem diametris *PCp*, *SOp*, erunt tum triangula *ASS*, *APP*, quum triangula *ASO*, *APC* similia inter se; adeoque ut se habet *Ss* ad *Pp*, ita erit *AS* ad *AP*; utque se habet *AS* ad *AP* ita erit *AO* ad *AC*; & præterea, ob æqualitatem rationum, ut se habet *Ss* ad *Pp* ita erit *AO* ad *AC*: dividendo autem erit differentia rectarum *Ss*, & *Pp* ad *Pp*, ita *CO* ad *CA*; sive ut differentia diametrorum Solis & Planetæ ad diametrum Planetæ, ita distantia Planetæ a Sole ad ejus umbræ altitudinem. Atqui tres priores hujus proportionis termini cogniti sunt; quare non ignorabitur quartus. Initio autem calculo cognoscetur altitudinem umbræ Terrestris esse 9 partium earum, quarum distantia Telluris a Sole continet mille partes; adeoque quum unaquaque pars adæquet 12 diametros Terrestris (distantia enim Telluris a Sole est diametrorum Telluris 12000, nisi supra dictum est) eadem umbræ altitudo erit diametrorum Telluris 108; adeoque longe ultra Cœlum Lunæ se se diffundet, quippe quod absit a Tellure solis diametris 20 ejusdem Telluris. Non tamen ad Cœlum Martis perveniet: quum enim distantia Telluris a Sole sit partium 1000, altitudo autem umbræ sit partium 9, apex umbræ Terrestris distabit a Sole partibus 1009: At Cœlum Martis distat a Sole partibus 1501; adeoque longe superius est, quam ultimus terminus umbræ Terrestris.

190. Præterea initio calculo comparietur umbrarum Martis, Jovis, & Saturni altitudines esse respectivae partium 9, 1155, & 1526 earum, quarum distantia Telluris a Sole mille continet partes; adeoque umbræ Martis, & Telluris

luris sunt accuratissime æquales inter se, umbra vero Jovis pauho longior est umbra Saturni. Neque mirum: quamquam enim Tellus & Juppiter sint respective maiores Marte, & Saturno, adeoque longiores umbras fundere debeant ratione magnitudinum; tamen quum Soli viciniores sint, breviores propter distantiam umbras emitent. Ex quo fit ut Martis, quamquam Tellure minoris, umbra ejus umbram adæquet; Saturni vero Jove minoris umbra umbram ipsius Jovis exsuperet. Quum autem umbra Martis sit partium tantum 9, Mars vero distet a Sole partibus 1523, distantia apicis umbræ a Sole erit partium 1532; adeoque eadem umbra erit longe inferior Jove, cuius a Sole distantia est partium 5201. Similiter quum umbra Jovis sit partium 1155, distantia vero Jovis a Sole sit partium 5201, distantia apicis umbræ a Sole erit partium 6356; atque adeo longe inferior Saturno, cuius a Sole distantia est partium 9538.

191. Eadem prorsus ratione facili negotio quisque investigate poterit altitudinem umbræ Lunaris in novilunis, quo tempore vidimus Solem, vel potius Tellurem deficere posse. Nempe quum diameter Solis centies & decies contingat diametrum Telluris, diameter vero Lunæ sit tantum subquadrupla diametri Telluris; erit diameter Solis ad diametrum Lunæ ut 440 ad 1; adeoque differentia diametrorum Solis, & Lunæ erit ad diametrum Lunæ ut 439 ad 1. Præterea quum distantia Telluris a Sole sit diametrorum Terrestrium 12000; distantia autem media Lunæ a Tellure sit diametrorum ferme 30, erit distantia Lunæ a Sole in coniunctione diametrorum terrestrium 11970: adeoque ad habendam altitudinem umbræ Lunaris faciendum est ut 439 ad 1 ita 11970 ad  $27\frac{1}{2}$  fere: tantaque idcirco erit altitudo umbræ Lunaris, quæ propterea ad Tellurem non pertinet. Quod si umbra Lunæ in ejus media a Tellure distantia Terram non attingit, eo minus id contingat quum Luna est in maxima a Tellure distantia. In distantia vero minima Lunæ a Tellure, quæ est diametrorum fere  $27\frac{1}{2}$  umbra Lunaris Tellurem contingit. Est quippe tunc distantia Lunæ a Sole diametrorum

$11972\frac{1}{2}$ : adeoq; faciendo ut 439 ad 1 ita  $11972\frac{1}{2}$  ad  $27\frac{1}{3}$  fere, habebitur altitudo umbræ Lunaris, quæ ipsam Lunæ minimam a Tellure distantiam adæquat.

192. Raro itaque Lunaris umbra Tellurem involvit, neque id accidit, nisi quando Luna est *Perigea*, sive Telluri proxima. Quod si videmus Solem deficere etiam quando Luna est *Apogea*, ea eclipsis haud quidem ab umbra Lunæ, sed potius ab ipsius corporis Lunaris objectu, & interpositione pendebit; sive, ut mox explicabitur, a penumbra Lunari. Neque tantum Sol, sed & Planetæ, stellæque fixæ, quæ Zodiaci ambitu continentur, a Luna interdum ea ratione occultantur. Etenim si Luna directo inter oculum & Planetam, vel stellam quamvis interponatur, eorum conspectu orbemur necesse est. Idem accidit quoque Jovis, Saturnique Comitibus, qui quum transeunt ultra Jovem, & Saturnum respectu Telluris ab ipsius Jovis, Saturnique corpore occultantur. Quapropter in Comitibus Jovis, & Saturni duæ Ecliptium species locum habent, una quæ oritur ab umbra Jovis, vel Saturni, eaque realis est: revera enim Comites Jovis, & Saturni tunc omni Solari lumine destituuntur; altera quæ proficitur ab interpositione, & objectu Jovis, atque Saturni, eaque realis proprie non est; tunc enim satellites Jovis, & Saturni nihil luminis amittunt: tantum evadunt nobis inconspicui propter Lunaris corporis interpositionem. Sed ut Luna alicujus sideris conspectum præripere nobis possit, necesse est sidus versari prope planum orbitæ Lunaris; nam si longe absit ab illo plano, omnino a Luna occultari non poterit.

193. Planetis inferioribus illud specialiter accidit, ut interdum in ipsius Solis facie, tamquam maculae quædam nigrae videantur. Id autem idcirco accidit, quia Planetæ isti ambiant Solem ad minorem distantiam, quam Tellus; atque adeo conspecti a Tellure possunt infra Solem adparere. Finge igitur Mercurium, & Venerem Soli inferius conjungi, neque tamen longe abesse a nodo, hoc est ab ipsius Eclipticæ plano; sane necesse est eos tunc in ipso Solari disco adparere. Et quidem

dem Mercurius saepe saepius in Solari disco deprehensus est ab Astronomis. Sed Venus semel tantum visa est, in- star maculæ nigrae, Solis discum pertransire; quod uni- cum spectaculum observavit *Horroxius* anno Christi ~~clxxxix~~<sup>clxxxix</sup>; nec iterum stella Veneris in Sole adpa- rebit, nisi anno ~~clccclxi~~<sup>clccclxii</sup> mense Majo die xvi mane. Id ipsum accidit etiam Comitibus Jovis, & Saturni, qui quum directo transeunt inter Solem, & Tellurem in ipso Jovis, aut Saturni disco conspici solent.

194. Circa Eclipses Solis, & Lunæ illud hic etiam est adnotandum, eas aut totales esse, aut tantum partiales. Ut totales dici possint, opus est totam Lunam, totumque Solem tenebris involvi; ut vero partiales queant adpellari, opus est nonnullam ipsorum partem collucere, reliquam lumine destitui. Sane unde accidat, ut Luna interdum obscuretur universum, interdum vero non nisi pro parte, facile erit intelligere. Etenim si Ecliplis Lunaris celebretur vel in ipso nodo, vel pro- prius nodum, sic ut Luna altissime Terrestrem umbram pervadat, fiet Ecliplis totalis. Quod si vero deliquum accidat in paullo majori a nodo distantia, tunc Luna aliqua sui parte Terrestrem umbram pervadet, reliqua parte supra umbram remanente; tuncque contingit Ecliplis partialis.

195. Difficilius est intelligere quare Solares Eclipses interdum sint totales, interdum vero partiales. Cujua phænomeni causam antequam exponamus, operæ pre- sumptum est nonnulla de penumbra, ejusque origine præ- mittere. Si Sol puncti rationem haberet, umbræ Planeta- rum abirent in infinitum, effentque tamquam toti- dem Coni apice destituti; qui quidem Coni ulterius versus verticem protracti, in ipsum Solem desinerent. Nunc quoniam Sol puncti rationem non habet, sed Pla- netas longe exsuperat, umbræ eorumdem Planetarum erunt quidem Conicæ, & quidem cum apice, sed per- numbra undique circumseptæ. Sit S Sol (Fig. 20.), & P Planeta quivis: jungantur centra Solis, & Planetae per rectam PS, per quam agatur planum quodvis, effi- ciens in utroque sidere duos circulos; deinde ducantur

binae

binæ rectæ lineæ utrumque circulum ex eadem parte contingentes. Ex productæ concurrent ultra Planetam. Tum supponatur alteram ipsarum, fixo manente puncto concursus, revolvi circa Planetam, usque donec redeat ad positionem, unde discesserat. Ex hac circumvolutione generabitur superficies quædam Conica, quæ Planetæ umbram terminabit.

196. Ducantur nunc binæ aliae tangentes, quarum altera contingat superne Solis circulum, inferne autem circulum Planetæ: altera vero contingat vicissim inferne Solis circulum, superne vero circulum Planetæ, ut in *schema* videre est. Binæ istæ tangentes convenient inter Solem, & Planetam, deinde vero ad partes quin Solis, tum Planetæ divergent in infinitum. Itaque si altera ipsarum, fixo manente puncto concursus, intelligatur revolvi circa Planetam, circaque Solem usque donec redeat ad positionem unde discessit, generabitur superficies Conica duplex infinita, in cujus portione illa, quæ est ultra Planetam duæ sunt partes distinguendæ. Prior pars tota occupatur ab umbra Planetæ, quam Conicam esse vidimus. Altera pars, quæ umbram Conicam Planetæ undique, & æqualiter cingit, penumbram continebit: Etenim spatum istud umbrae circumiectum illuminatur quidem non a toto Solis lumine, sed tantum ab aliqua ipsius parte, quæ major est, aut minor, prout partes penumbræ magis ab umbra sunt remotæ, aut ad illam magis accedunt: Id quod est in causa, ut penumbra non ubique sit ejusdem claritatis; partes enim ipsius extinxæ, & quæ ab umbra maximæ absunt, claritate cæteris præstant; intimæ vero, quæ ipsi umbræ proximæ sunt, obscuritate alias superant; reliquæ intermedios luciditatis gradus obtinent.

197. Videamus modo, quid in Eclipsibus Solis, Lunaque efficere possit hujusmodi penumbra. Itaque quoniam umbra Telluris a penumbra undique circumambitur, antequam Luna umbram Telluris ingrediatur, debet penumbram subire; ex quo fit, ut ingruente Eclipseos tempore, Luna expallere incipiat; magis autem magisque expalleat, prout interiores penumbræ partes ingre-

ingreditur, usque donec ut ad umbram quin devenerit; penitus obcuretur: pallor enim exoritur a penumbra; obscuratio autem nascitur ab umbra. Nec dissimiliter quoniam umbra Lunæ undique a penumbra circumsepitur, tempore deliquii Solaris erunt tractus Telluris, quos occupabit penumbra Lunæ, erunt & alii, quos fortasse umbra occupabit, si scilicet distantia Telluris a Luna minor sit altitudine umbrae Lunaris. Neque enim putandum est umbram Lunarem universam Tellurem tegere posse; nam quum Luna Tellure multo minor existat, eo magis umbra Lunaris, qua parte in Tellurem offendit, angustior erit disco Terrestris. Itaque quæ loca Telluris occupantur ab umbra, ea Solem omnino non videbunt, adeoque respectu ipsorum celebrabitur totale Solis deliquium. Quæ vero loca occupantur a penumbra, iis in locis Sol pro parte latebit, pro reliqua vero parte adparabit; unde respectu eorum celebrabitur partialis Solis Eclipsis; quæ quidem major erit, vel minor, prout loca, in quibus Eclipsis celebratur umbræ viciniora sunt, aut ab umbra sunt remotiora.

198. Sed de Eclipsibus Solis illud etiam est hic advertendum, eas aut esse *totales cum mora*, aut *totales absque mora*, aut denique *annulares*; id quod ex subiecta figura constabit, in qua (Fig. 21.) punctum O refert spectatoris Terrestris oculum, L centrum Lunæ, & S centrum Solis in una recta linea OLS collocata (id quod quando accidit, rarissime autem id accidit, Eclipsis centralis dicitur). Ducantur rectæ OA, OB tangentes Solem in plano per rectam OS transeunte: ducantur item rectæ OC, OD tangentes Lunam in eodem plano. Quibus construatis erit angulus AOB adparens Solis magnitudo; angulus vero COD erit Lunæ adparens magnitudo. Quod si angulus COD major sit angulo AOB Eclipsis Solaris erit totalis, & quidem *cum mora*. Sin autem angulus COD æqualis sit angulo AOB Eclipsis Solaris erit etiam totalis, sed *sine mora*. Denique si angulus COD sit minor angulo AOB, Eclipsis Solaris erit *annularis*. Scilicet circa Lunam luminosus Solis circulus, quasi *annulus aureus* eam cingens, adparebit.

CA-

## CAPUT DUODECIMUM.

*De Planetarum motibus, quatenus è Tellure  
spectantur: ubi de corum Stationibus,  
Directionibus, & Retrogra-  
dationibus.*

199. **Q**uemadmodum Sol, qui ex *Copernici* sententia quiescit in centro Universi, spectatus è Tellure ab occasu in ortum circa Solem translata adparenter movetur sub Ecliptica etiam ab occasu in ortum; ita Planetæ cæteri Mercurius, Venus, Mars, Juppiter, & Saturnus, qui semper respectu Solis quiescentis moventur ab occasu in ortum, si spectentur è Tellure, interdum videbuntur eodem in loco quiescente; interdum videbuntur tendere ab ortu in occasum, sive in antecedentia signorum; interdum vero videbuntur quidem tendere ab occasu in ortum, sive in consequentia signorum, sed velocius, aut segnius, quam proportione propriæ velocitatis; adeoque motus Planetarum è Tellure spectati numquam adparent tales, quales sunt in se. Et quidein quum Planetæ per dies aliquot eodem Cœli loco inhærere videntur, dicuntur *stationarii*; quum vero tendunt in antecedentia signorum, dicuntur *retrogradi*; denique quum moventur in consequentia signorum dicuntur *directi*.

200. His adpellationibus ita constitutis, videndum modo est unde accidat, ut Planetæ spectati è Tellure modo videantur directi, modo stationarii, modo vero retrogradi; quamquam spectati è Sole semper adparent directi. Et primo quidem rem exemplo binarum navium ruditer explicare conabimur. Sunto Naves binæ A, & B modico intervallo a se discretæ, quarum unaquæque moveatur ab occasu versus ortum, scilicet ab A versus B. Jam sive ex ferantur æqualibus, sive ferantur inæqualibus velocitatibus, quis quis earum motum ex loco stabili, & immoto spectabit, videbit utrasque tenere

dere ab occasu versus ortum, ut revera moventur. At si finge spectatorem in Navi A consistere. Is, si Navis placido, æquatoque motu feratur, motum sui ipsius minime animadvertiset. Quumque tria contingere possint; *primum* ut velocitas Navis suæ æqualis sit velocitati Navis antecedentis; *secundum* ut minor sit; *tertium* ut sit major: si quidem primum accidat, quum Naves eamdem perpetuo distantiam servent inter se, quemadmodum qui sedet in Navi sui ipsius motum non percipit, ita nec etiam animadvertiset motum alterius Navis: si secundum contingat, quum Navis antecedens ob maiorem velocitatem, sensim recedat a Navi inséquenti, spectator motus Navis suæ prorsus ignarus credet Navim alteram tantum moveri ab occasu versus ortum, & quidem tardissime; ob motum enim Navis inséquentis etiam ab occasu in ortum recessus duarum Navium non est adeo sensibilis. Denique si tertium eveniat, quum Navi antecedenti, ob minorem velocitatem, sensim adpropinquet Navis inséquens, spectator motus Navis suæ prorsus ignarus, credet Navim alteram versus se, hoc est ab ortu ad occasum tendere, quum revera ea moveatur ab occasu ad ortum. Ex quo exemplo adparat Navim præcedentem videri posse immobilem, sive stationariam, directam, vel retrogradam, prout velocitas Navis, in qua sedet spectator, adæquat, minor est, vel major velocitate Navis alterius; quamquam revera illa in motu suo sit semper directa.

201. Non dissimiliter in Cœlo quamquam Planetæ semper moveantur in consequentia signorum, tamen propter motum Telluris sit, ut ipsi modo videantur inherevere aliquandiu eodem Cœli loco, modo vero videantur tendere in antecedentia signorum. Utque a Planetis superioribus incipiamus, ponamus Saturnum, qui 30 ferme annorum spatio revolvitur circa Solem, tanti per fixum, atque immotum manere in Cœlo suo. Sit ABCD orbita Telluris (*Fig. 22.*), in qua scilicet Tellus movetur motu annuo circa Solem S, sitq; P Saturnus fixus, & immobilis, Solique S conjunctus; ponimus enim Tellurem versari in loco B. Jam quoniā Tellus motu anno fer-

cūt

tur circa Solem S in orbe ABCD, quamquam Saturnus ponatur immotus in P, tamen is spectatoribus Terrestribus modo videbitur moveri ab ortu ad occasum, modo vero ab occasu ad ortum. Ducantur enim a loco Saturni P rectæ PC, PA contingentes orbitam Terrestrem in punctis C, & A, eaque producantur, usque donec occurant Firmamento in punctis G, & F. Quum Tellus transit de loco B ad A, Saturnus videbitur moveri in consequentia signorum ab E ad F. At vero quum Tellus ab A transit ad D, quo in loco Saturnus Soli opponitur, apparebit vicissim ab F rediisse ad E. Unde quum toto tempore, quo Tellus de B transgressa est ad A Saturnus adparuerit directus, sequitur ipsum apparitum esse retrogradum, dum ab A transit ad D. Similiter dum Tellus a loco D progreditur ad C, pergit Saturnus esse retrogradus: at vero postquam Tellus superavit locum C, iterum incipit Saturnus apparet directus, eaque directio durat usque donec Tellus ad priorem locum A redierit.

202. Quapropter quamquam Saturnus hæreat immobilis in loco P, tamen propter Telluris motum is videtur moveri modo in consequentia signorum de G ad F, id quod accidit quando Tellus partem CBA orbis sui peragrat, modo vero in antecedentia signorum ab F redire ad G, id quod contingit quando Tellus reliquam sui orbis partem ADC describit. Et quoniam pars CBA longe major est parte ADC, sequitur diutius Saturnum consperatum iri directum, quam retrogradum. Præterea quoniam Saturnus conficit regredeundo idem procul iter, quod confecerat progrediendo, sequitur etiam velocius Saturnum incessivum in sua retrogradatione, quam in directione. Insuper quoniam Saturnus opponitur Soli quando est Tellus in D, conjungitur vero eidem Soli, quando est Tellus in B, adparet retrogradationes Saturni imminere prope oppositionum tempora, directiones vero ante, & post conjunctionem. Deinde liquet quando Tellus est prope loca A & C, Saturnum adeo lente motu suo adparenti loca mutare inter sidera, ut is tamquam stationarius possit haberi. Adeo.

Adeoque dum Tellus a loco C per B propeditur ab A est directus; prope locum A fit stationarius, sed *ad retrogradationem*: dum enim ab A Tellus transit ad C, Saturnus fit retrogradus. In C rursus Saturnus fit stationarius, sed *ad directionem*: deinde enim is fit directus.

203. Hæc autem quamquam locum habeant in ea hypothesi, quod Saturnus maneat immobilis in eodem loco P, nihilominus vera pariter deprehenduntur, quum Saturno motus suus redditur. Etenim quum is adeo lente moveatur, ut vix conficiat integrum circulationem circa Solem in annis 30, quam circulationem Tellus nonnisi unius anni tempore absolvit, nihil vetat quin habeamus Saturnum fere ut immobilem respectu iplius Telluris. Aut saltem si veritati nihil prorsus detractum volumus, effingere possumus Saturnum quidem immobilem in loco Cœli P, Tellurem vero nunc velocius, nunc legins ferri circa Solem, prout scilicet motus Telluris, & Saturni sunt vel contrarii, vel conspirantes. Notum est enim motum relativum duorum corporum non immutari, si alterum ipsorum quiescat, alterum autem cum summa, vel differentia motuum incedat. Cæterum quod de Saturno directum est, id idem locum sibi vindicabit in Jove, & Marte, nisi quod motus eorum oscillatorii ab F ad G, & ex G ad F sunt aliquanto maiores, ex eo quod Telluri propinquiores sunt.

204. Hæc eadem nullo negotio aptantur quoqua Planetis inferioribus Mercurio, & Veneri. Et quoniam ipsi velocius moventur quam Tellus, ponamus eam fixam, atque immotam tantisper manere in Cœlo suo. Sit ABCD (Fig. 23.) orbita Mercurii vel Veneris, in qua scilicet Mercurius, vel Venus moventur circa Solem S; sitque Tellus in T fixa, & immobilis, respectu cuius Planeta inferior conjunctus sit Soli superne: ponimus enim ipsum versari in loco B. Et jam quoniam Mercurius movetur circa Solem in orbe, qui non complectitur Tellurem, quamquam is semper moveatur ab occasu in ortum, tamen spectatoribus Terrestribus modo videbitur moveri ab occasu in ortum, modo vero ab ortu ad occasum. Ducantur enim a loco Telluris T re-

ctæ

Est TA, TC contingentes orbitam Mercurii in punctis A, & C, eaque producantur usque donec occurant Firmamento in punctis F, & G. Quum Mercurius transit de loco B ad A, is videbitur moveri in consequentia signorum ab E ad F. At vero quum Mercurius ab A transit ad D, quo in loco ipse Soli jungitur inferne, adparabit vicissim ab F radiisse ad E. Unde quum toto tempore, quo Mercurius de B transgressus est ad A, adparuerit directus, sequitur ipsum adparitum esse retrogradum, dum ab A transit ad D. Similiter dum Mercurius de loco D progreditur ad C, pergit is esse retrogradus; at vero postquam Mercurius superavit locum C, iterum incipit adparere directus, eaque directio durat usque donec ad priorem locum A redierit.

205. Quapropter quamquam Mercurius moveatur semper ab occasu in ortum circa Solem; tamen spectatoribus in Tellure immota manentibus is videbitur modo moveri in consequentia signorum de G ad F; id quod accidit quando Mercurius partem superiorem CBA orbis sui peragrat, modo vero in antecedentia signorum ab F redire ad G; id quod contingit, quando inferiorem sui orbis partem ADC describit. Et quoniam pars CBA longe major est parte ADC, sequitur diutius Mercurium conspectum iri directum, quam retrogradum. Præterea quoniam Mercurius conficit regredendo idem prolsus iter FEG, quod confecerat progrediendo, sequitur etiam velocius Mercurium incessurum in sua retrogradatione, quam in sua directione. Insuper quoniam Mercurius conjungitur Soli superne quando est in B, conjungitur vero eidem Soli inferne, quando est in D, adparet quoque retrogradationes Mercurii imminere prope conjunctionem inferiorem, directiones vero ante, & post conjunctionem superiorem. Denique liquet Mercurium quando est prope loca A, & C adeo lente loca mutare inter sidera, ut is tamquam stationarius possit haberi. Adeoque dum Mercurius a loco C per B progreditur ad A est directus; prope locum A sit stationarius, sed ad retrogradationem; dum enim ab A Mercurius transit ad C, adparet retrogradus. In loco C rursus est stationarius,

206. Hæc autem quamquam locum habeant in ea hypothesi, quod Tellus maneat immobilis in eodem loco T, nihilominus vera pariter deprehenduntur, quum Telluri motus suus redditur. Quum enim Tellus longe tardius conficiat circulationem iuam circa Solem, quam Mercurius, nihil vetat quin ea habeatur ferme ut immobiles respectu ipsius Mercurii: aut saltem, si veritati nihil prouersus detractum volumus, effingere quidem possumus Tellurem immobilem in loco Cœli T, Mercurium vero nunc velocius, nunc segnius ferri circa Solem, pro ut scilicet motus Telluris, & Mercurii vel contrarii sunt, vel conspirantes. Notum est enim motum relativum duorum corporum non immutari, si alterum ipsorum quiescat, alterum autem cum summa, vel differentia motuum incedat. Cæterum quod de Mercurio dictum est, id idem locum habet in Venere; nisi quod motus ejus oscillatorius ab F ad G, & ab G ad F est aliquanto major: majorem enim orbitam circa Solem describit.

207. Sed subtilius isthac omnia expendenda sunt: Id quod facientes, ne in immensam difficultatum altitudinem devehamur, supponemus orbitas Planetarum & circulares esse, & Soli concentricas; Planetas vero motu æquabili medio moveri circa Solem. Esto itaq; (*Fig. 24.*) S Sol, positus in centro circulorum AmM, BNH, quorum alter referat orbem alicujus Planetæ, alter orbem Telluris; nempe si circulus exterior refert orbem Telluris, circulus interior repræsentabit orbem alterius ex Planetis inferioribus: vicissim vero si circulus interior refert orbem Telluris, circulus exterior repræsentabit orbem Planetæ alicujus superioris. Ducatur utcumque recta BASMH per Solem S; in ea non est dubitandum quin aliquando contingent tum coniunctiones, quum oppositiones Solis, Telluris, & Planetæ. Finge primum BNH referre orbem Telluris; sitque Tellus in H, & Planeta inferior in M, coniunctus scilicet Soli ex parte inferiori: is eo tempore spectatus est Tellure adparet sub loco Firmamenti E. At vero quum Tellus, &

Planeta moveantur in consequentia signorum, dum Tellus transit ad *b* describens arcum *Hb*, progrediatur Planeta ad *m* describens arcum *Mm*. Quoniam autem Planeta movetur velocius, quam Tellus, erit arcus *Mm* aliquanto major arcu *Hb*. Itaque ducta recta *bm*, ea diverget à recta HMSABE versus partes Solis; adeoque Planeta conspectus à Tellure videbitur recessisse à priori loco *E* in antecedentia signorum: nam ordo signorum est ab *F* ad *E* versus *G*.

208. Est tamen hic advertendum motum Planetæ tardiorum videri, quam si Tellus immobilis hæsisset in loco *H*. Quippe in hac hypothesi Planeta adparuisset in loco occidentaliori *f*: quum tamen translata Tellure ex *H* ad *b*, locus adparens Planetae sit minus occidentalior; adeoque priori casu motus Planetae foret arcus *Ef*: posteriori vero casu motus Planetae est arcus *EF* aliquanto minor arcu *Ff*. Ex quo inferre licet ante, & post conjunctionum inferiorum tempora; (quod enim ostensum est de tempore post conjunctionem, id idem nullo negotio ostendere licet de tempore ante conjunctionem) Planetas inferiores esse retrogrados; sed aliquanto tardius incedere videri.

209. Sit nunc Tellus in eodem loco *H*, sed Planeta in *A*, consuetus scilicet Soli superne: is conspectus è Tellure adparebit sub eodem Firmamenti loco *E*. At vero quum Tellus, & Planeta moveantur in consequentia signorum, dum Tellus translat ad *b* describens arcum *Hb*, progrediatur Planeta ad *a* describens arcum *Aa*. Itaque juncta recta *ba*, ea diverget à recta HMSABE, Planetaque conspectus è Sole videbitur recessisse à priori loco *E* in consequentia signorum; ordo enim signorum, est ut diximus, ab *F* per *E* ad *G*.

210. Estque hic quoque advertendum, motum Planetæ velociorum vicissim videri, quam si Tellus immobilis hæsisset in loco *H*. Quippe in hac hypothesi Planeta adparuisset in loco minus orientali *l*; quum tamen translata Tellure ex *H* ad *b*, locus adparens *L* Planetae sit orientalior; adeoque priori casu motus Planetae foret arcus *El*; posteriori vero casu est arcus *EL* aliquanto-

quanto major arcu EI. Ex quo inferre licet ante, & post conjunctionum superiorum tempora; ( quod enim ostensum est de tempore post conjunctionem, id idem nullo negotio ostendere licet de tempore ante conjunctionem ) Planetas inferiores esse directos; sed velocissime incedere videri.

211. Quum igitur Planetæ inferiores prope conjunctionem inferiorem adpareant retrogradi, prope vero conjunctionem superiorem videantur directi, necesse est ut aliquando fiant stationarii: id quod bis in singulis revolutionibus synodicis contingere debet, semel ante conjunctionem inferiorem, quum scilicet Planeta inferior ex directo incipit esse retrogradus; iterum post conjunctionem inferiorem, quum scilicet Planeta idem inferior ex retrogrado incipit esse directus. Id autem fit quando Tellus sit in tali situ N respectu Planetæ existentis in M, ut arcus Nz, Mz eodem parvi temporis intervallo à Planeta, & Tellure peragrati contineantur rectis lineis parallelis NMG, nmg. Tunc enim quemadmodum quum Planeta est in M, & Tellus in N, is videtur sub loco Firmamenti G, ita is idem videbitur sub eodem Firmamenti loco G, quum Planeta progressus est ad m, & Tellus ad n; punctum enim g, ad quod referuntur Planeta ex Tellure ad sensum idem est cum punto priori G.

212. Neque vero difficile erit dato loco Planetæ M (Fig. 25) invenire locum Telluris N, ex quo is spectari debeat stationarius. Duæ enim tangentे QMR, describatur super ea semicirculus QCR secans rectam MSAB in punto C. Tum capiatur recta MD, quæ sit ad MR, ut se habet velocitas Planetæ ad velocitatem Telluris: itaque quum velocitas Telluris minor sit velocitate Planetæ; (agitur enim nunc de Planetis inferioribus) recta MD major erit recta MR, sive etiam recta MC; eritque punctum D extra semicirculum QCR. Ducatur itaque ex punto D tangens DEF occurrentis rectæ QR producetæ in puncto F, ex quo ducatur tangens FN: dico punctum N esse locum Telluris quæsitum. Et quoniam per hanc constructionem invenire licet bina loca N, & N,

sequitur duobus in locis Planetam conspectum iei stationarium, semel ante coniunctionem inferiorem, quæ contingit Tellure existente in loco H, iterum post eamdem coniunctionem inferiorem.

213. Jungatur enim recta ME, quæ perpendicularis erit ad tangentem DEF: adeoque triangula duo DME, MEF similia erunt inter se; eritque ut DM ad ME, sive MR, ita MF ad FE: est autem FE æqualis FN; utriusque enim quadratum adæquat rectangulum QFR: quare erit quoque ut DM ad MR, sive etiam ut velocitas Planetae ad velocitatem Telluris, ita MF ad FN. Atqui si arcus minimi Mm, Nn descripti supponantur eodem prorsus tempore à Planeta, & Tellure, velocitas Planetae est ad velocitatem Telluris ut Mm ad Nn: sunt quippe spatia motu æquabili eodem tempore descripta, ut velocitates; quare erit quoque ut FM ad FN, ita arcus Mm ad arcum Nn. Et quoniam arcus Mm, Nn, ut pote minimi, non multum deflecentur à tangentibus MF, NF; juncta recta mn, ea parallela erit rectæ priori MN; adeoque arcus Mm, Nn eodem tempore descripti à Planeta, & Tellure continebuntur lineis parallelis MN, mn.

214. Finge nunc vicissim circulum BNH (Fig. 26.) referre orbem Planetae, circulum vero AmM referre orbem Telluris; sitque Tellus in M, & Planeta in B, in coniunctione scilicet cum Sole; is eo tempore spectatus è Tellure adparebit sub loco Firinamenti E. At vero quum Tellus & Planeta moveantur in consequentia signorum, dum Tellus transit ad m describens arcum Mm, progrederiatur Planeta ad b describens arcum Bb; itaque juncta recta mb, ea diverget à linea synodica MSABE, Planetaque conspectus è Sole videbitur recessisse à priori loco E in consequentia signorum: ordo enim signorum est ab F per E ad G.

215. Ubi advertendum est motum Planetae in consequentia signorum dum est in coniunctione, velociorem videri, quam si Tellus hæisset immobilis in loco M. Quippe in hac hypotheli Planeta adparuisset in loco minus orientali l; quum tamen translata Tellure ex M ad m locus adparens L Planetae orientalior sit: adeoque priori

priori casu motus Planetæ foret arcus  $E\ell$ : posteriori vero casu motus Planetæ est arcus  $EL$  aliquanto major priori arcu  $E\ell$ . Ex quo inferre licet ante, & post conjunctionem; (quod enim ostensum est de tempore post conjunctionem, id idem nullo negotio ostendere licet de tempore ante conjunctionem) Planetas superiores esse directos; sed celerrime incedere videri.

216. Sit nunc Tellus in eodem loco  $M$ , sed Planeta in  $H$ , in oppositione scilicet cum Sole: is conspectus è Tellure adparebit sub loco Firmamenti opposito  $E$ . At vero quum Tellus, & Planeta moveantur in consequentia signorum, dum Tellus transit ad  $m$  describens arcum  $Mm$  progrederetur Planeta ad  $b$  describens arcum  $Hb$ . Quoniam autem Planeta movetur tardius quam Tellus erit arcus  $Mm$  aliquanto major arcu  $Hb$ . Itaque juncta recta  $mb$  ea converget cum linea synodica  $BASmHE$  versus partes Planetæ; adeoque Planeta conspectus è Tellure videbitur recessisse è priori loco  $E$  in antecedentia signorum: nam ordo signorum est ab  $F$  per  $E$  ad  $G$ .

217. Ubi adnotandum est, si Tellus hæsisset immobilis in loco  $M$ , Planetam apparitum fuisse directum; recta enim  $Mb$  producta versus Firmamentum tendit ad partes orientales respectu lineæ synodice  $BASmHE$ . Notandum est præterea motum Planetæ tardiorem videri, quam si is immobilis hæsisset in loco  $H$ . Etenim in hac hypothesi Planeta adparuisset in loco occidentaliori  $f$ , quam tamen translato Planeta ex  $H$  ad  $b$  locus adpares F Planetæ sit minus occidentalis: adeoque priori casu motus Planetæ foret arcus  $Ef$ : posteriori vero casu est arcus  $EF$  aliquanto minor priori  $Ef$ . Ex quo inferre licet ante & post oppositionem; (quod enim ostensum est de tempore post oppositionem, id idem nullo negotio licet ostendere de tempore ante oppositionem) Planetas superiores esse retrogrados, sed tardissime incedere videri.

218. Quum igitur Planetas superiores prope conjunctionem adpareant directi, prope vero oppositionem videantur retrogradi, necesse est ut aliquando hiant statim; id quod bis in singulis revolutionibus synodicis

contingere debet, semel ante oppositionem, quum scilicet Planeta superior ex directo incipit fieri retrogradus, iterum post oppositionem, scilicet quum idem Planeta superior ex retrogrado incipit fieri directus. Id autem fit quando Planeta est in tali situ N respectu Telluris existentis in M, ut arcus  $Nz$ ,  $Mz$  eodem exigui temporis intervallo à Planeta, & Tellure peragrati contineantur, rectis lineis parallelis MNG,  $mng$ . Tunc enim quemadmodum quum Planeta est in N, & Tellus in M, is videatur sub loco Firmamenti G, ita is idem videbitur sub eodem Firmamenti loco G, quum Planeta progressus est ad n, & Tellus ad m: punctum enim g, ad quod is refertur ex Tellure, ad lensem idem est cum puncto G.

219. Neque vero difficile erit dato loco Telluris M invenire locum Planetæ (Fig. 25.) N, ex quo is spectari debeat stationarius. Duæ enim tangentे QMR, describatur super ea semicirculus QCR secans rectam MSAB in puncto C. Tum capiatur recta MD, quæ sit ad MR, ut se habet velocitas Telluris ad velocitatem Planetæ. Itaque quum velocitas Telluris major sit velocitate Planetæ; (agitur enim nunc de Planetis superioribus) recta MD major erit recta MR, sive etiam recta MC; eritque punctum D extra semicirculum QCR. Ducatur itaque ex puncto D tangens DEF occurrentis rectæ QR producatur in puncto F, ex quo ducatur tangens FN: dico punctum N esse locum Planetæ quæsitum: id quod ostendetur eodem prolsus modo, quo idem ostensum est in Planetis inferioribus. Et quoniam per hanc constructionem invenire licet bina loca N, & N, sequitur duobus in locis Planetam conspectum iri stationarium, semel ante oppositionem, iterum post eamdem oppositionem.

220. Hæc autem omnia locum habent in ea hypothesi, quod Planetæ motu æquabili ferantur circa Solem in circulis eidem Soli concentricis, inque eodem Eclipticæ plano constitutis. Sed quoniam orbes Planetarum planum recedunt à circumferentiis circulorum, suntque inclinationes eorum ad planum Eclipticæ non admodum magnæ, eadem præter propter habebunt quoque locum in Cœlo. Quod si quis accuratissimas construnctiones

nes desideret, adeat *Acta Academiae Petropolitanae* anni cōlaccxvii, in quibus *Actis clarissimus Mijerius* rem istam elegantiſime persequitur.

221. Tanta cum felicitate, & simplicitate explicantur in *Copernici* ſystemate phænomena ſtationum, retrogradationum, & directionum. Non minus feliciter, quamquam minus eleganter, eadem phænomena explicantur in *Tychonis* ſystemate, in quo ſystemate Planetarum primarum primum moventur circa Solem, deinde vero una cum Sole feruntur circa Tellurem: adeoque ex *Tychonis* ſententia Planetarum primariorum motus circa Tellurem duplex est, componiturque ex inotu ipsorum proprio circa Solem, & ex motu Solis circa Tellurem.

222. Ex hujusmodi motus compositione fit, ut vias Planetarum circa Tellurem, ita sint orbiculares, ut tamen ovalibus nonnullis interdiſtingueſe sint. Vias has accuratissime delineatas à *Cassino* edidit *Regia Scientiarum Academia Parisensis* in commentariis anni cōlaccix, qui ideo consulendi ſunt. Nos qualem qualem ejus motus imaginem repræsentavimus in *schema 27*, in quo T representat Tellurem, CELNGI refert orbem à Sole circa eam defcriptum, & AKNML KFIHGF &c. orbem aliquujus primariae circa eandem Tellurem defcriptum; atque ortum ex compositionem binorum motuum, ipsius nempe circa Solem, & Solis circa Tellurem. Manifestum autem est Planetam dum ab A progreditur ad K esse directum, hoc eft moveri in consequentia signorum; dum vero ex K descendit ad N, quia directe tendit versus Tellurem T, videri ſtationarium; dum ab N per M tendit ad L, esse retrogradum, hoc eft moveri in antecedentia signorum; dum ab L adſcendit iterum ad K, quia recta recedit à Tellure, iterum fieri ſtationarium: deinde vero dum ex loco K progreditur ad P denuo eſſe directum.

## CAPUT ULTIMUM.

*De Planetarum maculis, eorumque circa axes suos revolutionibus.*

223. IN Sole maculas continuo generari, dissolvique supra expositum est; adlatæque pariter sunt conjunctæ quædam ad illam generationem, ac dissolucionem intelligendam accommodatae. Ex harum macularum motu visum est Astronomis colligi posse, Solem rotari continentem circa se ipsum; & quidem ab occasu in ortum spatio dierum ferme 26. Rectissime: etenim maculae Solares à margine Solis orientali versus medium progredi videntur: deinde ulterius provectæ in opposita margine, occidentali scilicet, occultantur; earumque aliquæ postquam in adversa Solis parte per dies circiter 13 delituerunt in orientali margine rursus adparent.

224. Quum autem Sol vertatur circa se ipsum spatio 26 dierum circiter, non modo maculae, sed puncta omnia superficiæ Solaris describere debent totidem circumferentias circulorum parallelorum inter se, ad quorum plana axis ipse Solaris, circa quem fit revolutio, normaliter insisteret. Quumque Tellus versetur semper in plano Eclipticæ, tiquidem axis Solaris normaliter insisteret ad planum Eclipticæ, quoniam paralleli à maculis descripti æquidistantes essent eidem plano Eclipticæ, contingere ut viæ macularum adparerent nobis tamquam totidem lineæ rectæ piano Eclipticæ æquidistantes. Quod si autem axis Solaris jaceret super Eclipticæ piano, quoniam iidem parallelî perpendiculares forent ad planum Eclipticæ, macularum semitæ conspicerentur quidem à nobis ut lineæ rectæ, sed essent illæ perpendiculares ad planum Eclipticæ. Nunc vero quum macularum semitæ neque adpareant ut lineæ rectæ piano Eclipticæ æquidistantes, neque ut lineæ rectæ ad idem planum perpendiculares, tuto inferri potest axem revolutionis Solaris neque perpendicularem esse

ad

ad Eclipticæ planum, neque super ipso jacere, sed obliquos cum eodem angulos constituere.

225. Et sane statuunt communiter Astronomi axem revolutionis Solaris sic insistere ad Eclipticæ planum, ut ex una parte constituant cum eo angulum gradum ferme 83, ex altera vero angulum graduum 97. Ex quo fit ut æquator Solaris ( sive maximus parallelorum, qui à punctis superficieis Solaris describuntur ) reliquique paralleli non sint paralleli Eclipticæ plano. Sed ex eodem fit etiam ut viæ macularum adpareant spectatoribus Terrestribus non rectilineæ, sed ellipticæ; circulus enim oblique positus, atque ex loco longinquo spectatus in ellipsum projectitur.

226. Quod si Sol, purissimum Cœli corpus, maculis interdum defœdatur, minus mirandum est si Planetæ, quæ corpora sunt impura & opaca, suas habeant maculas. Et in Luna quidem maculæ sunt adeo evidentes, ut oculis ipsis conspiciantur. In Planetis reliquis, quamquam non omnibus, ut modo dicetur, maculæ conspicuntur Telescopii sublidio. Ex hujusmodi macularum motu cognitum pariter est, Planetas inovari circa axes suos, & quidem ab occasu in ortum. Deprehensum autem est Martem horis  $24\frac{2}{3}$  absolvere revolutionem circa axem suum normaliter ferme insistentem ad planum, in quo fertur circa Solem. Jovem vero in horis 9, & minutis 56 absolvere revolutionem circa axem suum normaliter quoque insistentem ad planum, in quo fertur circa Solem. Unde quum plana Martis, & Jovis sint modice inclinata ad planum Eclipticæ, sequitur axes prædictos perpendiculariter ferme insistere ad ipsum Eclipticæ planum.

227. De Veneris revolutione acriter disputatum est inter Astronomos. Dominico Cassino vilum est Planetam istum revolvi circa se spatio dierum 23, diuq; ita est creditum ab eruditis. Sed deinde Franciscus Blasius quum longissimo Telescopio maculas Veneris Romæ diu observasset, ostendit revolutionem Veneris longe breviores esse, neque absolvi in horis 23, sed in diebus ferme totidem. Nevissime Jacobus Cassinius, Dominici filius

Silius Patris farnam sibi tuendam esse ratus, demonstrare conatus est *Franciscum Blanchinum* in suis observationibus deceptum fuisse, ostenditque tempus, quo tempore Venus absolvit revolutionem suam, tantum esse, quantum à Patre fuerat constitutum.

228. De Mercurio, & Saturno adhuc non constat, num revolvantur circa axes suos. Neque mirum: Mercurius enim Soli adeo vicinus est, ut tanta propinquitas interdistinguendis maculis, per quas hujusmodi motus cognoscitur, sit impedimento. Saturnus autem tantum dicitur à nobis, ut ejus maculae, si quae sunt, visum nostrum effugiant. Sed credibile est ipsos etiam revolvi circa axes duos ab occasu in ortum ad similitudinem reliquorum. In Cœlo enim plurimum ponderis habere debet illa ex similitudine petita ratio, atque à rebus viisis ad nos vias perducta: adeoque ex hoc quod certo sciamus Venerem, Martem, & Jovem revolvi circa se ipsos, recte concludere possumus Mercurium, & Saturnum contimili motu esse donatos.

229. Pari autem ratione afferere possumus Tellurem, quam Planetis accensendam esse supra demonstratum est, revolvi circa se ipsam ab occasu in ortum. Et quidam *Copernicus* hujusmodi motum Telluri non denegavit: ex quo ortus, atque occasus siderum facile explicari posse ostendit: quam rem nos *Sectione sequenti* silius persequemur. Idem *Copernicus* statuit, ut axis, circa quem Tellus revolvitur unius diei spatio, non sit normalis ad planum Eclipticæ, sed ita obliquus ad idem planum, ut ex parte una constituat angulum graduum 66, & minutorum 31, ex parte altera angulum graduum 213, & minutorum 29.

230. De Luna id observatum est, ut ea eamdem perpetuo faciem, sive easdem prorsus maculas Telluri obvertat. Ex quo nonnulli minus caute intulerunt, Lunam ita revolvi circa Tellurem, ut tamen non revolvatur circa se ipsam. Mendose: si enim verum id esset, Luna modo faciem unam, modo faciem alteram versus Tellurem converteret. Id quod sic ostenditur. Esto ABCD (*Fig. 28.*) orbis, in quo orbe Luna volvitur circa Tellurem

Tab

Tab occalu in ortum; sitque Luna primum in A; post dies ferme septem in B; post dies totidem in C: postque totidem dies in D; pono enim orbem ABCD sectum esse in quatuor partes aequales AB, BC, CD, DA. Sit praeterea Luna secta in quatuor partes aequales per plana duo, quorum alterum transeat per Tellurem T, alterum vero sit piano illi perpendicularis; sintque quadrantes Lunares 1. 2. 3. 4. Jam si Luna non revolvetur circa se ipsam, dum movetur circa Tellurem T, in omnibus sui orbis locis semper hemisphaerium 1. 2 respiceret deorsum, hemisphaerium vero 3. 4 respiceret sursum; quemadmodum in schema demonstratum est. Adeoque in loco A hemisphaerium Telluri obversum esset 1. 2; in loco B esset 1. 4; in loco C esset 3. 4; & denique in loco D esset 2. 3: & consequenter Luna modo faciem unam, modo faciem alteram Telluri obverteret: unde quum id observationi aduersetur, sequitur Lunam revolvi debere circa se ipsam, dum volvitur circa Tellurem.

231. Et sane supponendo quod Luna revolvatur circa se ipsam ab occalu in ortum eodem prorsus tempore, quo eadem Luna revolvitur circa Tellurem, facile intelligetur ipsam eamdem prorsus faciem Telluri obvertere debere. Etenim dum Luna ab A transit ad B, quemadmodum absolvit quartam partem suarum revolutionis periodicarum, ita quartam pariter partem revolutionis circa axem suum absolvere debet; adeoque quadrans 1 transeat necesse est in locum quadrantis 4, & quadrans 2 succedere debet in locum quadrantis 1: ex quo sequitur in loco B Lunam obvertere Telluri eamdem faciem 1. 2. Quum eadem sit demonstratio de reliquis locis, sequitur Lunam, dum movetur circa Tellurem, eodem prorsus temporis intervalllo revolvi circa se ipsam.

232. Quemadmodum autem Luna nostra eamdem perpetuo faciem ad nos obversam habet, ita & satellites Jovis, Saturnique idem faciunt respectu suorum primiorum: quod quamquam immediatis observationibus intelligi minime potuerit, conjecturis tamen, atque suspic-

124. PHILOSOPHIÆ NATURALIS  
suspicionibus assequutum est. Audiamus Christianum  
Hugenium ita hac de re præclare differentem. Mirum  
videtur hoc sciri posuisse: as non erat difficultis conjectu-  
ra, postquam animadversum fuit extremam Saturnia-  
rum sum solum conspicere, quando Planeta huic ad occi-  
dentem posita est, ab oriente vero semper eam latere.  
Facile enim perspicitur id inde evenire, quod magna sui  
parte obscuriorum superficiem habeat hac Luna: qua pars  
obscurior quam ad nos conversa est, tunc cerni nequeat  
præ luminis tenuitate. Quumque semper in orbita sua  
latere, quod orientens spectat obscurata reperiatur, in al-  
tero numquam, manifestum indicium est eamdem globu-  
li regionem semper Saturnum respicere, quoniam ex eo il-  
lud contingere necesse est. Quis vero jam dubitet, quum  
et illius omnium remotissima, et nostra Lunæ facies  
semper eadem ex primario Planeta suo spectetur, quin  
idem in cæteris, que circa Jovem, et Saturnum volvun-  
tur, natura efficerit? Causa vero quare id fiat vix aliun-  
de peti potest, quam quod densior, ponderosiorque mate-  
ria sit Lunarum omnium parte ea, qua semper a Plane-  
tis aversa sunt. Sic enim ea ipsa pars majore vi a centro  
circuitus recedere contendet: quum aliqui ex motus  
legibus eadem semper facies non ad Planetam, sed ad fe-  
cias stellas eisdem obverti debuerit.

## SECTIO SECUNDA.

### De Motu Siderum diurno; deque Sphærica doctrina.

223. Superiori Sectione de vero Mundi systemate  
differvimus, qualeque essent siderum motus  
veri, atque ex Sole, tamquam ex centro motus, spectati  
exponere curavimus; addidimusque interdum nonnulla  
de Planetarum motibus geocentricis, hoc est vissis ex  
Tellure. Ordo nunc postulat ut de motu siderum diur-  
no ab ortu in occasum sermonem hic instituamus. Hic  
motus, si Copernico credimus, abest à Cœlo, estque totus  
adparens à motu Telluris circa axem suum ab occasu

in

in ortum originem trahens. Et profecto quemadmodum si Tellus movetus circa se ipsam ab occasu ortum versus, necesse est ut sidera videantur tendere vicissim ab ortu versus occasum; ita si aliquando motus iste sistetur in Tellure, sidera neque oriri, neque culminare, neque occidere umquam viderentur.

234. Supposita enim Telluris perpetua circa axem suum revolutione ab occasu in ortum spatio diei naturalis, oportet ut omnis spectator in Tellure constitutus una cum ea Telluris parte, in qua moratur, eodem prorsus tempore revolvatur ab occasu versus ortum. Sed necesse etiam est, ut ipse motus domicilii sui prorsus ignarus videat cœlestia omnia corpora tendere vicissim ab ortu ad occasum spatio quoque diei naturalis: ut non mirum sit, si Planetæ, Cometae, stellæ fixæ, via lactea, denique quidquid adparet in Cœlo, singulis diebus ab orientali Cœli plaga emergere, deinde altius atque altius attolli, tum vero decidere, atque ad occidentalem Cœli plagam tendere, ibique occultari videantur.

235. Hic siderum motus ab oriente in occidentem, quem *communem, diurnum, primum, atque universalem* vocant Astronomi, et si ex *Copernici* tententia ablit à Cœlo, totusque pendeat à motu Telluris diurno circa se ipsam ab occasu versus ortum, praestat tamen de eo ita primum differere, quasi revera adesset in Cœlo. Dandum id tum sensui nostro, qui quod videt corpora omnia Cœlestia in occasum quotidie tendere, contrarium vix credere audet; tum etiam Astronomorum inveteratae consuetudini, quorum perplurimi, etiam *Coperniceas* sectæ addicti, sphæricam doctrinam sic persequuntur, quasi revera sidera moverentur ab ortu ad occasum.

236. Sed erunt fortasse, qui in ipso limine hic hærent: Quum enim Planetæ moveantur circa Solem ab occasu versus ortum statis temporum periodis, non videtur fieri posse, ut iidem possint moveri diei naturalis spatio ab ortu in occasum circa Tellurem. Verum *Ptolemaei*, *Tychonisque* sectatores difficultati occurserunt

gunt dicendo motum siderum ab occasu versus ortum esse proprium ipsorum; eorumdem vero motum ab ortu versus occulum esse communem ipsis cum Cœlo, à quo spatio 24 horarum deferuntur.

## C A P U T P R I M U M.

### *De Polis Cœlestibus, deque Mundi Axe. Tum de Äquatore, Parallelis, & Declinationum Circulis.*

237. **J**AM vero ex eo, quod Cœlum universum continua vertigine fertur circa se ipsum diei naturalis intervallo ab ortu versus occasum, necesse est pri-  
mo ut in Cœlo adsint duo poli, sive duo puncta immobilia, circa quæ ipsum Cœlum continenter revolvatur. Horum polarum alter *Boreus*, *Arcticus*, & *Septentrionalis* adpellatur: *Boreus* quidem à vento Borea inde flante; *Arcticus*, ex eo quod non longe abest à constellationibus Ursarum, quas Græci *Arctos* vocant; *Septentrionalis* vero à septem stellis minorem ursam componentibus, quas Poetæ *Triones* adpellant. Alter polus huic adversus *Antarcticus*, *Australis*, & *Meridionalis* dicitur. *Antarcticus* quidem, quod *Arctico* ex diametro sit oppositus; *Australis* ab Austro inde flante; *Meridionalis* vero ex eo, quod nobis Zonam temperatam Borealem incolentibus Sol meridie semper versus illam plagam adparet.

238. Necesse est secundo, ut adsit in Cœlo axis, sive recta quædam linea immobilis, & fixa polos Cœlestes conjungens, circa quam universum Cœlum revolvitur. Hunc axem contendunt *Tycho*ni transire per centrum Telluris, ut pote quam in Universi centro constituunt. Præterea docent hunc eundem axem signare in Telluris superficie polos Terrestres. Quam enim is occurrat superficie Terrestri in duobus punctis ex diametro oppositis, eorum alterum poli borei, alterum australis poli munus obibit.

239. Ne-

229. Necesse est tertio, ut ad sint in Cœlo in numeri circuli paralleli inter se, ad quorum plana axis Cœlestis normaliter insit. Etenim dum Cœlum diurna vertigine abruptum movetur circa axem suum, omnia sidera, quin immo singula puncta Cœlestia describunt totidem circulos, ad quorum plana axis ille perpendiculariter insit. Hos circulos parallelos simpliciter vocant Astronomi, quos ex eo, quod Cœlum est rotundum, patet non omnes aequales esse inter se, sed alios aliis in infinitum breviores existere, eoque breviores, quo magis ad ipsos polos accesserint. Inde fit ut sidera eo minoribus gyris polos amplectantur, quo minus distant ab ipsis. Quemadmodum autem minimi omnium illorum parallelorum sunt ipsi poli Cœlestes, in quos, ut ita dicam, desinunt paralleli; ita maximus est, qui Cœlum bifariam dividens aequae distat ab utroque polo; qui quidem circulus *Aequator* in posterum appellabitur. Quapropter *Aequator* circulus est Cœli maximus ab utroque polo 90 gradibus remotus, Cœlumque in duas aequales partes distinguens; quarum partium quæ polum borealem continent, dicitur *hemisphærium Boreale*: quæ vero comprehendit polum australiem, dicitur *hemisphærium Australis*. Ceterum poli Cœlestes iidem sunt cum polis parallelorum: poli enim Cœlestes undique distant aequaliter à singulis parallelis.

240. Ab aequatore profuit *declinationum* contemplatio, ut pote quæ ab ipso aequatore polos versus numerantur. Declinationis quippe nomine intelligunt Astronomi uniuscujusque sideris distantiam ab aequatore. Itaque stellarum in ipso aequatore constitutarum nulla prorsus est declinatio. Stellaræ vero in alterutro polorum constitutæ declinatio est accuratissime graduom 90, quæ quidem est omnium maxima. Non dissimiliter vocant declinationem parallelī ejus ab aequatore distantiam: unde declinatio sideris eadem est cum declinatione parallelī, in quo sidus versatur. Parallelorum vero hinc inde ab aequatore aequae remotorum eadem prorsus est declinatio; eadem tamen quo ad quantitatem non quo ad speciem; quum altera borealis sit, altera australis,

lis , sumpta denominatione à polis , sive hemisphæriis cognominibus . Perspicuum est autem duas , aut plures stellas in eodem parallelo constitutas eamdem prouersus declinationem sortiri , tum quo ad quantitatem , tum quo ad speciem . Itaque dato parallelo dabitur sideris declinatio , ejusque species ; & vicissim data sideris declinatione , ejusque specie dabitur parallelus .

241. Quum autem dicimus declinationem sideris esse distantiam ipsius ab æquatore , intelligimus distantiam numeratam super circulo , qui à sidere normaliter ducitur ad ipsum æquatorem : hac enim ratione docent Geometræ desumendas esse hujusmodi distantias . Quapropter declinatio alicujus sideris , aut etiam declinatio parallelis , in quo sidus illud versatur , erit arcus circuli , qui à sidere normaliter ducitur ad æquatorem . Hujusmodi circulos ex re vocabimus deinceps *circulos declinationum* ; etenim ad dimetiendas declinationes passim adhibentur . Patet autem ipsos & numero esse infinitos , & esse maximos , & omnes in polos æquatoris coire .

242. Quemadmodum autem arcus circuli declinationis inter æquatorem , & sidus interceptus declinatio sideris vocatur , ita arcus ejusdem circuli inter sidus , & polum comprehensus , distantia ejusdem sideris à polo vocatur . Hanc autem distantiam manifestum est desumi posse tum à polo boreo , quum à polo australi . Et quidem si declinatio sideris fuerit borealis , ejus complementum ad gradus 90 dabit distantiam à polo boreo ; summa vero ejusdem declinationis , & gradum 90 dabit ejusdem à polo australi distantiam . Quod si vero declinatio fuerit australis , complementum declinationis ad gradus 90 dabit distantiam ab australi polo : summa vero declinationis , & graduum 90 dabit distantiam à polo boreali .

243. Illud etiam indubium est , declinationum circulos habere polos suos in circumferentia æquatoris . Etenim si duo sint in sphæra circuli maximi ad se se in vicem perpendiculares , unius poli constituentur in circumferentia alterius . Itaque æquatoris ambitus haberi potest tamquam locus , sive sedes polorum , qui ad omnes

omnes declinationum circulos referuntur. Insuper axis Mundi haberi potest tamquam locus, sive sedes centrorum uniuscujusque paralleli. Denique sumpto semiaaxe Cœlesti pro radio, sive sinu toto, unaquaque semidiameter paralleli evadit sinus complementi declinationis ejusdem paralleli.

## CAPUT SECUNDUM.

*De Horizonte, ejusque Polis; deque Circulis inde munantibus.*

244. EX rotunditate Telluris, & Cœli illud sequitur, singulis punctis superficie<sup>i</sup> Terrestris singula superficie<sup>i</sup> Cœlestis puncta directo immixtore. Sit enim ABE (Fig. 29.) superficies Telluris; C ejus centrum; & A quodvis superficie<sup>i</sup> Terrestris punctum, ad quod duxta intelligatur semidiameter CA: manifestum est hanc semidiametrum producam usque ad Firmamentum lignaturam ibi punctum Z, quod directe imminet puncto Terrestri A; atque ita etiam si semidiameter CE producatur usque ad Firmamentum, signabitur ibi punctum Q, cui directe subjacebit punctum Terrestre E.

245. Jam hujusmodi puncta Cœlestia locis Terrestribus directe imminentia Latini *Verticem*, Arabes *Zenith* vocant: puncta vero opposita N in adversa Cœli parte constituta *Nadir* eadem lingua dicuntur. Denique singulæ rectæ linea<sup>e</sup> ZN, quæ *Zenith* cum *Nadir* coniungunt, *verticales* linea<sup>e</sup> appellantur. Patet autem hujusmodi linea<sup>e</sup> verticales per centrum Telluris C transire; modo tamen sphærica sit figura Telluris: nam si elliptica sit, in locis extra æquatorem & polos constitutis verticalis linea deviabit nonnihil à centro Telluris, neque nisi in locis constitutis sub æquatore aut sub polis accuratissime transibit per ejus centrum. Patetque etiam puncta illa Cœlestia, quæ relate ad data superficie<sup>i</sup> Terrestris loca *Zenith* officio funguntur, relate ad loca opposita *Nadir* munus obire. Et denique illud liquef loco

246. Jam quemadmodum dati loci Terrestris Zenith, Nadirque dicuntur duo opposita Cœli puncta, quorum alterum imminet, alterum vero directe subjacet illi loco; ita ejusdem loci *Horizon* dicitur circulus ille Cœli maximus, qui æque distat à prædictis punctis; diciturque horizon, quod partem Cœli visibilem ab invisibili distinguit & finiat. Et quemadmodum bina Cœli opposita puncta Zenith, Nadirque officio funguntur relate ad duo loca opposita superficie Terrestris, quæ illis subjœcta sunt; ita unus idemque horizon ad duo opposita superficie Terrestris loca pertinebit. Denique hicuti loco utcumque mutato mutatur Zenith, Nadirque; ita etiam loco utcumque mutato Horizon mutetur oportet.

247. Hujusmodi Horizon *Astronomicus* dicitur: appellatur etiam *rationalis*, eo quod ratione per Telluris centrum transire intelligitur. Longe diversus est ab eo Horizon *sensibilis*, qui parallelus quidem est Horizonti astronomico; sed Tellurem tangere singitur in eo loco, in quo versamur; diciturque sensibilis, quod oculorum sensui sit subiectus. Adparet autem istum horizontem Cœlum in duas æquales partes minime distinguere, sed inferiorum Cœli partem, in qua Nadir constituitur, superiori non nihil esse majorem.

248. Horizon suos pariter habet circulos parallelos non omnes quidem æquales, sed alios aliis in infinitum breviores, eoque breviores, quo magis ad Zenith, aut etiam ad Nadir accesserint. Hos circulos Arabes *Almacatarab* appellant: nos eos, qui ab horizonte versus Zenith tendunt, *parallelos altitudinum*; eos vero, qui ab eodem Horizonte tendunt versus Nadir, *parallelos depressionum* vocabimus: nam priores ad altitudines siderum spectant, posteriores vero ad depressiones. Hi omnes circuli communes habent polos, suntque puncta illa duo, quæ Zenith, Nadirque dicuntur; haec enim puncta à singulis parallelis undique distant æqualiter. Quemadmodum autem *minimi omnium* descriptorum parallelorum sunt ipsum Zenith, ipsumque Nadir, in quæ delinunt; ita *maximus* eorumdem parallelorum est Hori-

**Horizon** rationalis 90 gradibus à Zenith, atque Nadir remotus. Is autem universum Cœlum in duas æquales partes distinguit, quarum partium illa, quæ Zenith continet, dicitur *Hemisphærium superius*, & *visibile*; quæ vero Nadir comprehendit, *Hemisphærium inferius*, & *invisibile* adpellatur.

249. Similiter Horizon dividit singulos æquatoris parallelos in partes duas, quarum partium, quæ est in Hemisphærio superiori, dicitur *arcus diurnus*, & *visibilis*; quæ vero est in hemisphærio inferiori adpellatur *arcus nocturnus*, & *invisibilis*. Itaque quando Sol describit arcum diurnum alicujus parallelī dies est; at vero quum percurrit arcum nocturnum fit *nox*. Eadem ratione quando stellæ describunt inotu diurno arcus parallelorum *visibiles*, liquidem noctis tempus sit, vilum nostrum non effugient; at vero quum percurrunt arcus *invisibiles*, etiam tempore noctis erunt inconspicuae.

250. Ab Horizonte profluit *altitudinum*, *depressio-*  
*nique* *contemplatio*, ut pote quæ ab eo circulo versus Zenith, & Nadir numerantur: altitudines quidem versus Zenith, depressiones vero Nadir versus. Altitudinis enim nomine intelligunt Astronomi sideris in superiori hemisphærio constituti distantiam ab Horizonte; pariterque depressionis nomine intelligunt sideris in Hemisphærio inferiori constituti ab eodem Horizonte distantiam. Quapropter stellarum in ipso horizonte constitutarum nulli prorsus est aut altitudo, aut depressione. Stellæ vero in ipso Zenith, aut Nadir positæ altitudo, vel depressione est accuratissime gradum 90, eaque est omnium maxima. Non dissimiliter vocant altitudinem, vel depressionem paralleli (intelligendum id est de circulis, qui paralleli sunt Horizonti) ejus ab Horizonte distantiam; altitudinem quidem si parallelus est in Hemisphærio superiori, depressionem vero, si est in inferiori. Itaque altitudo paralleli eadem est cum altitudine sideris, quod versatur in eo parallelo. Parallelorum autem hinc inde ab Horizonte æque distantium eadem prorsus est altitudo, atque depressione. Perspicuum est autem duas, pluresque stellas in eodem parallelo con-

stitutas eamdem pro<sup>g</sup>ressus altitudinem, vel depressionem fortiri. Itaque dato parallelo dabitur sideris altitudo, vel depresso; & viceversa data altitudine, vel depressione dabitur parallelus.

251. Quum autem dicimus altitudinem, aut depressionem sideris esse distantiam ipsius ab horizonte, intelligimus distantiam numeratam super circulo, qui a sidere normaliter ducitur ad horizontem: hac enim ratione docent Geometræ desumendas esse hujusmodi distantias. Quapropter altitudo, aut depressione alicujus sideris erit arcus circuli, qui a sidere normaliter ducitur ad horizontem. Patet autem hujusmodi circulos & numero esse infinitos, & maximos esse, & per polos horizonis, per Zenith nempe perque Nadir transire. Itaque quum per verticem transeant, *verticales meridianos*, etenim ad metiendas altitudines patrem adhibentur. *Arabes* vocant eosdem circulos *Azimuth*.

252. Quemadmodum autem arcus verticalis circulo inter horizontem, & sidus interceptus altitudo, aut depressione sideris dicitur, ita arcus eiusdem verticalis inter sidus, & Zenith interceptus *distantia à vertice* numeratur. Itaque si sidus sit elevatum supra horizontem, complementum elevationis ad gradus 90° erit distantia sideris à vertice. Si vero sit depresso, summa depressionis & graduum 90° dabit distantiam ab eodem vertice.

253. Illud etiam indubium est, verticales circulos habere polos suos in circumferentia horizonis: etenim si duo sint in sphæra circuli maximi ad se invicem perpendicularares, unius poli constituuntur in circumferentia alterius. Itaque Horizontis ambitus haberi potest tamquam locus, sive sedes polo<sup>rum</sup>, qui ad omnes verticales circulos referuntur. Insuper linea verticalis haberi potest tamquam locus centrorum circulorum omnium, qui Horizonti sunt æquidistantes.

254. Verticalibus circulis accensendus est *Meridians*, qui circulus est in Cœlo maximus per Zenith, adeoque per Nadir ea lege transiens, ut æquatorem ejusque parallelos ad angulos rectos fecerit. Itaque plenum

num transiens per verticem loci perque axem Mundi signare debet Meridianum in Cœlo. Ex quo fit *primus*, ut Meridianus transeat per polos Mundi, sive etiam per polos Aequatoris. Sed inde *etiam* fit, ut Meridianus secat omnes Aequatoris parallelos in partes æquales; adeo ut sidera motu diurno ab oriente ad occidentem abrepta tantum temporis morari debeant ex una parte Meridiani, quantum morantur ex parte altera. Et quoniam singulæ revolutiones siderum expediuntur spatio 24 horarum, sequitur stellas duodecim horas versari ex una parte meridiani, totidemque horas ex altera parte.

255. Quum autem Meridianus transire debeat per verticem loci, quemadmodum singula loca suum tibi proprium, atque peculiarem habent verticem, ita singula peculiarem, sibique proprium meridianum habere deberent; adeoque mutato utcumque loco mutari deberet Meridianus. Verum res aliter se habet: etenim unusquisque circulus verticalis non ita unius loci proprius est, ut ad infinita alia loca non pertineat. Veluti circulus Cœli maximus ZMN (Fig. 29.) per Zenith, atque Nadir loci A traductus verticalis est non modo ipsi loco A, sed idem munus præstat respectu omnium locorum Terrestrium, quæ intra circuli Terrestris ADF ei directe subjecti ambitum continentur. Ex quo fit uecuntibus recta Aquilonem, aut Australum versus meridianus quidem maneat idem, cæteri vero verticales mutentur; sed recta euntibus versus ortum, aut occasum cum cæteris verticalibus mutabitur quoque Meridianus. Ex quo fit etiam, ut loco utcumque mutato mutetur horizon, quamquam non semper mutetur meridianus.

256. Cæterum Meridianus Cœlum in duas æquales partes dispescit, Orientalem scilicet, & Occidentalem. Idem Meridianus occurrit horizonti in duobus punctis, quorum quod proprius est polo Boreo, adpellatur *Cardo Boreus, & Arcticus*. Oppositus *Cardo Australis, & Antarcticus* vocatur. Adiunt præterea in horizonte duo alii cardines, *Orientalis*, neimpe & *Occidentalis* à cardinalibus *Austri*, & *Boreæ* 90 gradibus distantes. Nemadmodum autem duo isti cardines referunt polos Meridiani,

diani; ita cardines Austri, & Boreæ referunt polos alterius cujusdem circuli verticalis per ortus, atque occasus cardines transeuntes, qui quidem verticalis *primævis* vocatur.

257. Sed non modo totum Cœlum in duas æquales partes distinguit *Meridianus*, verum etiam bifariam dividit utrumque hemisphærium superius nempe, & inferius. Ex quo fit, ut singuli arcus parallelorum cum divisi, quum *Meridiano* bifariam ab ipso Meridianō dividantur. Itaque tantum temporis elabi debet ad hoc ut sedes à meridianō ad horizontem perveniat, quantum elapsum est ad hoc, ut ab horizonte ad meridianum adpelleret. Adeoque quando Sol versatur in Meridianō, vel *meridies* celebratur, vel *media nox*: hæcque est causa cur circulus iste Meridianus vocatus sit ab Astronomis.

258. Illud etiam placuit Astronomis, ut revolutiores Cœlestes diurnæ inciperent ab eo meridiani semicirculo, qui verticem continet, atque in eundem desinenter: unde factum est, ut semicirculus meridiani *verticem* continens diceretur semicirculus *hora vigesima quarta*: sedes enim eo non redeunt, nisi post exactas horas 24; oppositus vero semicirculus, qui *Nadir* continet, diceretur semicirculus *hora duodecima*: nam sedes eo post horas duodecim adpelluntur.

259. Reliqui omnes semicirculi per Cœlestes polos transeuntes, qui Meridianorum munere alibi funguntur, *horarii* adpellantur, nomineque suscipiunt ab hora illa, quæ ipsorum a Meridianō distantia ortum versus numeratae respondet. Itaque si horarius aliquis ad occasum meridiani positus angulum cum eo contineat graduum 15, dicetur *is semicirculus hora prima*: quod si contineat angulum graduum 20, vel 45, vel 60, dicetur *semicirculus hora vel secunda, vel tertia, vel quarta*. Denique si horarius aliquis ad ortum meridiani positus ergulum cum eo comprehendat graduum 20, adpellabitur *is semicirculus hora vigesima secunda*: tot enim horas debentur gradibus 220. Neque vero difficulta est horum remanent iaticrem intelligere. Quum enim sedes absolvant cursus suos circa Tellurem spatio hora-

horarum 24, profecto quemadmodum in horis 24 conficiunt gradus 360 (tot enim gradus continent singuli paralleli), ita in hora una conficiant necessarie est gradus 15; in horis duabus gradus 30; in tribus horis 45; atque ita deinceps.

260. Ut finem huic *Capiti* imponamus advertendum est, *meridianam* lineam adpellari communem sectionem circuli meridiani cum quovis piano. Sed frequentissime apud Astronomos *meridianam* nomine venit linea illa, qua est communis sectio Meridiani cum Horizonte sensibili. Quapropter hujusmodi linea tangit Tellurem in illo eodem puncto, a quo tangitur ab horizonte sensibili. Exinde autem fit, ut planum, quod normaliter ad horizontem educitur secundum directionem linea meridiana cum ipso meridiani piano accuratissime convenient; planum vero illud, quod perpendiculariter est tum horizonti quam piano meridiani cum ipso verticalis primariai piano accuratissime congruat.

## C A P U T T E R T I U M.

### *De Triplici Sphaerae positu, Recto, Obliquo, & Parallello.*

261. **S**equitur nunc ut diversas *sphaerae positiones* paucis hic attingamus. Et quidem *sphaerae positionis* nomine intelligunt Astronomi sicut omnem, quem obtinet Horizon respectu Äquatoris. Etenim non in omnibus locis Telluris Horizon eadem ratione constituitur respectu Äquatoris; sed cundo recta versus Boream, vel versus Austrum mutatur continententer inclinatio Äquatoris ad Horizontem. Id quod minime accedit propter mutationem aliquam, quam fortasse subicit Äquator: is enim certam, atque immutabilem positionem habet in Cœlo; sed potius id accedit propter mutationem Horizontis, quem mutato utcumque loco mutari demonstratum est *Capite superiori*.

262. Jam quemadmodum Horizon triplici modo  
I 4 con-

constitui potest respectu *Æquatoris*, ita *triplex* statu*n*  
debet sphærae positio, quartum nomina sunt *recta*, *obli-  
qua*, & *parallela*. Sphæra dicitur *recta*, quum *æquator  
normaliter insit ad horizontem*. Dicitur *obliqua*, quum  
*Æquator oblique insit ad horizontem*. Dicitur denique  
*parallela*, quum *Æquator omnino horizontem non secat*,  
*sed ejus planum coit cum plano Horizontis.*

262. Et quoniam in sphæra *recta* necesse est, ut Zenith & Nadir constituantur sub ipso æquatore; in *obliqua* vero necesse est ut cadant inter æquatorem & polos; & denique in *parallela* oportet ut in polis ipsis constituantur; alia nobis se se offert ratio diversas sphærae positiones distinguendi. Etenim aut vertex loci constituitur sub æquatore, & sphæra erit *recta*; aut vertex loci constituitur inter æquatorem, & alterutrum polarum, sive, quod eodem redit, constituitur sub aliquo parallelo, & sphæra erit *obliqua*; aut denique vertex loci incidit in alterutrum polarum, & sphæra erit *parallela*. Sed possunt quoque eadem sphærae positiones per varias axeos Cœlestis ad horizontem inclinationes distinguiri. Etenim Cœlestis axis vel congruit cum piano Horizontis, & sphæra erit *recta*; vel obliquus est ad planum Horizontis, & sphæra erit *obliqua*; aut denique normalis est ad Horizontis planum, & sphæra erit *parallela*.

264. Sed quocumque modo distinguantur expositæ positiones sphærae, illud certum est in sphæra *recta* polos Cœlestes in ipso horizontis piano esse constitutos; quumque eodem loci constituantur quoque cardines Austri, & Boreæ, alteri cum alteris coibunt. Itaque in ea sphæra verticalis quoque primarius coabit cum *Æquatore*; utriusque enim circuli iidem sunt poli. Præterea in sphæra *recta* quemadmodum *Æquator* normaliter insit ad horizontem, ita normaliter etiam ad eundem horizontem insistunt singuli paralleli; adeoque in hac sphæra sidera dum oriuntur, recta adscendunt supra Horizontem, rectaque descendunt, dum occidunt. Denique illud ambigi nequit in hic sphæra sidera duodecim horas versari debere supra Horizontem, totidemque horas infra eundem Horizontem delitescere: etc.  
nim

nim in hac sphæra singuli paralleli bifariam ab horizonte secantur.

265. Sed in sphæra *parallelæ*, quia nulla est intersectio Äquatoris cum Horizonte, cardines ortus, & occasus evanescent, adeoque evanescet pariter verticalis primarius, qui per illos cardines transit. Præterea quum polus & vertex in ea sphæra coeant inter se, horatit circuli in verticales circulos abibunt. Ad hæc meridianus in eadem sphæra vel nullus est, vel numero sunt infiniti; idque etiam quia vertex & polus coierunt in unum. Insuper quum Äquator & Horizon paralleli sint inter se, necesse est quoque ut qui circuli paralleli sunt Äquatori, iidem paralleli sint etiam Horizonti. Unde quum sidera describant circulos Äquatori parallelos, ea in hac sphæra describant necesse est circulos Horizonti etiam parallelos: adeoque neque adscendent, neque descendunt respectu ejusdem Horizontis.

266. Denique in sphæra *obliqua* alter polorum supra horizontem attollitur, alter infra ipsum demergitur; quantaque est unius poli elevatio supra horizontem, tanta erit alterius depresso. Quemadmodum autem in hac sphæra æquator obliquus est ad horizontem, ita etiam paralleli æquatoris oblique ad horizontem insinuantur: ex quo fit ut in hac sphæra sidera oblique ascendant supra horizontem, & oblique etiam descendant. Hoc amplius in sphæra obliqua nonnulla sidera diutius morantur supra horizontem, quam infra; contra vero alia diutius morantur infra horizontem, quam supra. Id accidit quia propter sphæræ obliquitatem paralleli inæqualiter dividuntur ab horizonte ea quidem lege, ut pars visibilis eorum, qui magis accedunt ad polum elevatum major sit parte invisiibili: contra vero pars visibilis eorum, qui propinquiores sunt polo depresso minor sit parte invisiibili. Ex quo illud necessario continetur, ut sidera quo viciniora sunt polo elevato, eo diutius morentur supra horizontem, eoque brevius infra: Sidera vero quo viciniora sunt polo depresso eo diutius morentur infra horizontem, eoque brevius supra. Et quoniam æquatos in hac etiam sphæra bifariam divisi-

dividitur ab horizonte, inde est, ut sidera in æquatore constituta 12 horas morentur supra horizontem, totidemque horas infra horizontem delitescant.

267. Quemadmodum autem sphæra obliqua media est inter sphæram rectam, & sphæram parallelam, ita nonnulla ei accidunt, quæ contingunt etiam & ipsis. Sic in sphæra recta nullum adest sidus, quod quotidie non oriatur, & occidat: in sphæra vero parallela nullum sidus adest, quod quotidie oriatur, aut occidat; at in sphæra obliqua quædam sidera quotidie oriuntur, & occidunt, quædam alia numquam oriuntur, aut numquam occidunt. Id exinde oritur quod in sphæra obliqua duo adfunt paralleli horizontem in cardinibus Austris, & Boreæ contingentes, quorum unus totus extat supra horizontem, aliis vero totus latet sub illo. Horum parallelorum prior dicitur *maximus adparentium*, posterior *maximus non adparentium* appellatur. Itaque sidera his parallelis & vicino polo contenta aut semper conspicua erunt, aut numquam adparebunt. Cæteræ vero stellæ, quæ intra prædictos duos circulos sunt constitutæ quotidie oriri, & occidere debent.

268. Quæ quum ita sint Telluris incola sub æquatore constitutus hæc in Cælo phænomena deprehendet. *Primo* videbit utrumq; polum in plano horizontis jacere. *Secondo* omnia sidera oriri, atque occidere. *Tertio* omnia sidera recta adscendere supra horizontem, rectaque descendere. Et *quarto* denique unumquodque sidus 12 horas versari supra horizontem, totidemque horas infra horizontem delitescere. Quod si habitator iste ab æquatore Terrestri proficiatur, atque verius polorum alterum iter faciat, alia ei phænomena se le offerent. *Primo* enim polus ille, versus quem tendit, at tolli videbitur supra horizontem, oppositus vero polus videbitur deprimi. *Secondo* sidera circa priorem polum constituta dumquam videbuntur occidere, sed perpetuo supra horizontem revolvi videbuntur; contra sidera circa oppositum polum constituta ab oculis spectatoris se præripient. *Tertio* sidera obliqua supra horizontem adscendere videbit, atque oblique descendere, eoque obliquius, quo magis

gis ad polum acceſſerit. Et *quarto* denique ſidera in eo hemiſphærio conſtituta, in quo iter facit, diutius ſupra horizontem morari, contra vero ſidera in oppoſito hemiſphærio conſtituta, brevius ſupra horizontem morari conſpiciet.

269. Hæc Phænomena eo magis conſpicua fient ſpectatori, quo magis ipſe ad polum accedet; ſed quum ad polum pervenerit hæc erit phænomenorum ratio. *Primo* habebit polum conſpicuum in vertice, polum vero inconſpicuum ſub pedibus. *Secundo* ſidera ſupra horizontem conſtituta numquam occidere, ſidera vero infra horizontem poſta numquam oriſi videbit. Et *tertio* denique ſidera conſpicua motu parallelo ad horizontem ferri videbit.

270. *Duo autem* ſunt loca Telluris, quæ ſphæram habent parallelam; *infinita* quæ reſtam; *longe infinita* quæ obliquam. Etenim quum duos in Cœlo polos ha-beamus, duo tantum loca exiſtent in ſuperficie Telluris, quæ direcťe illis ſubjici poſſint; at vero infinita ſunt Telluris loca ſub æquatore Cœleſti direcťe conſtituta; ex quo fit ut infinitus ſit etiam numerus ſphærarū reſtarum; longeque infinita ſint, quæ ſubjiciuntur regionibus Cœli inter æquatorem, & polos interjectis; ex quo ſequitur ſphærarum obliquarum numerum eſſe plusquam infinitum.

271. Sed qualifcumque ſit ſphæræ poſtio illud eſt certum, atque indubitatū in unaquaque ſphera taxam eſſe poli altitudinem, quanto eſt declinatio verticis. Etenim quum à vertice ad horizontem interſint gra-dus 90, totidemque gradus intercedant ab æquatore ad polum, profecto dempto communī arcu inter verticem, & polum comprehenſo, ſupererit diſtantia verticis ab æquatore, quæ adpellatur *declinatio verticis*, aequalis diſtantiae poli ab horizonte, quæ dicitur *altitudo poli*. Itaque quum in ſphera reſta nulla ſit declinatio verticis, nulla etiam eſt poli altitudo. In ſphera vero paral-lela, quia vertex declinat ab æquatore gradibus 90, totidem quoque gradibus polus ſupra horizontem emi-nebit.

272. De-

272. Denique in sphæra tum recta , quum obliqua, in qua ortus occasusque siderum habet locum , considerantur amplitudines ortivæ , atque occidua . Amplitudo ortiva dicitur arcus horizontis inter sidus oriens & cardinem orientalem interceptus ; occidua vero est arcus horizontis inter sidus occidens & occidentalem cardinem comprehensus . Ultriusque amplitudinis duplex est species Borealis una, Australis altera, quarum prior habet locum in hemisphærio boreali, altera vero consideratur in hemisphærio australi. Minimæ siderum amplitudines sunt in sphæra recta ; quippe ejusdem sideris eo major est amplitudo , quo major est obliquitas sphæræ , quemadmodum ex Cœlesti globo facile est intelligere.

## C A P U T Q U A R T U M .

### *De Cœlestium circulorum in superficiem Terræstrem translatione.*

273. Hactenus Cœlestis sphæræ descriptionem persequuti sumus ; sequuntur nonnulla de globo Terrestri, in cuius superficiem omnes pene Cœlestes circulos transtulerunt Geographi . Isthæc translatio fit ducendo à singulis punctis circulorum Cœlestium ad centrum Telluris totidem rectas lineas ; eæ enim signabunt in Terrestris superficie circulos totidem Cœlestibus circulis respondentes.

274. Et primo quidem quemadmodum in Cælo, ita & in Terra duo poli considerandi sunt , quorum ille , qui polo Cœli Boreo directe subest, *Boreus* , & *Arcticus* dicitur ; ille vero qui polo Cœli Australi directe subjicitur *Australis*, & *Antarcticus* adpellatur. Quemadmodum autem recta linea conjungens polos cœlestes dicitur *axis Cœlestis*; ita etiam recta linea conjungens polos Terrestres *axis Telluris* dicenda est ; isque productus cum cœlesti axe consentire , atque in ipsos Cœli polos incurrire putandus est.

275. Habet Tellus suum aquatorem, cuius planum unde-

unde quaque productum in cœlestem æquatorem offendit. Nam æquator Terrestris intelligitur esse communis se et io plani æquatoris cœlestis cum superficie Telluris. Inde autem fit, ut loca omnia, quæ ambitu æquatoris Terrestris continentur, verticem habeant positum in æquatore cœlesti, atque adeo sphæram rectam fortiantur. Quemadmodum autem æquator cœlestis dividit Cœlum in duo hemisphæria, quorum alterum boreale, alterum australe appellatur; ita etiam æquator Terrestris secat Tellurem in duo hemisphæria boreale scilicet, & australe, retentis iisdem nominibus.

276. Habet & suos *parallelos*, qui circuli sunt in superficie Telluris non maximi æquatori paralleli hinc & inde ab ipso æquatore versus polos procedentes non omnes quidem æquales, sed alii aliis in infinitum breviores, eq; breviores, quo magis ad polos accesserint. Unusquisque horum parallelorum habet in Cœlo sibi respondentem circulum parallelum. Nam si semidiameter aliqua Terrestris, manente vertice in centro Telluris, circa alicujus paralleli Terrestris circumferentiam ferri intelligatur, ea ad Firmamentum usque producta parallelum ibi non dissimilem signabit, cuius scilicet distantia ab æquatore cœlesti eadem est cum distantia paralleli ab æquatore Terrestri. Itaque unusquisque parallelus Terrestris intelligi potest tamquam communis sectio superficie Terrestris cujus superficie coni recti, cuius vertex est centrum Telluris, basi vero est parallelus Cœlestis. Itde autem fit ut loca omnia, quæ ambitu alicuius paralleli Terrestris continentur, verticem habeant positum in parallelo Cœlesti, qui illi correspondet, sphæramque adeo obliquam fortiantur.

277. Suos quoque habet *meridianos*, quos plana meridianorum Cœlestium per centrum Telluris transversalia in Terrestri superficie signata concipienda sunt. Et quoniam Cœlestes meridiani per mundi polos transseunt, perque verticem loci, sequitur meridianos Terrestres per Telluris polos, perque ipsa loca Terrestria transire debere. Hujusmodi Terrestres meridiani *latitudinum circuli* adpellantur, eo quod *latitudinibus* locorum,

rum, parallelorumque Terrestrium metiendis inserviunt. *Latitude enim alicujus parallelæ est distantia ejusdem parallelæ ab æquatore; sive etiam est arcus meridiani circuli inter parallelum, & æquatorem interceptus: eaque duplex est septentrionalis, aut meridionalis, prout parallelus constituitur in hemisphærio septentrionali, aut meridionali.*

278. Hinc autem patet primo loca omnia Terrestria, quæ ambitu æquatoris Terrestris continentur, omni prorsus latitudine destituti. Secundo latitudinem locorum Terrestrium, quæ sub eodem parallelo constituuntur, eamdem esse & specie, & quantitate. Tertio polorum latitudinem ad 90 gradus adscendere, eamque omnium maximam esse. Quarto latitudinem parallelæ Terrestris æqualem esse declinationi parallelæ cœlestis correspondentis; atque adeo latitudinem loci æqualem esse declinationi verticis ejusdem loci. Et denique illud manifestum est loci latitudinem æqualem esse altitudini polari. Nam altitudo poli adæquat declinationem verticis; declinatio autem verticis adæquat latitudinem loci.

279. Quemadmodum autem meridiani dicuntur *circuli latitudinum*, ita æquator, & parallelæ appellantur *circuli longitudinum*; nam longitudines non quidem ab æquatore versus polos, quemadmodum latitudes, sed ab occasu ad ortum numerantur. Est quippe longitudine alicujus loci arcus æquatoris vel parallelæ ab occasu in ortum tendens interceptus inter meridianum, qui habetur ut terminus longitudinum, & meridianum illius loci. Sane quum de constituendo latitudinum termino ageretur haud difficile fuit ipsum in æquatore collocare, ut pote qui omnium parallelorum præcipuus jūs haberi poterat. At suborta deinde contemplatione longitudinum non æque facile fuit certos terminos constituere, unde initium numerationis fieret: etenim meridiani sunt omnes circuli maximi, neque quidquam causæ est cur alias alio potior habeatur. Inde orta gravissima illa contentio inter Geographos de *Primitu meridiani*. Aliis enim placebat potissimum habere meridianum, qui per insulam

S.Ni-

*S. Nicolai Promontorio viridi adjacentem; aliis meridianum, qui per insulam Corvi Azoridibus adscriptam; aliis denique meridianum transeuntem per insulam Ferri Canariarum omnium occidentalissimam: in quorum sententiam mappæ Geographicæ ut plurimum construi solent. Aliud tamen faciunt Astronomi, qui meridianum loci in quo versantur, & in quo suas observationes faciunt, habent potissimum. Diversum etiam faciunt Nautæ, qui meridianum portus, unde primum solvunt, habent præcipuum.*

280. Quum autem Sol moveatur ab ortu in occasum spatio 24 horarum, is singulis horis promovebitur versus occasum per gradus 15. Quapropter in locis, quæ domicilio nostro quindecim gradibus orientaliora sunt, meridies unam horam anteverget, duas in illis, quæ triginta gradibus orientaliora sunt, tres in illis, quæ quadraginta quinque; atque ita deinceps. Similiter in locis, quæ meridiano nostro quindecim gradibus occidentaliora sunt, meridies post unam horam continget; post horas duas in locis, quæ triginta gradibus sunt occidentaliora; post tres in locis, quæ quadraginta quinque gradibus magis vergunt ad occasum, atque ita deinceps. Unde longitudines locorum non modo per gradus, graduumque partes, verum etiam per tempus, temporisque partes possunt describi, dummodo meminerimus quindecim gradibus unam horam deberi, duas triginta, tres quadraginta quinque, atque ita deinceps. Qua ratione locus qui à primo meridiano abest gradibus 45, minutis 15, & secundis 15, dici poterit abesse ab eodem meridiano per horas 3 minutū 1, & secundum 1. Etenim quemadmodum singulis 15 gradibus debetur hora una, ita singulis quindecimi minutis, debetur unum temporis minutum; singulis vero quindecim secundis unum temporis secundum.

281. Denique illud sciendum est in Terrestri globo *Antecos* adpellari, qui eodem meridiani semicirculo utuntur, & oppositis parallelis; *Periecos* qui eodem parallelo utuntur, sed oppositis semicirculis ejusdem meridiani. *Antipodes* denique, qui & oppositos habent pa-

parallelos, & oppositos semicirculos ejusdem meridiani. Adpellantur autem *parallelī oppositi* parallelī illi, qui seque distant ab æquatore. Itaque *Antoci* eamdem sortiuntur longitudinem, latitudinem vero eamdem quantitate, specie diversam. *Perieci* vicissim eamdem habent latitudinem tunc quantitate, quum specie, sed longitudes diversas, earumque differentia est horarum 12. Denique *Antipodes* habent latitudinem eamdem quidem quantitate, specie vero diversam; habentque etiam longitudes diversas, earumque differentia est pariter horarum 12, sive graduum 180.

## C A P U T Q U I N T U M.

### *De dupli Siderum altitudine; Et de Poli altitudine affequenda.*

282. **C**apite secundo hujus Libri dictum est, parallelos altitudinum adpellari circulos omnes horizoni rationali parallelos ab ipso horizonte versus verticem procedentes; dictumque etiam est uniuscuniusque parallelī altitudinem adpellari arcum verticalis circuli inter ipsum, & horizontem comprehensum; ex quo illud deduximus horizontis nullam prorsus esse altitudinem; parallelī vero altitudinem eo esse majorem, quo magis ad verticem accedit; & denique altitudinem verticis omnium maximam esse, eamque accuratissime esse graduum 90.

283. Sed illud etiam dictum est, sideris altitudinem adpellari ipsam altitudinem parallelī, in quo sidus constituitur; quapropter sideris in horizonte existentis nulla prorsus est altitudo; duo vero aut plura sidera in eodem parallelo posita eamdem habent altitudinem; & denique maxima altitudo, ad quam sidus adscendendo potest pervenire, nonaginta gradus superare non potest. Patet autem in sphæra parallela siderum altitudinem in singulis suis revolutionibus eamdem permanere; etenim sidera in sphæra ista describunt motu diurno circa los

circulos horizonti ad sensum parallelos. At vero in sphæra recta & obliqua siderum altitudines inde linenter mutari. Etenim quum in utraque hac sphæra paralleli altitudinum æquatoris parallelos intersecant, corpora autem cœlestia moveantur secundum circulos æquatori parallelos, necesse est ut singulis ipsa temporis articulis parallelum altitudinis, atque adeo altitudinem mutant.

284. Et quoniam in utraque hac sphæra unusquisque parallelus æquatoris occurrit in duobus punctis parallelis altitudinum, inde fit ut utrobiq; sidera bis eamdem altitudinem dietim consequantur, semel in plaga orientali, iterum in plaga occidentali; bis enim in eodem altitudinis parallelo versantur. Sed quum ad meridianum adpulerunt, tunc maximum altitudinem consequuta esse censenda sunt. Sane in sphæra obliqua sidera numquam occidentia bis meridianum pertransiunt semel in parte superiori, iterum in parte inferiori; & quemadmodum altitudo siderum *superior* omnium est maxima; ita *inferior* est minima omnium.

285. Sideris ergo ab horizonte emergentis altitudo augetur inde linenter usq; ad meridianum, quo tempore maximum altitudinem consequitur, quam *meridianam* dicimus; deinde vero minuitur continenter usque ad horizontem, quo tempore omni prorsus altitudine destituitur. Quocirca *duplex* in sideribus *altitudo* distinguenda est, *meridiana* nempe, & non *meridiana*. Prior pertinet ad sidera quum ad meridianum adpellunt, quæ in stellis numquam occidentibus distinguitur in *superiore*, & *inferiore*. Altera vero spectat ad sidera quæ extra meridianum constituuntur. Ultramque autem altitudinem æque metimur per arcum verticalis circuli inter sidus, & horizontem comprehensum; ad cognoscendam enim altitudinem sideris sat est cognoscere quantitatem hujusmodi arcus. Ad quod obtainendum etsi complura instrumenta excogitata sint ab astronominis, præcipuo tamen loco habetur *Quadrans astronomicus*, de cuius tota constructione, atque usu consulendi sunt præ ceteris *Hirius* in suis *Tabulis Astronomicis*, &

magnum Italiae lumen Eustachius Manfredius in primis  
suis Ephemeridibus.

286. Quemadmodum autem altitudines siderum ex-  
plorantur per quadrantem astronomicum, ita per eum-  
dem etiam quadrantem invenire licet poli altitudi-  
nem, si in ipso polo sidus aliquod fixum, atque im-  
mobile esset constitutum. Nam comperta ejus sideris  
altitudine, illico haberetur poli altitudo. Nunc autem  
quum in polo nullum sidus deprehendatur, neq; adesse  
perpetuo ibi morari posset propter causas inferius expo-  
nendas, conati sunt Astronomi per stellas circumpola-  
res numquam occidentes poli altitudinem definire,  
Methodus ita se habet. Sit HO (Fig. 20.) horizon loci;  
HZO meridianus eiusdem loci; Z vertex, P polus visibili-  
lis, & PO altitudo poli, quæ investiganda proponitur.  
Sit insuper S sidus aliquod circumpolare, quod ita circa  
polum P ab ortu ad occasum revolvatur, ut tamen su-  
pra horizontem HO perpetuo maneat. Itaque hoc sidus  
his meridianis pertransibit semel in S supra polum P,  
iterum in s infra eundem polum. Capiatur ergo me-  
diante quadrante astronomico utraque sideris altitudo  
superior nempe SO, & inferior sO; tum ex superiori SO  
dempta inferiori sO dimidium differentie PS, aut Ps  
vel subtrahatur ex altitudine majori SO, vel addatur  
minori sO; residuum enim aut summa semper dabit  
quæsitam poli altitudinem PO. Inventa poli altitudi-  
ne habebitur loci latitudo; quum latitudo loci ubique  
æqualis sit altitudini polari. Sed inventa poli altitudine  
PO facile erit altitudinem æquatoris EH investigare.  
Etenim quum arcus meridiani HZO sit graduum 180,  
sitque arcus eiusdem meridiani PE graduum 90, erit  
summa arcuum PO, EH graduum etiam 90. Quapro-  
pter complementum altitudinis polaris ad gradus 90  
dabit altitudinem æquatoris. Ut si altitudo poli in hac  
nostra Civitate Neapolitana sit graduum 40. 50. 30.  
quemadmodum nuperrime accuratissimis observationi-  
bus habitis deprehendimus, altitudo æquatoris erit gra-  
dum 49. 9. 39.

CA.

## CAPUT SEXTUM.

*De investigandis Siderum declinationibus.*

*Item de arcubus diurnis, atque nocturnis; deque amplitudinibus ortivas, occiduasque definiendas.*

287. Nventa poli altitudine facile erit deinde siderum declinationes determinare; item arcuum diurnorum, ac nocturnorum quantitatem, amplitudinesque ortivas, & occiduas. Ut à declinationibus incipiamus, repræsentet iterum HZO (Fig. 31.) horizontem rationalem, Z verticem, EQ æquatorem, P polum, S sidus aliquod in meridiano constitutum, & SE declinationem ipsius sideris, quæ investiganda proponitur. Capiatur cum quadrante astronomico altitudo sideris meridiana SO, vel SH; tum si quidem sidus pertranseat meridianum inter polum P, & verticem Z, ab altitudine sideris meridiana SO subtraæta poli altitudine PO, supererit distantia sideris S à polo P; cuius idcirco complementum ad gradus 90 dabit declinationem quæsitam SE. Quod si vero sidus transeat inter verticem Z, & æquatorem EQ, id quod ex ipsis æquatoris altitudine data facile cognoscitur, eo casu ad habendam sideris declinationem satis erit ab altitudine sideris SH subtrahere altitudinem æquatoris EH. Et denique si sidus transeat ultra æquatorem respectu verticis Z, tunc ad habendam declinationem SE oportebit vicissim ab altitudine æquatoris EH subtrahere altitudinem meridianam sideris SH. Qua quidem in re notandum est declinationem in primo & secundo casu prodire ejus speciei, cuius est polus visibilis P; in tertio vero casu declinationem ad oppositam speciem pertinere.

288. Quemadmodum autem ex data poli altitudine elicetur declinatio sideris; ita vicissim ex data side-

ris declinatione alicubi obſervata nullo negotio defi-  
nietur elevatio poli in alio quovis loco dato. Sumpta  
enim rursus sideris S altitudine meridiana, ejus comple-  
mentum dabit distantiam SZ sideris à vertice Z. Tum  
si fidus transeat inter verticem Z & polum P, ab ejus  
declinatione SE, quæ data ſupponitur, auferatur diſtan-  
tia sideris à vertice ZS; si vero transeat inter verticem  
& æquatorem, id quod ex ipſius sideris altitudine me-  
ridiana cognoscitur, addatur declinationi SE diſtantia  
ZS sideris à vertice; denique si transeat ultra æquatorem  
reſpectu verticis, id quod innotescit ex ſpecie declina-  
tionis date, ab arcu SZ auferatur sideris declinatio da-  
ta; nam omni caſu habebitur arcus ZS inter verticem  
& æquatorem comprehensus: cui arcui demonstratum  
et æqualem eſſe poli altitudinem PO.

289. Ex data autem tum altitudine æquatoris, quum  
ſideris declinatione facile erit per resolutionem trianguli  
ſphærici invenire arcum tum diurnum quum noctur-  
num ejus ſideris. Sit enim rursus HZO meridianus, HQ  
horizon, (Fig. 22.) P polus, EH altitudo æquatoris data,  
EQ æquator, A ſidus, & RA ejus parallelus. Intelligatur  
per locum ſideris A traductus circulus declinationis  
PAI occurrens æquatori in puncto I. Itaque in triangu-  
lo ſphærico QAI tria dabuntur; nempe angulus rectus  
ad I, angulus AQI, ſive ipſi æqualis EQH, quem meti-  
tur altitudo æquatoris data EH, & declinatio ſideris AI,  
quæ etiam data ſupponitur; quapropter facile erit inve-  
nire latus QI, quod additum quadranti EQ dabit to-  
tum arcum EI, qui idcirco cognoscetur. Sed arcus RA  
ſimilis eſt arcui EI: itaque quot gradus partequa gra-  
duum continentur in arcu æquatores EI, totidem gra-  
duis graduumque partes continebuntur in arcu paralleli  
RA; quibus in tempus conversis ea lege ut ſingulis quin-  
decim gradibus ſingulæ horæ attribuantur, habebitur  
ſpatium temporis, quod impendit ſtella ad hoc ut ab  
horizonte adſcendat ad meridianam; ideoque duplum  
ipius temporis eſtit arcus diurnus; ipſius autem com-  
plementum ad horas 24 eſtit arcus nocturnus. Siç fa-  
ciendum eſtit ſi declinatio ſideris AI sit illius ſpe-  
ciei

ciei, cuius est polus visibilis P; quod si vero sit speciei opposite, eo casu ab arcu æquatoris QE graduum 90 detrahendus esset arcus QI: residuum enim EI dabit arcum semidiurnum RA.

290. Et quoniam in eodem triangulo QAI ex tribus datis supra recensitis invenire etiam licet hypothenusem QA, habebitur eo ipso amplitudo sideris; quæ quidem erit ortiva si sidus oriatur, occidua vero si occidat; eritque insuper ejusdem speciei cum polo visibili, si declinatio sideris sit ejusdem cum polo visibili speciei; erit vero speciei opposita, si declinatio sit pariter opposita speciei. Sed adnotandum est in sphæra recta siderum amplitudines ab eorumdem siderum declinationibus diversas non esse. Etenim coincidente polo P (Fig. 23.) cum cartine O, quemadmodum accidit in sphæra recta, incidet punctum æquatoris E in verticem Z, punctum autem I in punctum Q. Quocirca sideris declinatio AI mutabitur in amplitudinem QA; id quod ex eo etiam colligi potest, quod sidera in sphæra recta adscendant perpendiculariter supra horizontem, perpendiculariterque descendant.

291. Ceterum quo major est poli altitudo, eo maiores sunt ejusdem sideris arcus diurni aut nocturni. Etenim arcus sideris semidiurnus RA (Fig. 22.) habetur ex summa, vel differentia quadrantis EQ & arcus QI; itaque quo major est arcus QI eo major erit arcus diurnus sideris constituti in hemisphærio poli visibili, atque eo major erit arcus nocturnus sideris constituti in hemisphærio oppolito. Jam vero ad inveniendum arcum QI instituenda est hæc proportio. Ut sinus totus ad tangentem declinationis datae sic tangens altitudinis poli ad sinum cruris QI; Itaque quam prior ratio data sit, data erit & posterior; atque adeo quo major est poli elevatio, eo major erit arcus QI.

292. Denique quo major est poli altitudo, eo major erit ejusdem sideris amplitudo ortiva, aut occidua. Etenim ad investigandam hypothenusem QA trianguli rectanguli QAI, per quam amplitudo sideris desinitur, instituenda est hæc proportio: ut sinus totus

150 PHILOSOPHIAE NATURALIS  
ad finum declinationis sideris ita secans elevationis poli ad finum arcus QA . Unde quia data est prior ratio ,  
dabitur & posterior , nempe secantis altitudinis poli ad finum hypothemis QA : atque adeo quo major est poli  
altitudo, eo major erit sideris amplitudo QA.

## C A P U T S E P T I M U M .

*De Parallaxi Siderum: ubi de visarum,  
atque verarum altitudinum  
discrimine.*

293. **S**ed altitudines siderum , de quibus haec tenus verba fecimus quoniam à veris diversæ sunt , *visæ*, atque *adparentes* adpellantur. Enim vero per quadrantem astronomicum asservimur altitudinem sideris supra horizontem sensibilem ; quum tamen vera ejus altitudo sit arcus verticalis circuli inter sidus , & horizontem rationalem comprehensus.

294. Quod ut clarius adpareat , repræsentet NMT (Fig. 34.) superficiem Telluris , cuius centrum sit T : N locum observatoris , CNZ lineam verticalem , Z verticem , BNB horizontem sensibilem , qui tangit superficiem Telluris in puncto N , & HCH horizontem rationalem , qui transiens per centrum Telluris C parallelus est horizonti sensibili . Denique referat S sidus , à quo ad puncta N , & C duæ intelligentur rectæ SN , SC : erit ergo angulus SNB *adparentis* , seu *visa* sideris altitudo , altitudo nempe illa , quam per quadrantem asservimur : at vero sideris altitudo vera est angulus SCH ; quare quum anguli SNB , SCH non sint æquales inter se , sequitur *visam* sideris altitudinem à vera ipsius altitudine esse diversam . Non dissimiliter angulus SNZ adpellabitur *visa* , seu *adparentis* sideris à vertice distantia ; *vera* enim ejusdem sideris à vertice distantia erit angulus SCZ , qui ab angulo SNZ longe diversus est.

295. Hinc autem liquet primo altitudinem sideris *visam* semper minorem esse altitudine vera ; vicissim ve-

*to distantiam visam si leris à vertice semper vera distantia esse maiorem.* Etenim quum in triangulo SNO angulus interior SNO minor sit angulo exteriori & opposito SOB; sitque angulus SOB propter parallelas aequalis angulo SCH, erit angulus SNO minor angulo SCH; unde quum angulus SNO sit sideris altitudo visa, angulus vero SCH sit vera ipsius altitudo, erit *visa sideris altitudo semper minor altitudine vera.* Et similiter quum in triangulo SNC angulus exterior SNZ, qui est viva distantia sideris à vertice, major sit angulo interiori & opposito SCN, qui veram sideris à vertice distantiam metitur, erit *visa sideris à vertice distantia semper major distantia vera ab eodem vertice.*

296. Liquec secundo differentiam *tum visa atque vera altitudinis*, quum *visa atque vera distantia à vertice aequalem esse angulo illi*, quem *semidiameter Terrestris comprehendit ad sidus S*, quem *angulum parallaxim altitudinis deinceps adpellabimus.* Est enim differentia inter *visam altitudinem SNO*, & *veram SCH*, sive etiam SOB, angulus NSO, sive NSC; & similiter differentia inter *vitam à vertice distantiam SNZ*, & *veram SCZ* est idem angulus NSC; quapropter quum angulus NSC *æqualis sit ei*, quem *semidiameter Terrestris CN comprehendit ad sidus S*; sequitur *differentiam tum visa atque vera altitudinis*, quum *visa atque vera sideris à vertice distantia aequalem esse angulo*, quem *semidiameter Terrestris comprehendit ad sidus*. itaque quo major est, cæteris paribus, *semidiameter Terrestris*, eo major est *parallaxis ejusdem sideris*: etenim quo major est *semidiameter Terrestris*, eo major est *angulus*, quem *ipsa semidiameter comprehendit ad sidus*. Et quoniam *altitudo sideris visa minor est vera*, addendo *parallaxim altitudini visa habebitur altitudo vera.* Rursus quoniam *distantia visa sideris à vertice major est vera*, subtrahendo *parallaxim à distantia visa habebitur distantia vera.*

297. Liquec tertio *sinum parallaxeos altitudinis alienus sideris esse semper ut sinum visa ipsius distantiae à vertice.* Etenim quum in triangulo SNC detur *tum semidiametrum Telluris CN*, quum *distantia sideris S à centro*

tro C ejusdem Telluris, dabitur ratio rectæ CN ad rectam CS ; atqui CN est ad CS ut sinus parallaxeos CSN ad sinum anguli SNC, sive etiam ad sinum anguli SNZ, qui visam sideris à vertice distantiam metitur ; itaque ratio sinus parallaxeos altitudinis ad sinum distantiae visæ sideris à vertice etiam data erit ; adeoque *illius sinus erit ut sinus ipsius*. Unde si parallaxium quantitates sint exiguae, non modo sinus parallaxeos erit ut sinus distantiae visæ sideris à vertice, verum etiam ipsa parallaxis erit ut idem sinus distantiae visæ sideris à vertice. Itaque sidere ad verticem accidente parallaxis continententer decrescit : atque adeo quemadmodum in ipso horizonte parallaxis est omnium maxima, ita in vertice est minima omnium, immo pro�us nulla : quæ omnia ex eo quoque consequuntur, quod angulus, quem semidiameter Terrestris comprehendit ad fidus eo major sit, quo magis fidus ad horizontem accedit, eo vero sit minor, quo magis fidus accedit ad verticem.

298. Data sideris parallaxi in quo cumque gradu altitudinis visæ, facile invenietur ejusdem sideris à Tellure distantia . Sit enim data parallaxis NSC ad altitudinem visam SNB . Quoniam datus supponitur. angulus SNB, dabitur etiam angulus SNC , qui componitur ex dato angulo SNB , & ex angulo recto BNC . Itaque in triangulo SNC dabuntur omnes anguli; atque adeo ratio laterum non ignorabitur . Sed data est semidiameter Terrestris CN ; quare dabitur etiam distantia sideris S à centro Telluris C. Vicissim vero data sideris à Tellure distantia facile erit ejus parallaxim ad quamvis altitudinem veram determinare . Sit enim data tum sideris altitudo vera SCH, quum ipsis distantia SC. Quoniam datur angulus SCH dabitur etiam angulus SCZ ; unde in triangulo SCN data erunt non modo latera CS, CN, verum etiam summa angulorum CSN, CNS ab basimi NS: quapropter facile erit ipso angulos CSN, CNS distans invenire.

299. Liqueat quarto siderum, quorum eadem est altitudo visa supra horizontem, parallaxes altitudinis esse inter se reciproce ut ipsorum a Telluris centro distantias . Sit enim

enim S sidus unum, & I sidus alterum, quorum utrumque adpareat in una eademq; recta linea NSI, hac enim ratione eadem erit utriusque sideris visa altitudo. Diversis rectis CS, CI, erit quidem angulus CSN parallaxis sideris S, angulus vero CIN parallaxis sideris I; quæ cum modicæ sint, quemadmodum suo loco dicetur, ipsæ parallaxes erunt inter se ut sinus ipsarum. At vero sinus parallaxeos CSN, sive CSI est ad sinum parallaxeos CIS ut CI ad CS; hoc est reciproce ut distantia sideris S à centro C ad distantiam sideris I ab eodem centro; itaque parallaxis sideris S erit ad parallaxim sideris I reciproce ut distantia sideris S à centro Telluris ad distantiam sideris I ab eodem centro Telluris. Quapropter siderum, quorum eadem est altitudo visa supra Horizontem, illud majorem habebit parallaxim, quod nobis vicinius est; illud vero minorem, quod à nobis longius distat. Id quod ex eo quoque liquere potest, quod recedente sidere S à Tellure manente eadem altitudine visa, minor semper, atque minor evadat angulus, quem semidiame ter Telluris CN ad ipsum comprehendit. Unde illud sua sponte profuit sideris in immensa a Tellure distantia collocati nullam prorsus vel in ipso horizonte esse parallaxim altitudinis: evanescente nempe in tanta distantia angulo, quem semidiame ter Terrestris ad sidus comprehendit. Quod cum ita sit mirum esse non debet si nullam in Jove, & Saturno, ne dum in stellis fixis, altitudinis parallaxim observare unquam Astronomi potuerint; etenim adeo immensæ sunt horum siderum à nobis distantiae, ut præ illis semidiame ter Terrestris instar puncti habeant.

300. Denique illud licet parallaxes duorum siderum, quorum tum altitudines supra horizontem, quam distantias a centro Telluris inæquales sunt, esse inter se ut sinus visarum eorumdem siderum a vertice distantiarum directe, & distantias ipsorum a centro Telluris inverse. Etenim cum distantiae à Telluris centro pares sunt, altitudines vero sunt inæquales, parallaxes sequuntur rationem sinus distantiarum visarum à vertice. Vicissim cum altitudines sunt pares, distantiae vero à cen-

à centro Telluris sunt inæquales , parallaxes sequantur inversam rationem distantiarum à centro Telluris . Itaque si neque distantiae à centro Telluris æquales sunt, neque altitudines visæ sunt æquales , parallaxes erunt inter se directe ut sinus visarum à vertice distantiarum, reciprocè vero ut ipsæ distantiae à centro Telluris.

301. Itaque parallaxeos mensura pendet ex tribus hisce causis, ex Telluris nempe semidiametro, ex altitudine sideris supra horizontem , & ex ipsius à Telluris centro distantia : Nam parallaxis dati sideris eo major est , quo major est semidiameter Telluris . Item eadem parallaxis eo major est, quo sidus minus attollitur supra horizontem . Denique quo minor est sideris à Telluris centro distantia , eo etiam major est parallaxis . Quocirca major est Lunæ perigeæ parallaxis, quam Lunæ apogeæ . Item parallaxis Lunæ horizontalis major est parallaxi , quam Luna cæteris paribus sortitur in alio quocumque altitudinis gradu . Denique quamvis Sol, & Luna in eodem altitudinis gradu consistant, tamen major est parallaxis Lunæ quam Solis, ob minorem illius à centro Telluris distantiam.

302. Quæ quum ita sint nullo negotio per parallaxes Lunares sub diversis Terrarum locis observatas definiri poterit vera figura Telluris , quemadmodum summi Vir ingenii Eustachius Manfredius nuperrime Astronomos commonefecit . Etenim si parallaxes Lunares in eodem altitudinis gradu , atque in eadem distantia a centro Telluris pares sint sub omnibus parallelis Terrestribus , Tellus sphærica figura donabitur ; quod si vero inæquales sint, figuram à sphærica longe diversam sortietur . Num autem oblongata sit versus polos versus æquatorem vero depressa , quemadmodum Mathematici Galli sentiunt , an vero oblongata sit versus æquatorem versus polos autem depressa , quæ Hugenii , Newtoni , aliorumque clarissimorum Virorum fuit sententia ; id quidem facile cognoscetur ex decremente, vel incremento parallaxium Lunarium sub diversis parallelis observatarum .

CA-

## CAPUT OCTAVUM.

*De Siderum refractione: ubi rursus de visarum verarumque altitudinem discrimine.*

303. **V**ulgatissima luminis proprietas est, radios lucis dum ex uno medio oblique decidunt in aliud medium de tramite deflectere, atque aliam semitam inire. Deflexum istum radiorum, quem *refractionem* Phylici appellant, fieri diximus *Libro superiori* sequentibus legibus. Prima ut radius refractus semper sit in *plano transente per radium incidentem*, & per *perpendicularem*, quæ a *puncto incidentio* educitur super *superficiem refringentem*. Secunda ut radii in *transendo de rario in medio in densius accedant ad perpendicularem*, ab illa vero recedant in *transendo vicissim de medio densiori in rarius*. Et tertia denique ut *finus anguli incidentia ad sinum anguli refractionis sit semper in data, atque constanti ratione*.

304. Jam Tellurem nostram ad certam quamdam altitudinem undique corpus cingere ex aere, aqua, & reliquo crassiori elemento concretum, quam *atmosphaeram* appellamus, in confessu est apud omnes. Quapropter radii luminis, quos corpora celestia immittunt versus oculos nostros, quum atmosphaeram istam pervadere debeant, refractionem patiantur oportet secundum leges modo expositas. Sane spectatore in Telluris centro constituto nullam radii eo advenientes refractionem subirent: quemadmodum enim Tellus sphaerica est, ita sphaerica pariter est atmosphaera Tellurem ambiens. Itaque radii ad centrum tendentes quia perpendiculariter incident in atmosphaeram nullam refractionem patiuntur; etenim refractione non habet locum nisi in radiis oblique incidentibus.

305. Sed quoniam nos haud quidem ex centro Telluris, sed ex ejus superficie fidera spectamus, res alites  
se

## 156 PHILOSOPHIE NATURALIS

se habet. Sit enim N (Fig. 35.) locus observatoris in superficie Telluris; NB horizon sensibilis, cui parallelus est horizon rationalis CH. sitque MIR atmosphera Tellurem cingens, & S sidus, à quo ad puncta N, & C ductæ intelligantur rectæ SN, SC. Facile intelligitur oculo in centro Telluris C constituto futurum, ut sidus S videatur mediante radio integræ CS: nam is perpendiculariter atmosphærat subiens nullam refractionem pati debet. At vero oculo in loco N constituto facile etiam intelligitur, impossibile esse ut sidus S videatur mediante radio integræ NS; nam radius SI oblique occurrens atmosphæræ refrangi debet in radium IQ accedendo ad perpendicularē CI: eō quod refractione fit è rariori medio in densius; quapropter radius refractus IQ non ad oculum spectatoris politi in loco N, sed ad oculum ejus spectatoris, qui ex loco Q intuetur, tendet. Spectator autem loci N intuebitur sidus per radium refractum NM, cuius incidens SM nonnihil altior est radio SI.

306. Hinc autem fit ut sidera propter refractionem ulsiora adpareant, quam revera sunt, respectu horizontis sensibilis. Cadat enim ex sidere S in atmosphæram radius SM, isque refractus pergit ad oculum N per rectam NM. Sidus, quemadmodum demonstratum est *Liber superiori*, adparebit in directione rectæ NM; itaque altitudo sideris visa erit angulus PNB: atqui altitudo vera respectu horizontis sensibilis est angulus SNB, qui minor est angulo PNB: quare visa sideris altitudo major erit ejusdem altitudine vera.

307. Sed ut monuimus id verum non est, nisi respectu horizontis sensibilis; nam respectu horizontis rationalis nihil de hoc certi statui potest; quandoque enim altitudo visa PNB major est vera SCH, quandoque ei æqualis est, quandoque vero minor, pro ut neimpe angulus PNS major, æqualis, aut minor est angulo NSO. Quod ut planum fiat ponamus angulum PNS majorem esse angulo NSO; itaque addito communi angulo SNO, fiet angulus PNB major duobus angulis SNO, NSO; quibus quum æqualis sit angulus exterior SOB, sive etiam SCH, erit angulus PNB etiam major angu-

lo SCH. Non dissimili ratiocinio ostendetur angulum PNB àequalē esse, aut minorem angulo SCH pro ut angulus PNS àqualis ponitur, aut minor angulo NSO.

308. Ex eo autem quod fidere existente in S propter refractionem adpareat in loco altiori P sequitur, ad altitudinem visam PNB refractionem esse angulum PNS, si-  
ve MNS, quem rectæ lineaæ ab oculo ad sidus verum, atq;  
adparens duæ comprehendunt ad ipsum oculum. Est  
autem angulus MNS excessus anguli NMX supra angu-  
lum MSN: itaque refractio sideris S ad altitudinem ad-  
parentem PNB erit etiam excessus, quo angulus NMX  
superat angulum MSN: at vero angulus MSN tam exi-  
guus est etiam in Luna, quæ nobis est vicinissima, ut  
tuto contemni possit; quare refractio sideris S ad alti-  
tudinem visam PNB erit solus angulus NMX. Quod  
autem angulus MSN exiguus sit, atque contemnendus  
perspicuum quidem fiet, dummodo consideretur ipsius  
Lunæ à nobis distantiam immensam esse respectu alti-  
tudinis atmosphæræ NM, quæ ad quinquaginta ad  
summum millaria evehitur.

309. Quum autem angulus SMG, sive CMX,  
quem radius SMX comprehendit cum perpendiculari  
CMG sit angulus incidentiæ, angulus vero NMC, quem  
radius refractus MN comprehendit cum eadem perpen-  
diculari sit angulus refractionis, sitque refractio NMX  
differentia angulorum CMX, NMC, sequitur refra-  
ctionem ad quamcumque altitudinem PNB àequalē esse  
excessui, quo angulus incidentiæ superat angulum refra-  
ctionis. Ex quo quidem Theoremate plura licet collige-  
re. Nempe primo refractionem eo esse majorem, quo mi-  
nus sidus absit ab horizonte. Secundo refractionem sive  
in ipso horizonte constituti esse maximam omnium.  
Et denique refractionem sive in vertice constituti nul-  
lam prorsus esse.

310. Eterim demonstrant Geometræ differentiam  
duorum angulorum, quorum finis datam habent rationem  
inter se, eo esse majorem, quo ipsi anguli maiores sunt.  
Itaque quum finis anguli incidentiæ ad finum anguli  
refractionis sit in ratione data, differentia horum angu-  
lorum

lorum eo major erit , quo ipsi anguli majores fuerint : At vero sidere in horizonte constituto angulus incidentia , atque adeo angulus refractionis est omnium maximus, deinde vero decrescit per gradus, pro ut sidus supra horizontem attollitur usque donec in vertice ipsis evanescat ; Quare refractione sideris in horizonte constituti erit maxima omnium, in vertice erit minima, quin immo prorsus nulla , in altitudinibus vero intermediis intermedias etiam magnitudines sortietur.

311. Ceterum quod refractiones siderum majores sint prope horizontem , quam prope verticem, hac alia ratione ostendi potest . Luminis radii , ut ostenditur in *Dioptricis*, eo majori refractione afficiuntur , quo obliquius incident in superficiem refringentem ; nullam vero refractionem patiuntur , quum perpendiculariter ipsam offendunt. Itaque quia radii profluentes ex sidere posito in horizonte obliquissime incident in atmosphaeram , quo magis autem sidus attollitur supra horizontem eo minori obliquitate ipsam pervadunt , denique sidere ad verticem ipsum adpellente, radii perpendiculariter decidunt in atmosphaeram , inde sequitur refractiones prope horizontem maximas esse debere : eas vero minores , atque minores fieri prout sidus magis attollitur supra horizontem: denique in ipso vertice prorsus evanescere.

312. Nihil autem refert, num sidus longinquum sit, an vero sit vicinum . In pari enim altitudine visa siderum quantumvis inaequaliter distantium pares sunt refractiones , et si parallaxes inaequales sint . Sane aliter creditum est ab avi superioris astronomis , qui non modo in eo errarunt, quod crediderunt refractiones prorsus evanescere ad altitudinem graduum 45 , verum etiam peccarunt in eo , quod putaverunt siderum inaequaliter distantium inaequales esse refractiones ; ex quo factum est ut proprias Lunæ, proprias Soli, proprias denique ceteris sideribus tum errantibus, quum inerrantibus refractiones constituerint . Verum qui animadvertis sidera S, & K quantumvis inaequaliter a nobis dissita in eodem radio directo SKM collocata eamdem prorsus refractionem,

nem subire debere, is non dubitabit Solis, Lunæ, cæterarumque fixarum eisdem prorsus esse refractiones in æquali gradu altitudinis visæ.

313. Itaque altitudines siderum sumptæ per quadrantem duplici ex capite à veris aberrant, propter parallaxim nempe, & propter refractionem. Parallaxis, uti superiori Capite ostensum est, deprimit nonnihil sidus; Refratio vicissim ipsum attollit. Itaque ad sideris altitudinem veram obtinendam, parallaxis addenda est, refratio autem est subducenda. Sed contrarium fieri debet si ex adparenti sideris à vertice distantia vera quadratur; tunc enim parallaxis erit subtrahenda, refratio vero addenda erit: sed de his satis hoc loco.

## C A P U T N O N U M.

*De Motu Solis, & Planetarum composito:  
ubi de reliquis sphæræ circulis.*

314. **H**uc usque duplicem in Sole motum consideravimus utrumq; adparentem, atque ortum à totidem Telluris motibus ei à Copernico adtributis, Duximus enim Libro superiori Solem moveri sub ecliptica ab occasu in ortum, sive in consequentia signorum; quem motum oriri vidimus ex motu Telluris anno circa Solem etiam ab occasu in ortum. Princípio autem hujus Libri duximus Solem, nec non cætera sidera moveri ab oriente in occidentem spatio 34 horarum; atque hunc alium motum mouimus proticisci ex revolutione Telluris circa axem suum ab occasu in ortum etiam in tempore 24 horarum.

315. Considerandum nunc est quid accidat Soli duplice isto motu adparente agitato; nempe expendenda est semita Solaris adparentis orta ex motu Solis anno sub ecliptica ab occasu in ortum, & ex ejus motu diurno ab ortu in occasum. Quod ut fiat memoranda hic sunt Theorematæ quædam ad motum corporum pertinentia, quæ ex Libro primo petenda sunt. I. *velocitatens corporis*

*vis duplici vi eodem tempore agitati maiorem esse aut minorem , pro ut vires simul agentes conspirantes sunt , aut vero contrariae . II. motum corporis esse tardissimum si vires simul agentes omnino tendant ad partes contrarias , sed fieri tamen secundum illam semitam , secundum quam tendit vis major . III. motum corporis esse concitissimum si viros simul agentes tendant ad eamdem partem , fierique etiam secundum illam semitam , versus quum utraque vis simul agens dirigitur . Et IV denique motum corporis duplici vi eodem tempore agitati esse proportione media temperatum si vires neque omnino conspirantes sint neque omnino contraria , sed datum quemvis angulum contineant inter se ; insunque motum fieri secundum directionem diversam ab illis , versus quas tendunt vires agentes ,*

316. Itaque quia Sol motu suo diurno ab ortu in occasum describere debet circulum aliquem æquatori parallelum , motu vero annuo ab occatu in ortum describere debet eclipticam ; si quidem parallelus , & ecliptica congruerent inter se contingere , ut Sol duplici vi eodem tempore urgeretur versus partes omnino contrarias tendente . Itaque ex secundo Theoremate motus Solis compositus fieret etiam per circumferentiam paralleli , sed nonnihil tardior evaderet . Quod si autem consideremus Solem motu annuo quali integro gradu dictim promoveri versus ortum , at vero in quatuor temporis minutis motu diurno promoveri versus occasum etiam gradu uno , facile intelligemus singulas revolutiones Solares diurnas ex utroque motu compalitas quatuor temporis minutis diurniores in ea hypothesi evadere .

317. Hæc inquam ita contingere , si ecliptica , quæ circulus est Cœli maximus , & æquator congruerent inter se ; sive quod eodem redit si axis cœlestis normaliter ad eclipticæ plani infisteret . Nunc vero quum ecliptica inclinetur ad æquatorem gradibus  $23\frac{1}{2}$  febre , quemadmodum suo loco demonstrabitur , res aliter se habebit ; etenim accidet ut duarum virium , quibus eodem tempore Sol agitatur , altera tendat ab ortu ad occasum

casum secundum directionem parallelī, altera vero tendat ab occasu in ortū secundum directionem eclipticæ. Itaque motus Solis compositus nonnihil etiam tardior evadet, sed fiet secundum aliam semitam diversam tum à directione parallelī, quum à directione eclipticæ; quam quidem semitam attentius consideranti *spiralem* esse adparebit. Et quoniam deviatio eclipticæ ab æquatore modica est, singulæ revolutiones Solares diurnæ quasi quatuor minutis diuturniores pariter evadent.

318. Sed opera pretium est rem totam ex schemate intelligere. Repræsentat EQ (Fig. 36.) æquatorem cœlestem, cuius poli sint P, & p, itique CALB circulus sphæræ maximus ita ad æquatorem inclinatus ut angulum cum eo contineat graduum ferme  $23\frac{1}{2}$ . Jam Sol ita quidem movetur ab occasu in ortum, ut numquam discedat à circumferentia hujus circuli CALB, quam spatio annuo nunc legnius incedens, nunc velocius latus diversis cum velocitatibus describit. Conjungamus nunc hunc Solis motum annum ab occasu in ortum cum motu diurno ejusdem Solis ab ortu in occasum: orietur enim motus ille spiralis, de quo diximus, & qui revera in Sole deprehenditur. Sit enim S Sol alicubi in circulū CALB circumferentia collocatus; jam si motu annuo is destitueretur, describeret una cum puncto eclipticæ S, in quo hæret, circulum accuratissime æquatori parallelum; nunc vero quoniam Sol movetur interea ab occasu in ortum, simulque transfertur ab ortu ad occasum, punctum quidem eclipticæ S perget describere circulum æquatori parallelum, at Sol utroque motu interveniente spiralem viam peragrabit. Nam si SR sit arcus, quem Sol describit ab occasu in ortum in tempore 24 horarum, quia ipse initio revolutionis diurnæ reperitur in puncto S, in fine autem ejusdem revolutionis reperitur in puncto R, facile intelligetur Solem descripsisse interea temporis viam spiralem SMNR.

319. Circulus iste CALB, quem Sol annuo spatio describit ab occasu in ortum, *Ecliptica* uti diximus appellatur; isque quia declinat ab æquatore gradibus  $23\frac{1}{2}$  ferme hahere debet in Cœlo polos suos totidem gradibus

à polis mundi disjunctos. Et dicitur quidem polus eclipticæ *Boreus*, qui polo mundi *Boreo* propinquior est: *Australis* vero qui *Australi* est vicinior. Quemadmodum autem æquator dispelicit Cœlum in partes duas æquales borealem unam, australem alteram; ita nominibus immutatis ecliptica. Ex quo illud fieri necesse est, ut quædam sint in Cœlo loca, quæ respectu æquatoris accensi debant regionibus borealibus, respectu vero eclipticæ regionibus australibus: contra alia sint loca, quæ respectu æquatoris referri debant ad regiones australes, respectu vero eclipticæ ad boreales. Hæc autem loca sunt binæ illæ: *Lunula cœlestes*, quæ æquatore, & ecliptica continentur.

320. Ecliptica occurrit æquatori in duobus punctis, quorum alterum *Sectio verna*, alterum *Sectio autumnalis* adpellatur: priorem enim veris, alteram autumni initio Sol obtinet, quibus temporibus æquinoctia celebrantur. Dicuntur etiam *Aries*, atque *Libra*; nempe quia signa *Arietis*, & *Librae* in sectiones illas antiquitus cadebant. Quod ut intelligatur memoria repetenda sunt ea, quæ *superiori Sectione* diximus, nempe eclipticam, sive viam Solis adparentem per duodecim constellationes cœlestes transire, quarum ordo, & nomina sunt

*Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo*

*Libraque, Scorpius, Arcis tenens, Caper, Amphora, Pisces.*

Harum constellationem ante viginti sæcula hæc erat dispositio. Aries incipiebat à sectione verna & per triginta gradus versus ortum extendebatur; sequentes gradus 30 occupabat Taurus; hos excipiebant Gemini: tum ordine consequebantur signa reliqua, quibus singulis triginta gradus attribuebantur. At nunc propter motum siderum in consequentia signorum sidera jam excesserunt ex illis locis. Ut ecce quem locum in Cœlo Taurus occupabat, nunc Aries tenet, in cuius sedem succederunt Pisces, horumque locum Amphora occupavit, atque ita deinceps. Nihilominus manlit partibus eclipticæ vetus adpellatio: nam à sectione verna ortum versus primi triginta eclipticæ gradus appellantur Aries; deinde sequuntur Gemini, quibus triginta postea gradus

dus adtribuuntur, atque ita deinceps; hoc tantum cum discrimine quod duodecim partes eclipticæ appellantur *signa anastra*, duodecim vero constellaciones coelestes appellantur *signa stellarum*, ut nempe altera ab alteris distinguuntur. Quo in loco notandum est *signa stellarum* posse de uno hemisphaerio in aliud transire; ut constellacionibus Virginis, & Piscium jam contigisse videmus, quarum prior quem antiquitus esset in hemisphaerio boreali, nunc deprehenditur in hemisphaerio australi; altera vicissim erat antiquitus in hemisphaerio australi, tunc vero transiit in boreale hemisphaerium. Sed *signa anastra*, quia immobilia sunt, mutare hemisphaerium nequeunt. Itaque priora sex signa Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo semper erunt in hemisphaerio boreali, in quo nunc sunt constituta; sequentia sex semper manebunt in hemisphaerio australi.

321. Sos ecliptica habet *parallelos*, qui circuli sunt sphæræ minores eclipticæ parallelī non omnes quidem æquales, sed alii alijs continenter breviores, eoquo breviores, quo magis ad eclipticæ polos accesserint. Per hos circulos sciendum est sidera inerrantia æquabiliter moveri in consequentia signorum, sed adeq lente, ut vix longo post tempore adpareat ea discessisse de locis suis: neque enim singulis annis promoventur versus ortum amplius, quam 51 secundis. Ex quo fit ut ad integrum gyrum absolvendum plus quam 25000 annis indigeant. Hic siderum motus in *Coperniceo Systemate* est totus adparens, atq; ex certo quodam motu axis Telluris proficiuntur, quemadmodum suo loco demonstrabitur.

322. Ab hoc circulo profecta est *latitudinum* in Cœlo contemplatio, ut pote quæ ab ecliptica directe versus polos ipsius numerantur. *Latitudinis* enim coelestis nomine intelligunt astronomi uniuscujusq; sideris ab ecliptica distantiam: qua propter stellarum in ipso eclipticæ polo constitutarum nulla prorsus est latitudo; stellæ vero in alterutro polarum constitutæ latitudo est accuratissime graduum 90, eaque est maxima omnium. Non dissimiliter appellant latitudinem parallelī ejus ab ecliptica distantiam. Itaque latitudo parallelī est eadem

## 164 PHILOSOPHIA NATURALIS

cum latitudine sideris, quod versatur in eo parallelo. Parallelorum vero hinc & inde ab ecliptica æque remotorum eadem prorsus est latitudo; eadem tamen quo ad quantitatem, non quo ad speciem, quum altera borealis sit, altera australis, sumpta denominatione à polorum nominibus. Perspicuum est autem duas, aut plures stellas in eodem parallelo constitutas eamdem prorsus latitudinem sortiri. Itaque dato parallelo dabitur latitudo sideris ejusque species; & vicissim data latitudine sideris atque ejus specie dabitur parallelus. Et quoniam motus proprius siderum inerrantium fit per circulos eclipticæ parallelos inde sequitur ea, ita moveri ab occasu in ortum, ut numquam latitudinem mutent.

323. Quum autem dicimus latitudinem sideris esse distantiam ipsius ab ecliptica, intelligimus distantiam numeratam super circulo, qui à sidere normaliter dicitur ad ipsam eclipticam: hac enim ratione docent Geometræ desumendas esse hujusmodi distantias. Quapropter latitudo alicujus sideris aut paralleli erit etiam arcus circuli, qui à sidere vel parallelo normaliter dicitur ad eclipticam. Hujusmodi circulos ex re appellabimus in posterum *circulos latitudinum*; ad metandas enim latitudines patissim adhibentur. Patet autem circulos istos & maximos esse, & omnes in polos eclipticæ coire.

324. Quemadmodum autem arcum circuli latitudinis inter eclipticam & fidus interceptum latitudinem sideris, ita arcum ejusdem circuli inter fidus, & eclipticæ polum comprehennum *distantiam a polo* adpellant; quam distantiam liquet desumi posse tam à polo boreo, quam à polo australi. Itaque si latitudo sideris fuerit borealis, complementum latitudinis ad gradus 90 dabit distantiam ipsius à polo boreo; summa vero latitudinis & graduum 90 dabit ejus distantiam à polo australi. Vicissim vero si latitudo fuerit australis complementum latitudinis dabit distantiam à polo australi, summa vero latitudinis, & graduum 90 dabit distantiam à polo boreo.

325. Illud etiam indubium est latitudinum circulos

los habere polos suos in circumferentia ecliptice. Etenim si duo sint circuli in sphera maximi ad se in vicem perpendiculares, alterutrius poli constituentur in circumferentia alterius. Itaque eclipticæ ambitus haberi potest tamquam sedes tive locus polarum, qui ad omnes circulos latitudinum referuntur.

326. In ecliptica numerantur *longitudines* siderum, principiumque numerationis statuitur in primo Arietis gradu. Est autem *longitudo* sideris arcus eclipticæ ab initio Arietis per ortum usque ad circulum latitudinis per ipsum sidus transeuntem numeratus: qua ratione sidera constituta in eo circulo latitudinis, qui transit per Arietem, atque adeo per Libram aut omni carent longitudine, aut habent longitudinem graduum 180. Sidera vero constituta in quovis alio circulo latitudinis aut eamdem, aut oppositas longitudines sortiuntur. Et quoniam Sol numquam deficit ab ecliptica, longitudine ipsius erit arcus eclipticæ inter principium Arietis, & locum Solis comprehensus, atque ab occasu versus ortum numeratus.

327. Locus sideris datus in Cœlo intelligitur, quando data est ipsius tum *longitudo*, quam *latitudo*, *latitudinisque species*. Nam *longitudo* sideris dat circulum latitudinis, in quo versari debet ipsum sidus: ejus vero *latitudo*, *latitudinisque species* dat parallelum eclipticæ, in quo idem sidus morari debet; intersectio autem circuli longitudinis cum eclipticæ parallelo dat sideris locum.

328. Quemadmodum autem sidera referuntur ad eclipticam per longitudinem, & latitudinem, ita referuntur ad æquatorem per *adscensionem rectam*, & per *declinationem*. Jam quid *declinationis* nomine veniat supra explicatum est. *Adscensionem* vero sideris *rectam* adpellamus arcum æquatoris ab initio Arietis per ortum usque ad *declinationis* circulum per sidus transeuntem numeratum. Itaque sideris existentis in eo circulo *declinationis*, qui transit per initium Arietis, & Libræ aut nulla est *adscensio recta*, aut est graduum 180. Siderum vero in eodem *declinationis* circulo constitu-

torum aut eadem est adscensio recta , aut opposita : Atque hic etiam admonere oportet sideris , cuius data est tam adscensio recta , quam declinatio atque species declinationis , locum in Cœlo non ignorari : nam adscensio sideris recta dat circulum declinationis , in quo sidus moratur; declinatio vero declinationisque species dat parallelum æquatoris , in quo idem sidus morari debet; intersecatio vero circuli declinationis cum parallelo dat ipsius sideris locum.

329. Caterum hujusmodi adscensiones rectæ adpellantur, quia habent locum in sphæra recta: nam præter ipsas considerantur in sphæris obliquis adscensiones obliquæ . Quod ut intelligatur sciendum est adscensionem sideris proprie adpellari arcum æquatoris numeratum ab occasu in ortum ab initio Arietis usque ad illud æquatoris punctum, quod oritur simul cum sidere: itaque quia ortus siderum habet locum tum in sphæra recta , quum in sphæra obliqua , ipsa adscensio aut recta erit, aut obliqua , recta nempe in sphæra recta , obliqua vero in sphæra obliqua . Et quoniam in sphæra recta omnes circuli declinationum, dum Cœlum diurno motu abripitur , coeunt aliquando cum horizonte , sit hinc ut adscensio recta definita etiam possit , quod sit arcus æquatoris ab initio Arietis per ortum usque ad circulum declinationis per sidus transeuntem numeratus.

330. Perspicuum est autem adscensionem rectam quandoque majorem esse adscensione obliqua , quandoque minorem , quandoque ipsi æqualem existere : nam in sideribus , quæ ultra 12 horas morantur supra horizontem , adscensio recta obliquam superat : in iis vero quæ minus quam 12 horas morantur supra horizontem adscensio recta deficit ab obliqua ; denique in sideribus quæ 12 horas accuratissime morantur supra horizontem , hoc est in iis quæ sub æquatore posita sunt, adscensio recta obliquam adæquat . Quemadmodum autem intervallum istarum duarum adscensionum dicitur differentia adscensionalis ; ita addendo , vel detrahendo differentiam adscensionalem ab adscensione recta oblitabitur adscensio obliqua.

331. Ad-

331. Adscensionibus rectis, atque obliquis ad fines sunt *descensiones*, quae *rectæ* atque *obliquæ* vocantur. Et generaliter quidem *descensio* dicitur arcus æquatoris ab initio Arietis per ortum usque ad punctum illud ejusdem æquatoris numeratus, quod simul cum sidere occidit. Hic autem occasus si consideretur in sphæra recta dicetur *descensio recta*, si in sphæra obliqua dicetur *descensio obliqua*. Atque hic etiam adnotandum est descensionem obliquam quandoque *rectæ* descensioni æqualem esse, quandoque esse majorem, quandoque vero minorem, pro ut sidus occidens duodecim horas moratur supra horizontem, minus quam 12 horas, aut plusquam 12 horas. Estque amplius advertendum, si lateris cuius major est adscensio recta, quam obliqua minorem viciissim esse descensionem rectam quam obliquam; & viciissim lateris cuius minor est adscensio recta, quam obliqua majorem esse descensionem rectam, quam obliquam: quæ omnia ex globo Cœlesti rectius intelliguntur.

332. Panum illud eclipticæ, quod in meridiano versatur punctum culminans dicitur, ejusque adscensio recta dicitur *adscensio mediæ Cœli*. Non semper autem punctum istud culminans fecat bifarium partem Eclipticæ visibilem, hoc est medietatem illam Eclipticæ quæ versatur in hemisphærio superiori, sed quandoque pars eclipticæ orientalis occidentalem superat, quin loq; vero hæc illa major est. Priori casu punctum quod bifarium dividit supradictam Eclipticæ medietatem cadit ad partes orientales meridiani; altero casu cadit ad partes occidentales. Verum utroque casu punctum illud dicitur *Nonagesimum*.

333. Sed ut ad motum Solis adparentem redeamus, Sol interea ac moveretur adparenter sub-ecliptica ab occasu versus ortum, describit quotidie ab ortu in occasum circulum nonnihil ab æquatoris parallelo deflexentem. Itaque quum versatur in principio Arietis, sive in altera sectionum æquatoris, & eclipticæ, quasi ipsum æquatorem describere videbitur, & ubique gentium æquinoctium celebrabitur, quum ubique æquator ab

horizonte bifariam fecetur. At sequentibus diebus alios, atque alios parallelos describere videbitur eoque magis ab æquatore versus boream declinabit, quo magis motu suo anno recedet ab Ariete. Similiter quum Sol est in principio Librae, sive in alia sectione eclipticæ cum æquatore, iterum æquatorem percurre videbitur, aliudque æquinoctium celebrabitur; quorum æquinoctiorum intervallum erit mensium fere  $\frac{1}{2}$ ; deinde alios, atque alios parallelos describere videbitur, eoque magis ab æquatore versus Austrum declinabit, quo magis motu suo anno à Libra recedet.

334. Sed maxima Solis ab æquatore declinatio contingit in ipsis ad Capicornum, vel Cancrum ad pulsū; etenim post illa tempora declinatio Solis tantum absit ut crescat, quin potius minuatur per gradus; ut ad obliquam eclipticæ respectu æquatoris positionem attendentī manifestum fiet. Quapropter Sol dum ab initio Arietis, vel Librae tendit versus Cancrum aut Capicornum continuo ab æquatore recedit: superatis vero illis signis denuo accedit ad æquatorem; inter accessum autem & recessum paululum consistere, & quasi *stare* videatur; unde *soltitiorum* nomen derivavit.

335. Ex eo autem quod æquinoctia contingent quum Sol versatur in principio Arietis vel Librae, solsticia vero quoni Sol versatur in principio Cancri vel Capicorni; hinc factum ut puncta illa duo *æquinoctalia*, ista vero *soltititalia* dicerentur. Quemadmodum autem puncta æquinoctalia motu diurno ab ortu in occasum abrepta æquatorem describunt, ita puncta solstitalia eodem motu concitata duos parallelos describunt, quos Græci *Tropicos* adpellarunt ab ipsis Solis versus æquatorem conversione, quam *Tropicum* adpellant. Patet autem tropicorum ab æquatore distantiā esse graduum  $23\frac{1}{2}$  fere: tantum enim ipsi ab æquatore recedunt, quanta est obliquitas eclipticæ; sive quantum puncta solstitalia ab ecliptica declinant.

336. Inter declinationum circulos præcipui habentur *Coluri duo*, quorum alter *æquinoctiorum*, alter *soltitiorum* dicitur. *Colurus solstitorum* est circulus ille declina-

clinationis, qui transit per puncta solsticialia; qui quidem circulus, ut ex globo intelligitur, perpendicularis est ad eclipticam; unde non modo vices gerit circuli declinationis, verum etiam fungitur officio circuli latitudinis. Duo isti circuli eclipticam in quadrantes quatuor dispescunt, quorum unusquisque tria continet signa. Primum quadrantem, in quo sunt signa Arietis, Tauri, & Geminorum Sol describit à die 21 Martii ad diem 22 Junii, sive ab æquinoctio verno ad solsticium æstivum. Secundum eclipticæ quadrantem, qui comprehendit signa Cancri, Leonis, & Virginis describit Sol à die 22 Junii ad diem 23 Septembris, sive à solsticio æstivo ad æquinoctium autumnale. Tertium quadrantem eclipticæ, in quo continentur signa Librae, Scorpis, & Sagittarii percurrit Sol à die 23 Septembris ad diem 22 Decembbris, sive ab æquinoctio autumnali ad solsticium hibernum; denique à die 22 Decembbris ad diem 21 Martii, sive à solsticio hiberno ad æquinoctium vernum, Sol describit ultimum quadrantem eclipticæ, in quo continentur signa Capri, Amphoræ, & Piscium.

337. Supersunt circuli polares, qui sunt circuli duo æquatori paralleli à polis eclipticæ motu diurno abruptis circa mundi polos descripti. Et quoniam poli eclipticæ absunt à polis mundi per gradus  $23\frac{1}{2}$  fere, ipsi polares circuli eodem intervallo distabunt à polis mundi. Sed distantia ipsorum ab æquatore erit graduum  $66\frac{1}{2}$  fere. Qua ratione inter omnes circulos æquatori parallelos quinque habendi sunt insigniores; *Æquator unus*, *Tropicī duo*, *torridasq; Polares*; qui universum Cœlum in sex Zonas dispescunt *duas torridas*, *duas temperatas*, & *duas frigidas*. *Torrida Zona* sunt, quæ æquatore & duabus tropicis continentur, atque earum latitudo est graduum  $23\frac{1}{2}$ . *Temperata Zona* sunt, quæ duobus tropicis, & duobus polaribus continentur, atque earum latitudo est graduum 43 ferme. Denique *Zona frigida* sunt, quæ à polaribus circulis usque ad polos excurrunt; quarum Zonarem latitudo est etiam graduum  $23\frac{1}{2}$  fere. Hujusmodi sex Zonae proprie considerantur in globo

Tele

Telluris, in cuius superficiem polares circuli, atque tropici cogitatione transferendi lunt.

338. Ut finem huic *Capiti* imponamus advertendum est eos, qui sub æquatore Terrestris incolunt, dies perpetuo noctibus æquales habere. Etenim ipsi utuntur sphæra recta, in qua sphæra paralleli omnes bifariam ab horizonte dividuntur: eos vero qui sub aliquo parallelo Terrestris degunt dierum, noctiumq; inæqualitatem continent experiri, exceptis diebus æquinoctialibus, in quibus Sol æquatorem describit. Etenim icti sphæram obliquam obtinent, in qua sphæra omnes paralleli, excepto æquatore, inæqualiter ab horizonte dividuntur. Deniq; polarum incolas unum diem perpetuum, unamque perpetuam noctem toto anno habere, & tam diem, quam noctem sex mensium spatio finiri: etenim loca ita sphæram parallelam sortiuntur, in qua medietas eclipticæ manet supra horizontem, medietas altera infra horizontem. Inæqualitas autem dierum, noctiumque, quæ habet locum in sphæra obliqua, ita temperatur, ut summa dierum adæquet summam noctium: nullus enim est locus Telluris, cui in integro anno sex menses dñe, totidemque noctis non contingant; excepta inæqualitate, quæ tum à refractionibus, quum ab excentricitate motus Solis oritur, de qua suo loco dicetur.

339. Cæterum Sole ab æquatore versus polum elevatum declinante dies quotidie accrescunt usque ad solsticium, quo tempore contingit dies longissima & nox vicissim brevissima. Sole vero ad æquatorem redeunte, dies decrescunt per eosdem grados, & noctes augentur. Declinate deinde Sole versus polum depresso dies magis, atque magis minuuntur, donec in solsticio contingat dies brevissima, nox vero longissima. Denique Sole ad æquatorem redeunte dies decrescere incipiunt, noctes autem minuuntur.

340. Quæ autem de motu Solis adparenti dñe sunt, eadem habent locum in Planetis, Cometis, cæterisque stellis. Etenim eorum motus adprens componitur ex motu periodico ab occasu in ortum secundum trahendam obliquum ad æquatorem, & ex motu diurno ab ortu

ortu ad occasum secundum circulos parallelos æquatoris : ex quibus duobus motibus tertius enascatur oportet secundum viam spiralem ; que quidem via spiralis in stellis fixis parum aberrat à circulis æquatori parallelis ob lentissimum ipsarum motum versus ortum : sed in Planetis Luna præsertim, Mercurio, & Venere, qui celerius moventur, multum declinat ab illis.

341. Ex his , que hæc tenus dicta sunt adparat circulos omnes sphæræ Coelestis tum maximos , quum non maximos referri posse ad axes tres unica , eaque simplicissima ratione . Primo enim ducta cogitatione linea recta à polo Mundi Boreo ad polum Australēm , circa eam tamquam axem intelligendi primum sunt *Æquator* , & *Paralleli* numero infiniti , ad quorum omnium plana ipse axis per singula centra transiens normaliter insitit : tum vero considerandi sunt *Circuli declinationis* numero etiam infiniti habentes eundem axem pro diametro communī , atque adeo perpendiculariter occurrentes *Æquatori* . Secundo ducta etiam cogitatione recta linea à puncto illo Cœli , quod Zenith repræsentat ad Nadir , circa eam tamquam axem intelligendi primum sunt *Horizon* , & *Circuli* numero infiniti *Horizonti parallelī* , ad quorum omnium plana ipse axis per singula centra transiens normaliter insitit : tum vero considerandi sunt *Circuli Verticales* numero etiam infiniti ( inter quos *Meridianus* eminet ) habentes eundem axem pro diametro communī ; atque adeo perpendiculariter occurrentes *Horizonti* . Denique ducta etiam cogitatione recta linea à polo Ecliptice Boreo ad polum Australēm ( quos polos dictum esse abesse à Mundi polis gradibus  $23\frac{1}{2}$  fere ) circa eam tamquam axem intelligendi primum sunt *Ecliptica* , & *Circuli* numero infiniti *Eclipticae parallelī* , ad quorum omnium plana ipse axis per singula centra transiens normaliter insitit . Tum vero considerandi sunt *Circuli latitudinum* numero infiniti habentes eundem axem pro diametro communī , atque adeo perpendiculariter occurrentes *Ecliptica* .

342. Sed adparat etiam circulos unicos , qui reficiuntur

runtur vel ad axem Mundi, vel ad axem Eclipticæ immutabiles esse: uterque enim unus semper idemque est, saltem judicio eorum, quibus persuasum est polos tum Mundi, quum Eclipticæ certam, fixamque positionem habere. At vero circuli qui referuntur ad axem *Horizontis* mutabiles sunt: mutato enim utcumque loco mutatur Zenith, Nadirque, adeoque mutatur linea recta, ad quam hi circuli referuntur. Specialiter autem quando Zenith incidit in alterutrum polarum Mundi, circuli omnes qui effinguntur circa axem *Horizontis* abeunt in eos, qui effinguntur circa axem Mundi; quando vero Zenith incidit in alterutrum polarum *Eclipticæ*, circuli omnes qui effinguntur circa axem *Horizontis* abeunt in eos, qui effinguntur circa axem *Eclipticæ*.

## C A P U T D E C I M U M.

### *In quo Doctrina sphærica Elementa traduntur.*

343. Ræcipua sphærica doctrinæ fundamenta sunt latitudo loci, atque *eclipticæ obliquitas*, quas idcirco necessum est accuratis mensuris primum omnium comprehendere. Non hic repetam qua ratione loci latitudo, quæ poli altitudinem semper adæquat, investigari possit; id enim peculiari Capite à nobis supra expositum est. Tantum qua methodo assequi possit obliquitas *eclipticæ* hic proferam. Observetur tum in solstitio hiberno, quum in solstitio æstivo adparentis centri Solis altitudo meridiana, cui addatur parallaxis congrua: deinde ex summa dematur congrua refractionis, ut ex altitudine scilicet adparenti vera elicatur. Tum autem ex vera altitudine æstiva subtrahatur altitudo vera hiemalis: nam id quod supereft erit vera tropicorum distantia: quæ quum dupla sit obliquitatis *eclipticæ*, ad hanc obtinendam satis erit tropicorum distantiam sic inventam in duas partes æquales dispescere.

344. Sunt qui *eclipticæ obliquitatem* mutabilem cre-

credat, argumento ducto ex observationibus variorum temporum inter se mutuo collatis, quæ aliam atque aliam fuisse diversis temporibus eclipticæ obliquitatem ostendunt. Nam *Aristarchi Samii* tempore, qui 300 annis ante Christum natum floruit, obliquitas eclipticæ fuisse dicitur graduum 24: vivente deinde *Ptolemaeo* annis post Christum 140 decrevisse ad 23. 51: & rursus *Albategnii* tempore 900 fere post Christum annis ad 23. 35. *Tycho* autem ex propriis observationibus eam statuit graduum 23. 31  $\frac{1}{2}$ . Post *Tychonem* diu credita est graduum 23. 20; nunc vero sesquiminuto eam minorem facimus. Ex quibus colligunt obliquitatem eclipticæ post *Aristarchum Samium* usque ad tempora nostra continuo decrevisse. Sed contra diligentissimi superioris ævi Astronomi *Gassendus*, *Ricciolus*, *Horroxius*, *Hevelius*, aliique illam constantem arbitrantur, neque multum deferendum esse credunt observationibus veterum, quum neque instrumenta omnibus numeris absoluta adhibuerint, neque tutiori via incesserint. Quin immo *Gassendus* in vita *Perieschii* ostendit per observationes à se institutas eamdem fuisse suo tempore eclipticæ obliquitatem, quæ fuerat tempore *Alexandri Magni* etenim eamdem observavit rationem gnomonis ad suam umbram in meridie solsticii æstivi *Mafiliae*, quæ fuerat in eadem urbe olim observata à *Pythea Mafiliensi*.

345. Sed hanc litem diremisse omnino videtur summus Astronomus *Bononiensis Eustachius Manfredius* in opere, quod nuper edidit, de *Gnomone Meridiani Bononiensi ad Divi Petronii*: quom enim observationes omnes octoginta ab hinc annis immoto, eoque maximo instrumento peractas expendisset Vir egregius, reperit inclinationem Eclipticæ ad Äquatorem toto eo tempore sensim fuisse imminutam. Specialiter autem invenit ab anno 1656 ad annum 1695 Eclipticæ obliquitatem diminutam fuisse secundis 23: ab anno autem 1695 ad annum 1733 imminutam fuisse secundis 36: adeoque in annis 77, qui scilicet effluxerunt ab anno 1656 ad annum 1733, Eclipticæ obliquitatem decrevisse integro minuto primo. Reperit præterea

374 PHILOSOPHIAE NATURALIS  
terea obliquitatem Eclipticæ anno 1733 fuisse gra-  
duum 23. 28 $\frac{1}{2}$ .

346. Inventa eclipticæ obliquitate, ex Solis declina-  
tione, quæ quotidie, uti vidimus, observari potest, nullo  
negotio habebitur ejus adscensio recta, & longitudo, siue  
locus Solis in ecliptica: Idque per resolutionem trian-  
guli rectanguli sphærici. Sicut enim ABCD (Fig. 37.) ecli-  
pticæ, & AEB æquator. AB primus quadrans eclipticæ.  
AE primus quadrans æquatoris. BC secundus quadrans  
eclipticæ. EC secundus quadrans æquatoris. CD tertius  
quadrans eclipticæ. CE tertius quadrans æquatoris. De-  
piq; DA quartus eclipticæ quadrans. Et EA quartus qua-  
drans æquatoris. Sit præterea S Sol, à quo ad æquato-  
rem demittatur perpendicularis SF, quæ Solis declina-  
tionem referet. Itaque in triangulo rectangulo ASF, vel  
CSF ex datis angulo recto ad F, declinatione Solis  
FS, & eclipticæ obliquitate, quæ designatur per angu-  
lum SAF, vel SCF, inventire licebit tum arcum ecli-  
pticæ AS, vel CS, quum arcum æquatoris AF, vel CF.  
Et quidem si Sol sit in primo eclipticæ quadrante, erit  
AS Solis longitudo, & AF ejus adscensio recta quæsita.  
Quod si verò sit in secundo eclipticæ quadrante, com-  
plementum ad 180 gradus arcus CS dabit longitudinem  
Solis; & similiter complementum ad 180 gradus arcus  
CF dabit ejus adscensionem rectam. Si autem Sol sit  
in tertio eclipticæ quadrante eo casu addendo ad gra-  
dus 180 arcum CS habebitur longitudo Solis; & simili-  
ter addendo ad gradus 180 arcum CF habebitur Solis  
adscensio recta. Denique si Sol sit in quarto quadrante  
ad obtinendam longitudinem Solis detrahendus est ex  
integro Ecliptica arcus AS; & similiter ad habendam  
adscensionem rectam detrahendus est ex integro æqua-  
tore arcus AF. Num autem Sol sit in primo, secun-  
do, tertio, aut quarto quadrante cognoscetur ex ejus  
declinatione, quæ si quidem borealis sit Sol aut erit in  
primo, aut in secundo quadrante, in primo si crescens,  
in secundo si decrescens sit. Si vero sit australis Sol aut  
erit in tertio, aut etiam in quarto quadrante, in tertio si  
crescens sit, in quarto si decrescens.

347. Sed

347. Sed in eodem triangulo ASF, vel CSF ex iisdem datis invenire etiam licet angulum FSA, vel FSC, qui angulus inclinationem horarii circuli ad eclipticam metitur. Quin etiam in eodem triangulo si praeter angulum rectum, atq; obliquitatem eclipticæ detur adscensione recta, inveniri poterit declinatio, longitudo, atque angulus Eclipticæ cum horario. Vel si detur longitudo, exinde colligi poterit adscensio recta, declinatio, & angulus eclipticæ cum horario.

348. Ex data Solis adscensione recta horologii oscillatrix ope inveniri poterunt adscensiones rectæ fixarum; quod ut fiat motus horologii sic temperandus est, ut index viginti quatuor horas numeret labente tempore, quo fixa aliqua ē meridianō digressa ad eundem revertitur; quod tempus die naturali paulo brevius est, ut infra dicetur. Horologio sic ordinatq; index ad principium numerationis constitutur quando Sol meridianum occupat; notetur deinde tempus ab horologio indicatum quando stella aliqua eundem meridianum attingit; horas horarumque partes ad indice percursæ in gradus sequatoris conversæ dabunt intervallum adscensionum Solis, & fixæ, quod additum data Solis adscensioni rectæ dat fixæ adscensionem rectam qualitatem. Data autem cuiuslibet stellæ adscensione recta dantur reliquarum omnium adscensiones; nempe observandum est tempus horologio prædicto notatum inter appulsum stellæ, cuius adscensione recta data est, & appulsum alterius cuiusvis stellæ ad meridianum; namque hoc tempus in gradus, atque minuta æquatoris conversum dabit adscensionum differentiam: ex qua, exque data unius sideris adscensione recta alterius adscensione recta facile colligetur.

349. Quod si duo sidera propinqua sint, ex data unius adscensione recta alterius adscensioni inveniatur methodo sequenti. In ea autem non est opus, ut expectetur appulus stellæ ad meridianum, sed solummodo Telescopium est adhibendum, in cuius foco accommodata sint filæ quatuor, quorum (Fig. 38) duo AB, CD se se perpendiculariter

lariter fecent, reliqua duo EF, GH his ad angulos semirectos insistant in communi sectione O. Telescopium sic instrutum dirigendum est ad binas stellas vicinas, atque eo usque convertendum, donec sidus unum adpareat in filo AB, ejusque motus adparrens fiat secundum eamdem rectam AB; tuncque Telescopium diligentissime figendum est, ne forte moveatur. In hoc situ recta AB exponet portionem parallelum, quem stella motu diurno percurrit; quumque CD hanc ad rectos angulos fecerit, quemadmodum recta AB exponit parallelum, ita CD representabit horariorum aliquem. His ita dispositis notentur mediante horologio supradicto tempora, quibus temporibus stellæ duæ prædictæ appellantur ad horarium CD: etenim differentia temporis inter appulsum unius stellæ & appulsum alterius ad eundem circulum horarium CD si in gradus, & minuta æquatoris convertatur dabit differentiam ascensionum utriusque sideris; adeoque si detur alterutrius stellæ ascensio recta, dabitur etiam alterius ascensio.

350. Sed non modo ex data unius sideris ascensione recta eruere licet ascensionem rectam alterius sideris propinquai, verum etiam ex data unius declinatione declinationem alterius licet colligere. Etenim quum anguli QHO, QOH æquales sint inter se, ut pote semirecti erit arcus parallelus QH æqualis arcui horarii QO: itaque ex gradibus, graduumque partibus, quæ continentur in arcu parallelus QH facile erit cognoscere gradus, graduumque partes, quæ continentur in æquali arcu horarii QO; faciendo nempe ut radius horarii ad radium parallelum ita numerus graduum, & minutorum arcus QH ad numerum graduum, & minutorum, qui in arcu QO continentur. Etenim in circulis inæqualibus, gradus, quos æquales arcus continent, sunt reciproce ut radii circulorum. Quapropter ad cognoscendam quantitatem arcus QO duo prænoscere oportet. Primum enim cognoscenda est ratio quæ intercedit inter radium horarii, & radium parallelum; deinde cognoscenda est quantitas arcus QH. Et quoniam arcus QO est differentia

sentia declinationum utriusque sideris; ex dato ipso arcu QO atque ex data pariter unius sideris declinatione facile elicetur declinatio alterius sideris.

351. Quantitatem autem arcus QH adsequemur observando tempus inter appulsum stellæ ad filum GOH & ejus appulsum ad filum COD; etenim intervallum horum temporum dabit tempus, intra quod stella arcum parallelī QH emitita est: adeoque tempus istud in gradus & minuta conversum dabit numerum graduum & minutorum, quæ continentur in arcu parallelī QH. Rationem autem, quæ intercedit inter radium horarī & radium parallelī QH hac ratione inveniemus. Sumpcta semidiometro sphæra cœlestis, sive, quod eodem credit, sumpcta radio horarī pro sinu toto, radius parallelī evadet sinus complementi declinationis ejusdem parallelī: sed declinatio parallelī non differt à declinatione sideris, quod moratur in eo parallelo: itaque radius parallelī erit sinus complementi declinationis ejus sideris, quod versatur in eo parallelo; sensibiliter autem erit quoque sinus complementi declinationis alterius sideris vicini. Itaque alterutrius sideris declinatio data quum sit, ratio quæ intercedit inter radium horarī, & radium parallelī erit eadem cum ratione, quam habet sinus totus ad sinum complementi declinationis datæ. Adeoque ad adsequendam quantitatem arcus QO facienda est hæc proportio. Ut sinus totus ad sinum complementi declinationis datæ, ita quantitas arcus QH ad quantitatem arcus QO.

352. Quod autem gradus, quos æquales circulorum inæqualium arcus continent, sint inter se reciproce ut radii ipsorum circulorum, demonstratur ratione sequenti. Circulorum inæqualium AF,BE (Fig. 39.) centrum commune sit C, sintque arcus AF, BE æquales inter se: dico gradus contentos in arcu AF esse ad gradus contentos in arcu BE, ut est radius CB ad radium CA. Jungatur CE; & erit numerus graduum contentorum in arcu AF ad numerum graduum, qui continentur in arcu AD, ut est arcus AF ad arcum AD; est autem arcus AF æqualis arcui BE; quare erit etiam numerus graduum arcus

TOM. II.

M

AF ad

AF ad numerum graduum arcus AD , ita arcus BE ad arcum AD ; sive propter arcum BE , AD similitudinem , ut radius BC ad radium AC . At vero propter eamdem arcum BE , AD similitudinem , quot gradus continentur in arcu AD totidem gradus continentur in arcu BE : Quare numerus graduum , qui continentur in arcu AF erit ad numerum graduum , qui continentur in arcu BE ut se habet radius BC est ad radium AC .

353. Data stellæ adscensione rectâ & declinatione , ejus longitudo , & latitudo invenietur per resolutionem trianguli sphærici . Sit enim (Fig. 40.) S sidus , AD æquator , AL ecliptica , SD circulus declinationis transiens per sidus S , & SL circulus latitudinis transiens per idem sidus . Itaq; quemadmodum arcus æquatoris AD designat sideris S adscensionem rectam , & arcus circuli declinationis SD designat declinationem ejusdem sideris ; ita arcus eclipticæ AL referet longitudinem sideris , arcus vero circuli latitudinis SL referet latitudinem ejusdem sideris ; unde eo res redit ut videamus , qua ratione ex datis arcibus AD , DS inveniri possint arcus AL , LS . Ducatur per sidus S , & per sectionem æquatoris cum ecliptica A circulus maximus AS . Et jam in triangulo rectangulo ADS quum dentur latera AD , DS invenietur tum angulus SAD , quum arcus AS . Unde quum datus sit tum angulus SAD , quum angulus LAD , qui eclipticæ obliquitatem metitur , dabitur angulus SAL . Denique in triangulo rectangulo SAL , quia datur hypothenus AS & angulus obliquus SAL , facile invenientur reliqua duo latera AL , LS , quorum alterum longitudinem , alterum adlectionem sideris rectam representat .

354. Comparando fixarum loca à veteribus observata cum locis , quæ nunc obtinent in ecliptica deprehensum est latitudines inerantium siderum non mutari , at longitudines à vernali eclipticæ cum æquatore intersectione numeratas continuo crescere : ex quo facile fuit colligere stellas fixas moveri versus ortum secundum totidem circulos Eclipticæ parallelos . Sed ex eadem locorum comparatione cognitum etiam est hujusmodi siderum motum versus ortum esse lentissimum ; etenim in annis

annis 70 vix integrum gradum perfecisse deprehenduntur. Sed fatendum est revera stellas fixas versus ortum non progredi, sed potius puncta æquinoctialia, ex quibus longitudines numerantur, regredi versus occulum; ex quo punctorum æquinoctialium regressu necesse est longitudines siderum continenter augeri. Verum de hoc siderum motu adparenti suo loco dicetur. Illud hic advertendum est, stabilitis semel fixarum longitudinibus atque latitudinibus, Planetarum, Cometarumque loca per observationes & calculum etiam innotescere. Observata enim distantia Planetæ, aut Cometæ à duabus stellis fixis positionis datae, facile exquirentur eorum longitudine, atque latitudo ad tempus observationis.

355. Sit enim (Fig. 41.) P Planeta, cuius à sideribus A, & C distantiae PA, PC observatione innotescant; sint autem nota loca ipsorum siderum A, & C. Itaque si EF sit portio eclipticæ, ductis circulis latitudinum BAE, BCF, dabuntur non modo arcus AE CF, qui longitudines siderum referunt, verum etiam dabitur arcus EF, qui differentiam longitudinum eorumdem siderum designat. Atqui punctum B, in quo se se mutuo secant circuli latitudinum BAE, BCF, est polus Eclipticæ: quare cognoscuntur non modo arcus BA, BC, qui complementa sunt arcum AE, CF, verum etiam cognoscetur angulus ABC, ut posse quem metitur arcus Eclipticæ jam notus EF. In triangulo ergo sphærico ABC ex datis duobus lateribus BA, BC, & angulo interjecto ABC, nullo negotio exquiretur tum arcus AC, quum angulus BCA. Rursus quoniam in triangulo PCA dentur omnia latera PC, PA, CA, dabitur etiam angulus PCA: atqui inventus jam est angulus BCA; quare dabitur etiam angulus PCB. Denique in triangulo BPC ex datis lateribus BC, PC & angulo interjecto BCP, invenietur tum arcus BP, sive ejus complementum PO, quod Planeta latitudinem designat, quum angulus PBC, sive etiam arcus OF, qui differentiam longitudinum sideris, & Planeta metitur: Itaque quum data supponatur sideris longitudine, dabitur etiam longitudine Planeta P. Data autem Planeta tum longitudine, quum latitudine facile cognoscetur ejus adscensio

recta, & declinatio. Etenim quemadmodum ex datis adscensione recta & declinatione inveniri possunt longitudo, & latitudo; ita vicissim ex datis longitudine, & latitudine inveniuntur adscensio recta, & declinatio.

356. Hæc sunt principaliora Problemata, quæ ad doctrinam sphæricam pertinent. His subnegetemus nonnulla alia Problemata, quæ suo non carent usu in *Astronomia practica*. Primo autem videbimus qua ratione ex data Solis tum declinatione, quum altitudo vera supra horizontem exquiri possit hora diei. Sit (Fig. 42.) Z Zenith loci, P polus visibilis, ZP portio meridiani inter Zenith & polum intercepta, ZS verticalis circulus, in quo observatus est Sol ad altitudinem datam, PS circulus declinationis per Solem transiens. Itaque quoniam datur ex hypothesi vera Solis altitudo supra horizontem, dabitur etiam distantia ZS Solis à vertice. Deinde quum declinatio Solis data etiam supponatur, dabitur quoque distantia PS Solis à polo P. Denique quum data sit poli altitudo, dabitur pariter poli à vertice distantia PZ. Quapropter in triangulo ZPS ex datis omnibus lateribus nullo negotio invenietur angulus ad polum SPZ, quem angulum metitur arcus parallelus SR inter Solem, & meridianum interceptus; adeoque non ignorabitur numerus graduum contentorum in arcu parallelus SR; unde quum singulis quindecim gradibus singulæ horæ Solares debeantur, si quidem numerus graduum contentorum in arcu SR dividatur per 15, prodibit in quociente hora diei, quæ erit quidem antemeridiana, si Sol observatus sit in parte orientali respectu meridiani, erit vero postmeridiana, si Sol observatus sit in parte occidentali respectu ejusdem meridiani. Ilt ecce si Sol observatus sit ex parte orientali cum tanta altitudine & declinatione, ut arcus SR contineat gradus triginta, tempore observationis numerabantur duæ horæ ante meridiem: quod si vero observatus sit ex parte occidentali in tanta altitudine & declinatione, ut arcus SR sit graduum 60, tempore observationis numerabatur hora quarta post meridiem.

357. Sed hujus methodi beneficio inveniri tantum poter-

poterit hora diei, non vero hora noctis, quippe in ea Solis præsentia destituimus. Interim data Solis adscensione recta, datisque insuper alicujus sideris tum altitudine vera supra horizontem, quum declinatione & adscensione recta, facile erit horam noctis exquirere. In eadem enim figura referat S sidus, Z Zenith, P polum, NEPO meridianum, EQ æquatorem, & HO horizontem. Itaque in triangulo ZPS dabitur primo latus PZ, complementum altitudinis poli; dabitur secundo latus ZS complementum altitudinis sideris; & denique dabitus latus PS complementum declinationis ejusdem sideris: unde facile erit in eodem triangulo inventire angulum ad polum SPZ, cui respondeat arcus æquatoris EI qui distantiam sideris à meridiano secundum æquatorem numeratam metitur. Jam vero ex data quum Solis, tum sideris adscensione recta datur etiam distantia Solis à sidere secundum æquatorem numerata; quare quum inventus jam sit arcus æquatoris EI inter sidus & meridianum interceptus, dabitur reliqua portio æquatoris inter meridianum, & Solem intercepta, atque adeo dabitur hora noctis.

358. Sed horam noctis peculiari quoque methodo licet exquirere, *observando nempe occursum duarum stellarum in eodem plano verticali*; singulis enim noctibus tempus illius occursus ex datis stellarum locis, atque ex data Solis adscensione recta calculo trigonometrico definiti potest. Observatur autem occursus duarum stellarum in eodem plano verticali mediante filo pendulo & quiescente, cui pondus suspensum est. Etenim quo tempore duo sidera, oculo post filum collocato, adparent in plano per filum transente, eo tempore certum est siderum occursum in eodem plano verticali factum esse. Et quoniam methodus ista supponit notitiam temporis, quo tempore sidera singulis noctibus occurrerent debent in aliquo plano verticali, idcirco oportet ante omnia exponere quo pacto notitiam ejus temporis parare nobis possimus.

359. Sint itaque in sphærica Firmamenti superficie duo sidera inerrantia (Fig. 43.) A, & S, quorum tum longitudi-

do quum latitudo data sit, quæ eorum siderum positionem resi etiū eclipticæ definiunt, denturque præterea eorumdem siderum adscensiones rectæ, atq; declinatio-nes, quæ ipsorum positionem respectu æquatoris deter-minant, & oporteat tempus definire, quo tempore duo ista sidera occurrere debent in eodem plano verticali, modo tamen possibilis sit occursus iste; itemq; positionem pla-ni, in quo occursus celebratur, determinare. Ducantur per sidera data A, & S circuli declinationum PA, PS, ducaturque etiam per ipsamē sidera arcus circuli ma-ximi AS. Qua ratione constituetur triangulum sphæ-ricum ad polum P, ad sidus A, atque ad sidus aliud S.

360. Et quoniam motus Firmamenti proprius live verus, sive adparens lentissimus est, sidera A, & S adeo segniter progredientur in consequentia signorum, ut non nisi multo post tempore cognosci possit ea disces-sisse de locis suis. Quapropter non modo distantiae AP, SP siderum à polo Boreo P manebunt diu ad sensum immutatæ, verum etiam immutatus manebit ad sensum angulus ad polum APS, quem angulum metitur diffe-rentia adscensionum rectarum utriusque sideris, quam-cumq; in locum ponamus sidera A, & S delata esse à motu diurno totius universi. Ex quo illud consequens est side-ra A, & S diu consistere in eodem circulo maximo AS per ipsa sidera transeunte, eumque una cum sideri-bus A, & S simul transferri ab ortu in occasum spatio 24 horarum.

361. Quibus rite intellectis res eo redit, ut videamus primo num circulus maximus ductus per duo sidera da-ta A, & S propter totius sphærae cælestis revolutionem diurnam pessi: verticalis circuli vicem gerere ejus loci respectu, in quo queritur num sidera illa debeat simul adparere in aliquo plano verticali. Etenim si prædictus circulus maximus per diurnam revolutionem ab ortu in eccasum potest verticalis circuli munus obire respe-ctu illius loci, procul dubio sidera concurrent aliquando eo in loco in aliquo plano verticali. Secundo investigan-dus est angulus, quem ipse circulus tunc temporis consti-tuit cum meridiano loci; eo enim angulo cognito, statim cogno-

cognoscitur planum, in quo celebratur siderum occursum. Et denique ad istius occursum tempus cognoscendum necesse est *investigare alterutrius sideris a meridiano distantiam secundum æquatorem numeratam*; nam ex cognita distantia ista, atque ex datis tum Solis, quum sideris ascensione recta facile tempus occursum definietur.

362. Ut autem primæ questioni satisfiat ponamus primum locum Telluris, in quo occursus siderum experientandus est, constitui sub ipso æquatore Terrestri. Et quoniam unusquisque circulus maximus occurrit æquatori in duobus punctis, eaque puncta per diurnam æquatoris ab ortu in occasum revolutionem transire necessario debent per verticem loci, nullus erit in sphæra cœlesti circulus, qui quotidie bis verticalis circuli munus non obeat respectu loci in æquatore constituti. Itaque quum per singula bina sidera transire possit circulus maximus, necesse est ut singula bina sidera bis in eodem plano verticali convenient respetto locorum omnium, quæ sub æquatore Terrestri constituuntur.

363. Ponamus secundo locum Telluris sub ipso polo collocari. In hac hypothesi ea tantum sidera convenient in planis verticalibus, quæ constituta sunt in eodem circulo horario; hoc est sidera illa, quæ vel eamdem habeant ascensionem rectam, vel oppositam. Cujus quidem rei ratio est, quod sub polis non omnes circuli maximi verticalium munus obeunt, sed tantum horarii, qui declinationum circuli etiam adpellantur. Cæterum si duo sidera ibi adparent aliquando in aliquo plano verticali, ea diu in eodem plano conspiciuntur: diu enim in eodem circulo declinationis ad sensum manebunt.

364. Denique ponamus locum Telluris constitui inter æquatorem, & polum. Ducatur per locum istum circulus non maximus æquatori parallelos. Et quoniam universum Cœlum motu diurno revolvitur ab ortu in occasum, singula puncta hujus parallelī motu diurno abrepta ordine transibunt per verticem loci. Ex quo ille consequens est circulos maximos, qui aut continent parallelū istum, aut ipsum secant in duobus punctis, verticalis circuli munus semel, aut bis eo in loco

obituros. Quapropter non omnes stellæ convenient  $\infty$  in loco in eodem plano verticali, sed tantum illæ, quæ constituantur in circulo maximo parallelum loci vel contingente, vel secante.

365. Neque vero difficile erit istos circulos maximos definire: Nam quorum circulorum maximorum obliquitas ab æquatore adæquat latitudinem loci, ij contingent parallelum; quorum vero circulorum obliquitas ad æquatorem major est latitudine loci, ij secent oportet loci parallelum. Quapropter ad investigandum nun̄ duo quævis sidera data convenire possint in eodem plano verticali respectu loci inter æquatorem, & polum constituti, res eoredit ut cognoscatur angulus, quem circulus maximus transiens per data sidera constituit cum æquatore. Etenim si angulus iste minor sit loci latitudine, concursus siderum erit impossibilis; sīn latitudini æqualis sit, sidera semel convenient in plano verticali; denique si latitudine major fuerit, sidera bis concurrent singulis diebus in eodem plano verticali.

366. Ut autem angulum istum mediante calculo trigonometrico definiamus, sint in eodem schemate A, & S sidera duo data, P polus visibilis, HCO horizon, EC æquator, AH, PSI circuli horarii per sidera A, & S ducti, & ASR circulus maximus transiens per eadem sidera, & occurrentes æquatori in puncto R. Et quoniam data sunt positione sidera A, & S, dabuntur tum eorum à polo distantiae AP, SP, quum eorumdem ascensiones rectæ: ex quarum comparatione elicetur arcus æquatoris HI, qui angulum ad polum APS metitur. Itaq; in triangulo APS quum præter latéra duo AP, SP detur adhuc angulus APS, dabitur etiam angulus PSA, sive ei æqualis angulus RSI. Et quoniam in triangulo rectangulo RSI datur, præter angulum RSI modo inventum, latus SI, quod sideris S declinationem metitur, facile invenietur angulus SRI, qui quæsitam circuli maximi ASR obliquitatem designat. Quod si hujus anguli quantitas non minor sit latitudine loci, quam datam supponimus, possibilis erit siderum concursus; sīn vero minor sit, concursus ille omnino erit impossibilis.

367. *Suz*

367. Supereft ut duabus aliis quæfionibus fatisfaciamus; nempe inquirenda est tum positio plani, in quo piano stellæ A, & S simul concurrunt, tum tempus istius concursus est determinandum. Quem in finem referat Z verticem loci, per quem transeat aliquando circulus maximus SA, dum simul cum universa sphæra revolvitur ab ortu in occasum. Quoniam itaque in triangulo PAS dantur latera PA, PS una cum angulo APS, dabitur etiam angulus PAS, cujus ad duos rectos complementum dabit angulum PAZ. Tum quoniam in triangulo PAZ datur nunc inventus angulus PAZ, danturque præterea latera PA, PZ, quorum illud distantiam sideris A à polo P, istud autem complementum altitudinis polaris metitur, dabitur in eodem triangulo tum angulus PZA, quem verticalis circulus ZAS continet cum meridiano, quum angulus ZPA, quem metitur arcus æquatoris HE. Cognito autem angulo PZA, habebitur positio plani verticalis, in quo sidera A, & S simul concurrunt. Cognito vero arcu æquatoris HE habebitur tempus istius concursus. Etenim comparando arcum æquatoris HE jam inventum cum sideris A adscensione recta jam data, elicetur adscensio recta medii Cœli; ex qua atque ex Solis adscensione recta, quæ data supponitur invenietur distantia Solis à meridiano secundum æquatorem numerata, atque inde hora concursus quælitera.

368. Dubitaverit hic fortasse aliquis, num refractiones siderum turbent nonnihil tum positionem plani in quo ipsa concurrunt, quum mensuram temporis, in quo celebrari debet concursus ille. Et sane quum stellæ propter refractiones attollantur aliquantulum supra loca ipsarum vera, sic videtur res se habere debere. Nihilominus consideranti refractiones attollere quidem sidera aliquantulum supra loca ipsorum vera, sed à verticalibus, in quibus aequi sunt, nequaquam ea detrudere, facile adparebit neque positionem plani, neque temporis mensuram à refractionibus turbaturas iri.

369. Quamvis autem siderum occursum in planis verticalibus pro omnibus locis Telluris satis generaliter mihi

mihi videar definivisse, nolim tamen credatur occursum istum ubique, atque omnium siderum respectu observari posse. Etenim sive duo sidera concurrant tempore diei, sive, dum concurrunt, ambae aut saltem ipsarum altera inveniatur infra horizontem, sive denique altera inveniatur ex una meridiani parte, altera ex parte altera meridiani, semper impossibile erit siderum occursum observare. Cæterum quod de duobus sideribus dictum est, id idem aptari potest ad tria, ad quatuor, ad quinque, atque ad quot libuerit sidera; modo advertatur non posse tria, vel quatuor, &c. sidera concurrere in eodem plano verticali, nisi simul constituantur in eodem circulo maximo sphæræ cœlestis.

370. Sed data vicissim hora diei, aut noctis, dataque Solis adscensione recta, facile erit adscensionem medii Cœli invenire, sive punctum illud æquatoris determinare, quod hora data versatur in meridiano. Etenim ex data hora diel, dabitur distantia Solis à meridiano secundum æquatorem numerata; at vero datur etiam Solis adscensio recta: itaque, alteram cum altera confertendo, elicetur distantia Arietis à meridiano secundum æquatorem computata, atque adeo adscensio medii Cœli qualita.

371. Inventa adscensione recta medii Cœli facile exquiretur punctum eclipticae culminans C. Etenim in triangulo rectangulo (Fig. 44.) EAC, quod constitutum est ex meridiani arcu EC ex arcu æquatoris EA, & ex arcu Eclipticæ AC, datur arcus æquatoris EA, nempe adscensio medii Cœli (A refert initium Arietis), daturq; insuper angulus EAC, qui Ecliptice obliquitatem refert: itaque facile invenietur arcus CA, nempe longitudine puncti culminantis C. Sed in eodem triangulo invenietur etiam arcus CE, nempe declinatio puncti culminantis, & angulus ECA, quem meridianus continet cum ecliptica. Quibus inventis facile determinabitur punctum Eclipticae nonagesimum. Sit enim Z Zenith à quo in eclipticam cadat ad rectos angulos verticalis ZV: is secabit eclipticæ medietatem superiorum in partes æquales; atque adeo punctum V erit nonagesimum.

Hujus

Hujus puncti longitudo determinabitur mediante triangulo rectangulo CVZ, in quo, præter angulum rectum ad V, datur tum arcus CZ, quum angulus ZCV: nam arcus CZ cognoscitur ex arcibus EZ, EC, quorum prior loci latitudinem metitur, posterior vero metitur declinationem puncti culminantis eclipticæ jam inventam; angulus vero ZCV est complementum ad duos reætas anguli cogniti ECA. Quapropter in supradicto triangulo invenietur arcus CV: ex quo atq; ex arcu CA jami invento elicetur longitudo nonagesimi puncti V.

## CAPUT UNDECIMUM.

### *De Crepusculi causis, atque ejus duratione.*

372. **A**D doctrinam sphæricam pertinent etiam *Crepuscula*, de quibus antequam agere instituimus nonnulla de *atmosphæra*, deque ipsis beneficiis, atque commodis delibanda nobis sunt. Est atmosphæra corpus ex aere, vaporibus, atque exhalationibus concretum, quod undique ad altitudinem non contemnendam Tellurem nostram circumambit. Præter innumera ejus beneficia quum erga rerum generationem atque vicissitudines, tum erga vitam animalium atque plantatum, illud cornmodi ex ea nobis manat, quod lucente Sole Cœlum omne clarum, atque lucidum adpareat. Etenim si Tellus omni atmosphæra destituetur, ea solum Cœli pars colluceret, in qua constitueretur Sol; usq; adeo ut quisquis aversam à Sole faciem haberet, is nocturnas ubique tenebras deprehenderet, stellasque omnes, etiam minimas conspiceret. Quippe si nulla esset atmosphæra, nullum pariter circa Tellurem adesset corpus, quod Solares radios ad oculos nostros reflecteret; unde radii Solares, qui in Tellurem non impingunt, eam præterlabentes aut Planetas, stellasque illuminatum irent, aut in spatiū se se spargentes infinitum ad nostros oculos nunquam decorquerentur. Sed nunc quum

quum atmosphæra undequaque Tellurem ambiat, ea & Sole vivide illustrata lucem ad oculos nostros remittit, Cælumque omne collustrat; indeque accidit ut lumen stellarum, quod obtusius est minusque vividum obscuretur, hebeteturque.

373. Est & aliud atmosphæræ commodum minime contempendum, quod nempe diei durationem nobis protelet: propter ipsam enim fit ut luce aliquandiu frustratur tum ante ortum Solis, quum post ejus occasum. Finge enim atmosphæra Tellurem nostram orbari. Jam quoisque Sol versabitur supra horizontem dies erit clarissimus; sed ante ortum Solis, & statim post ejus occasum densissimæ tenebræ Terras occupabunt, usque adeo ut à tenebris ad lucem, atque ab hac ad illas immediatus transitus fieret non sine aliquo Terricolarum incommodo. Sed nunc quum atmosphæra ambiat Tellurem, accidit ut lux Solaris ante ortum Solis, postque ejus occasum oculos nostros aliquandiu perstringat non quidem directo, sed per reflexionem factam à particulis atmosphæræ: ex qua oritur crepera illa, atque dubia lux, quæ mane ante ortum Solis, & vespere post Solis occasum conspicitur. Binæ istæ dierum appendices, quibus ante ortum Solis postque ejus occasum quotidie fruimur, *Crepuscula* adpellantur, *matutina* quidem quæ Solis ortum antecedunt, *vespertina* vero quæ occasum Solis subsequuntur. Et crepuscula quidem matutina sensim clariora evadunt, usque donec in ipsam diem lucidissimam desinant; crepuscula vero vespertina sensim debiliora fiunt quoisque in ipsam densissimam noctem commutentur.

374. Jam id quod queri solet circa hujusmodi crepuscula huc ferme redit. Primo ut *definiantur limites crepuscularum*, sive, quod eodem redit, eorum initia, atque fines determinentur. Secundo ut *crepuscularum durationes pro variis anni temporibus definiantur*. Et tertio denique ut *minimorum crepuscularum tempora praenoscantur*. Sane de initio crepusculi vespertini, deque fine matutini satis superque constat. Patet enim matutinum crepusculum desinere, quum Solis limbus super-

rior tangit in oriente horizontem sensibilem ; & simili-  
liter principium vespertini crepusculi contingere quum  
Solis limbus superior in occidente horizontem sensibili-  
lem contingit . De principio tamen crepusculi matutini,  
deque fine vespertini non æque constat. Et sane nulli  
certi statui possunt limites , intra quos initia crepuscu-  
lorum matutinorum, & fines vespertinorum continean-  
tur . Etenim eorum duratio pendet tum ex quantitate  
materiae in aere suspensæ ad lucem reflectendum ido-  
nea , quum ex altitudine aeris . Itaque quum tempore  
hiberno aer condensatus humilior sit , tardius incipiunt  
crepuscula matutina , citiusque desinunt vesperti-  
na . Æstivo vicissim tempore quum atmosphæra ad  
majorem altitudinem attollatur, citius incipiunt matu-  
tina crepuscula , seriusque desinunt vespertina . Quin  
etiam duratio crepusculi matutini brevior est duratio-  
ne crepusculi vespertini , ob aerem mane densiorem  
atque humiliorem , quam vespere . Vulgo autem cen-  
sentur crepuscula incipere vel desinere quum stellæ sex-  
tae magnitudinis mane fiunt inconspicuae , aut vespere  
apparere incipiunt.

375. Quamvis autem crepusculorum limites admo-  
dum incerti sint , communiter tamen Astronomi con-  
stituerunt , ut initium crepusculi matutini contingat  
quum Sol octodecim infra horizontem gradibus est  
depressus ; similiterque ut finis vespertini crepusculi  
contingat , quum Sol totidem gradibus infra horizon-  
tem deprimitur . Itaque circulus horizonti paralle-  
lus , atque infra horizontem octodecim gradibus depres-  
sus erit finitor Crepusculorum . Neips quum limbus  
Solis superior tangit ex parte orientis circulum istum  
incipiet crepusculum matutinum ; quum vero limbus  
Solis superior tangit ex parte occidentis eundem cir-  
culum delinet crepusculum vespertinum.

376. Constitutis crepusculorum limitibus videndum  
proxiime est de eorum duratione . Et quoniam sphæra  
triplex est recta, obliqua, & parallela, expendendæ cre-  
pusculorum durationes primum in sphæra recta , & pa-  
llela , deinde vero in sphæra obliqua . Et quidem in  
sphæra

sphæra recta crepuscula cito finiuntur ob rectum Solis adscensum atque descensum ; non tamen semper æqualiter durant : nam in diebus æquinoctialibus crepuscula minima sunt : deinde à diebus æquinoctialibus ad dies solstitiales continuo adcrescunt ; tum à solstitialibus ad æquinoctiales decrescent per gradus sic ut in diebus æquinoctialibus minimi rursus evadant . Neque vero difficile erit horum omnium rationem reddere . Etenim si per punctum æquatoris, quod octodecim gradibus infra horizontem deprimitur, ductum intelligamus circulum declinationis , is continget quidem in eodem punto finitorem crepusculorum , deinde vero sensim supra ipsum attolleatur: unde arcus parallelorum inter horizontem & circulum istum comprehensi minores erunt arcibus eorumdem parallelorum, qui inter horizontem , & finitorem crepusculorum continentur , eoque minores erunt , quo magis parallelī recedunt ab æquatore , atque ad tropicos accedunt . Unde quum arcus parallelorum, qui comprehenduntur inter horizontem & supradictum circulum declinationis , ut potest similes, describantur eodem tempore , facile inde colligetur minima crepuscula contingere in diebus æquinoctialibus , maxima in solstitialibus , à diebus autem æquinoctialibus ad solstitiales crepuscula quotidie ad crescere , à solstitialibus vero ad æquinoctiales vicissim decrescere.

377. Cæterum minimi crepusculi quantitas in sphæra recta absque ullo calculo trigonometrico definitur : Etenim quum minimum crepusculum ibi contingat quando Sol percurrit æquatorem , profecto duratio minimi crepusculi tanta erit , quanta requiritur ad hoc ut Sol pertranseat octodecim gradus æquatoris . Itaque quia Sol percurrit octodecim gradus æquatoris in hora una & minutis 12, sequitur minimum crepusculi tum matutini , quum vespertini durationem esse in sphæra illa unius horæ , & minutorum 12 . At vero maximi crepusculi quantitas definitur per solutionem trianguli sphærici ad Zenith Z (Fig. 45.) ad polum P , atque ad Solem S constituti . In eo enim triangulo datur latu-

tus PZ, quod est complementum altitudinis polaris; datur latus ZS graduum 108; daturque denique latus PS graduum 66.  $31\frac{1}{2}$ , ut pote quod complementum est obliquitatis Eclipticæ. Itaque ex tribus istis lateribus datis colligetur angulus ad polum ZPS, quem angulum metitur arcus tropici inter finitorem crepusculorum & meridianum contentus. Quia ratione dabitur tempus quod impendit Sol, ut à finitore crepusculorum perveniat ad meridianum: à quo tempore si subtrahantur horæ sex, quas Sol impendit ad hoc ut ab horizonte perveniat ad eundem meridianum, habebitur tempus, quo tempore Sol à finitore crepusculorum venit ad horizontem; atque adeo dabitur quantitas maximi crepusculi tunc matutini, quum vespertini.

378. In sphæra autem parallela quemadmodum unicus est dies, atque unica nox, ita duo sunt in universum crepuscula continua, quorum unum subsequitur diem, alterum subsequitur noctem. Itaque in ista sphæra crepuscula durant per plures menses; etenim quum finitor crepusculorum abeat in ea sphæra in circulum æquatoris parallelum, profecto tantum temporis durabunt crepuscula, quantum temporis requiritur ad hoc ut Sol ab æquatore perveniat ad parallelum declinantem ab æquatore gradibus octodecim. Quia ratione polares inclinæ per totum fere annum leviter Solis vel directo, vel reflexo fruuntur.

379. Supereat ut crepuscula; quæ locum habent in sphæra obliqua, expendamus. Hic propter obliquum Solis tunc adicentum, quum descensum crepuscula longiora sunt, eoque longiora quo magis æquator obliquus est ad horizontem. Et enim quo major est obliquitas sphæræ, eo arcus æquatoris & parallelorum intercepti inter horizontem, & crepusculorum finitores longiores sunt; qui quidem arcus crepusculorum durationem determinant. Qualem autem rationem servent hujusmodi crepuscula in incrementis, & decrementis utique intelligemus, si data sphæra obliquitate inventire docuerimus locum eclipticæ, in quo dum Sol versatur crepusculum est brevissimum.

380. Hoc

380. Hoc problema ita solvemus. Repræsentet (Fig. 46.) C centrum sphæræ mundanæ, APTOHQ meridianum loci, HD<sup>o</sup> horizontem, circulus QE<sup>e</sup>T horizonti parallelus finitorem crepusculorum, AMNB æquatorem, EFDG portionem ejus paralleli, quem Sol describit tempore brevissimi crepusculi horizonte, & crepusculorum finitore interceptam, P polum australem, & PEM, PDN binos declinationum circulos. Et quoniam circulus QE<sup>e</sup>T, qui crepusculorum matutinorum initia, atque vespertinorum fines determinat, supponitur primi infra horizontem per gradus 18, utique tum arcus HQ, quum arcus OT erit graduum 18; quapropter utriusque sinus QX cognoscetur. Insuper quoniam data supponitur obliquitas sphæræ, dabitur arcus OP, qui poli invisibilis depressionem metitur, ejusque sinus restus idcirco non ignorabitur. Itaque res eo redit ut videamus quomodo ex his duobus sinusibus datis inveniri possit sinus CK arcus EM, vel DN qui quidem arcus designat declinationem Solis tempore, quo contingit minimum crepusculum.

381. Jam quoniam duratio crepusculi est tempus, quo Sol describit cum ED crepusculari circulo, & horizonte comprehensum, quemadmodum crepusculum minimum esse debet, ita minimum sit oportet tempus, quo Sol describit arcum ED adeoque, per ea quæ ostensa sunt in *Analysi infinite parvorum Sectione tertia*, nullum erit tum incrementum aut decrementum instantaneum temporis istius, quum incrementum, aut decrementum arcus ED. Itaque si supponamus defg esse alium circumferentiam æquatori parallelum, qui à priori parallelo minimo distet intervallo, sintque Pef, Pdr duo alii circuli declinationum, qui occurrant æquatori in punctis m, & n, erunt arcus Mm, Nn æquales inter se; etenim arcus MN est mensura temporis, quo Sol describit portionem parallelis ED; incrementum autem, aut decrementum illius arcus est differentia arcuum mn, MN, sive etiam differentia arcuum infinite parvorum Nz, Mz; unde quum incrementum aut decrementum istud nullum esse debeat, quando crepusculum est minimum, profecto

festo necesse est arcum  $Nz$  aequalem esse arcui  $Mm$ :  
hac enim ratione habebitac  $Mm = Nz$ . Quid si  
arcus  $Nz, Mm$  aequales sunt inter se, necesse est etiam ut  
aequales sint arcus  $Sd, ER$  eiusdem parallelū, quippe qui  
isdein prorsus circulis declinationis circumscrībuntur,  
quibus continentur arcus aequatoris  $Nz, Mm$ . Deniq; arcus  $DS$ ,  $ER$  etiam aequales sint oportet; etenim inter-  
cipiuntur duobus parallelis  $ED, RS$ . Quapropter quum  
triangula  $ERe, Dsd$  (quæ, ob infinitam laterum par-  
vitatem, nihil vetat quin pro rectilineis habeantur)  
sint rectangula in  $R, & S$ , & habeant bina latera  $ER, Re$   
 $aequalia$  binis lateribus  $DS, Sd$ , habebunt hypoth-  
enuam  $Ee$  aequalem hypothenuſæ  $Dd$ .

382. Et quoniam meridianus APTOBHQ secat ho-  
rizontem ad angulos rectos, aequator vero atque singuli  
aequatoris parallelī secant meridianum etiam ad angulos  
rectos, profecto communes sectiones  $DG, dg$  parallelorū  
cum horizonte perpendicularares erunt ad communem se-  
ctionem HO meridiani cum eodem horizonte; & simili-  
ter communes sectiones  $EF, ef$  parallelorum cum circulo  
crepusculari perpendicularares erunt ad communem se-  
ctionem QT meridiani cum finitore crepusculorum.  
Rursus quoniam plana horizontis & circuli crepuscula-  
ris parallela sunt inter se, suntque etiam parallela plana  
duorum parallelorum minimo intervallō distantiorū;  
erit utique rectula  $Gg$  aequalis rectulae  $Ff$ : ex quo sequi-  
tur  $\sqrt{Dd^2 - Gg^2}$  aequalem esse  $\sqrt{Ee^2 - Ff^2}$ . Est autem  
 $\sqrt{Dd^2 - Gg^2} = DG - dg$ , &  $\sqrt{Ee^2 - Ff^2} = fe - FE$ ;  
quare erit etiam  $DG - dg = fe - FE$ .

383. Jam si in semicirculo (Fig.47.)  $AMB$ , cuius  
diameter est  $AB$  centrum autem est  $C$ , sint binæ or-  
dinatæ minimo intervallō remotæ  $MP, mp$ , nocturna  
arcum  $Mm$  inter ordinatas comprehensum esse ad dif-  
ferentiam ipsarum ordinatarum  $MR$ , quemadmodum  
est radius circuli  $CM$  ad abscissam  $CP$  centro  $C$ , & al-  
terutra ordinatarum  $PM$  comprehensam. Itaque arcus  
circuli  $Dd$  (Fig.46.) comprehensus inter duas ordinatas  
 $GD, gd$  erit ad ipsarum ordinatarum differentiam,  
quemadmodum est Semidiameter  $CO$  ad abscissam

Tom. II.

N

CG cen-

CG centro C & ordinata GD comprehensam . Est autem arcus Dd æqualis arcui Ee , differentia vero ordinatarum GD , gd adæquat differentiam ordinatarum ef, EF; quare erit etiam ut arcus Ee ad differentiam ordinatarum ef, EF ita CO ad CG: unde quoniam arcus Ee ad differentiam ordinatarum ef, EF sit quoque ut semidiameter IQ ad abscessum IF; erit propter rationum æqualitatem ut CO ad CG ita JQ ad IF ; atque adeo permutando , componendo , & rursus permutando erit ut CO ad CG ita OX ad GL.

384. Jam vero propter triangula COV, CGK similia CO ad CG ita se habet , ut OV ad GK ; itaque erit rursus propter rationum æqualitatem ut OV ad GK ita OX ad GL , & permutando ut OV ad OX , ita GK ad GL . Est autem propter triangula rectangula CGK , FGL similia GK ad GL ita CK ad LF , sive QX : quare rursus propter rationum æqualitatem erit ut OV ad OX, ita CK ad QX, & permutando ut OV ad CK, ita OX ad QX sive etiam ita QX ad XH; datur autem tum QX sinus arcus QH graduum 18, tum HX sinus versus ejusdem arcus , quoniam denique VO sinus rectus altitudinis poli ; itaque dabitur etiam CK sinus declinationis Solarii qualitæ . Et quoniam in triangulo QHX si sumatur QX pro radio , sive sinu toto , recta HX evadit tangens anguli HQX , qui quidem angulus est graduum 9; quare si fiat ut radius ad tangentem graduum 9 , ita sinus altitudinis polaris datæ ad quartum proportionalem , habebitur sinus declinationis qualitæ , quam scilicet sortitur Sol tempore minimi crepusculi , quamque liquet esse semper ejusdem speciei cum polo depresso.

385. Itaque nobis boreale Telluris hemisphærium incolentibus crepuscula brevissima non contingunt quoniam Sol versatur in æquatore , sed quoniam Sol declinat ab æquatore versus australem plagam ; deinde vero accrescent crepuscula usque ad solsticium hibernum , post quod minupuntur per gradus usq; donec eodem loci minima rursus fiant: tum rursus accrescent usq; ad solsticium aestivalium , deinde denuo decrescent per gradus . Data autem Solis declinatione , & sphæra obliquitate initium cre-

## INSTITUTIONUM. LIB.II. 195

crepusculi matutini, aut finis vespertini inveniatur per resolutionem trianguli sphærici (Fig. 48.) ad polum P, ad Zenith Z & ad Solem S, in quo triangulo datur primo arcus ZP complementum altitudinis poli; datur secundo arcus ZS, distantia nempe Solis à vertice initio crepusculi matutini, aut fine vespertini, graduum nempe 108; & deniq; datur distantia PS Solis à polo vicino. Itaque in eo triangulo invenire licet angulum ad polum ZPS, ex quo cognoscetur ejus complementum ad duos rectos: quare angulus ZPS in tempus conversum dabit finem crepusculi vespertini; ejus vero complementum in tempus conversum dabit initium matutini; illud quidem post meridiem, hoc autem post medium noctem.

386. Ceterum quemadmodum crepuscula augentur per auctam sphæræ obliquitatem, ita fieri potest ut in quibusdam locis crepuscula dutent per totam noctem; nempe si Sol describat parallelum, qui aut finitorem contingat, aut cum ipso finitore non conveniat. Utroque enim casu Sol non deprimitur ultra gradus octodecim, quod solum requiri vidimus, ut crepuscula desinant.

## CAPUT DUODECIMUM.

*De variis revolutionum diurnarum periodis;  
præsertim vero de die Sidereo, atque  
Solari.*

387. **Q**uamvis non uno loco dictum sit Planetas, Cometas, stellas fixas, Cœlum denique omne revolvi ab ortu in occasum spatio ferme dies naturalis, tamen sciendum est non omnium siderum revolutiones esse æquidiurnas; nonnulla enim ceteri perficiunt gyros suos ab ortu in occasum, ut sidera inerrantia; alia vero tardius revolvuntur, ut Planetæ & præsertim Luna, cujus singulæ revolutiones quasi integrâ hora longiores sunt singulis revolutionibus sidereis.

388. Ut causam illius inæqualitatis aperiamus,

N 3 memo-

memoria hic repetenda sunt, quæ supra diximus de motu composito adparenti Solis & cæterorum siderum ; nempe illiusmodi motum componi ex duobus aliis motibus in contrarias plagas tendentibus , uno nempe ab ortu in occasum secundum circulos æquatori parallelos , qui in omnibus sideribus unus idemque est : altero vicissim ab occasu in ortum secundum circulos ad æquatorem obliquos ; isque in sideribus inerrantibus est lentissimus ; at vero in Planetis proximioribus Luna , Mercurio , & Venere est velocissimus ; in cæteris vero Planetis est proportione media temperatus . Unde quia velocitas corporis, quod duobus motibus contrariis urgetur versus aliquam plagam , minor est velocitate, cum qua idem corpus tenderet versus eamdem plagam si cum ea simpliciter velocitate moveretur , necesse est motum siderum adparentem ex duobus motibus contrariis iam memoratis profectum nonnihil tardiorem fieri , tantoque tardiorem , quanto motus ipsorum versus ortum est velocior . Ut quia stellæ fixæ lentissime prograduntur versus ortum ( vix enim singulis annis prograduntur versus illam plagam 51 secundis ) ; idcirco revolutiones diurnæ Firmamenti insensibiliter evadent diurniores . At revolutiones Planetarum ad sensum erunt diurniores ; nam ipsi multo velocius , quam sidera , feruntur ab occasu in ortum .

389. Jam quum revolutiones coelestes constituant dierum durationes , quia tempora ipsarum non sunt æqualia inter se , sed quedam longiora sunt , quedam vero breviora , variæ dierum durationes erunt distinguendæ . Qua ratione revolutiones sidereæ constituent diem sidereum , revolutiones Solares diem Solarem , Lunares Lunarem , revolutiones denique cæterorum Planetarum Mercurii , Veneris , Martis , Jovis , atque Saturni constituent dies eorumdem Planetarum respective . His addendus est dies æquinoctialis , nempe duratio ejus temporis , intra quod punctum aliquod æquatoris à meridiano profectum regreditur ad eundem meridianum ; quod quidem tempus nonnihil brevius est die sidereo ; quippe in punctis æquatoris nullus consideratur

tatur motus versus ortum, quemadmodum motus iste consideratur in sideribus.

390. Itaque omnium dierum jam descriptorum brevissimus est æquinoctialis, longissimus vero est dies Lunaris: deinde ordine longiores sunt Sidereus, Saturnius, Jovialis, Martius, Solaris, Venereus, atque Mercurialis. Sed quia stellæ fixæ lentissime moventur versus ortum, neque nisi multo post tempore adparet ipsas discessisse de locis suis, inde fit ut discrimen diei æquinoctialis à sidereo in non multis revolutionibus, nondum in revolutione una, minime adpareat. Et sane Astronomi discrimen istud tamquam rem nullius profus momenti contemnunt, tēmpusque æquinoctiale pro sidereo, & fidereum vicissim pro æquinoctiali indiscernitam usurpant.

391. Et quoniam in temporibus notandis non alios dies Astronomi adhibent nisi Solares, atque fidereos, necesse erit de utroq; hoc tempore paullo fuisius differere. Itaque sciendum est dies omnes fidereos, saltem ad sensum, æquales esse inter se, ipsi enim ad sensum æquales sunt singulis diebus æquinoctialibus, quos æquidiuturnos esse constat. Sed dies Solares nō sunt omnes æquales, at quibusdam anni temporibus sunt longiores, aliis vero temporibus evadunt nonnihil breviores, inæqualitatique causa duplex est. Prima causa est, quod Sol modo velocius, modo segniter incedat ab occasu versus ortum; altera quod item Sol haud quidem moveatur per æquatorem, sed per eclipticam, quæ obliqua est ad æquatorem.

392. Ut ab inæqualitate, quæ à semper vario, & diverso Solis motu proficiuntur incipiamus, supponamus primo loco Solem non quidem per eclipticam incedere, sed moveri per æquatorem ab occasu versus ortum cum ea velocitatis quantitate, cum qua revera movetur per eclipticam. Itaque si Sol nullo alio motu esset agitatus, is æquatorem absolveret eodem illo tempore, quo integrum eclipticæ gyrum perficere observatur. At interveniente motu diurno ab ortu in occasum idem Sol singulis diebus non quidem æquinoctialibus,

sed aliquanto diuturnioribus æquatorem describet; etenim prædictum illud æquatoris, quod hodie simul cum Sole proficitur à meridiano, cras ad meridianum citius redibit, quam Sol, ob ejus motum versus ortum in terea temporis factum. Itaque quum reditus illius punit ad meridianum constitut diem æquinoctialem, reditus vero Solis ad eundem meridianum constitut diem Solarem; erit dies æquinoctialis brevior die Solari. Et quoniam dies æquinoctiales sunt omnes æquales inter se, siquidem ostendi posset discrimen dierum æquinoctialium à diebus Solariibus non esse semper unum, & idem, eo ipso ostensum esset dies Solares inæquales esse inter se.

393. Id autem facile ostendetur, si excessum diei Solaris supra æquinoctiale exquirere studeamus. Referat idcirco AB (Fig. 49.) meridianum, & MONP æquatorem, qui motu diurno revolvatur ab ortu in occasum per M, P, N, O. Ponatur Sol in ipso meridiano in loco M, sitque MS arcus quem ipse Sol describit versus ortum in una die æquinoctiali. Itaq; quo tempore punctum æquatoris M integrum gyrum absolvit ab ortu in occasum, Sol à meridiano digressus perveniet ad punctum æquatoris S; atque adeo ut absolvatur dies Solaris necesse est tantum adhuc temporis decurrere, quantum requiritur ut arcus æquatoris MS meridianum pertranseat; quin immo illud etiam exiguum, atque insensibile temporis intervalum transeat oportet, quod motui Solis interea versus ortum facto respondet. Et quoniam arcus æquatoris MS, quos Sol dictim describit versus ortum, non sunt omnes æquales inter se, sed quidam longiores existunt, quidam vero breviores; etiam temporis intervalla, quæ addi debent diebus æquinoctialibus ut habeantur dies Solares, non erint omnia æqualia; ex quo necessario sequitur dies Solares inæquales esse debere.

394. Ponamus deinde Solem moveri per eclipticam, ab occasu in ortum sed motu æquabili, ita ut æqualibus temporibus æqualia spatia percurrat. Itaque in hac alia hypothesi dies Solares componetur ex die æquinoctiali, & ex illo temporis intervallo, in quo arcus ecliptice

pticæ dietim à Sole descriptus tranit per meridianum : At quantum Sol æquales eclipticæ arcus singulis diebus peragrat ponatur, non idecirco dies Solares æquales erunt inter se: etenim, ob eclipticæ obliquitatem, æquales eclipticæ arcus inæqualibus temporibus transirent per meridianum. Finge enim eclipticam totam divisam in partes 365 æquales inter se, perque singula divisionum puncta intellige singulos declinationum circulos transire. Jam hujusmodi declinationum circuli secabunt æquatorem etiam in 365 partes, quæ tamē partes inæquales etunt. Jam vero quo tempore unaquæque pars æquatoris transiret per meridianum eodem tempore transiret per meridianum pars eclipticæ correspondens; itaque quum partes æquatoris, ut pote inæquales, transirent per meridianum temporibus inæqualibus; sequitur partes Eclipticæ, ut ut æquales, inæqualibus etiam temporibus per meridianum transire debere.

395. Sive itaque Sol moveatur per æquatorem cum ea velocitatum quantitate, cum qua movetur per eclipticam, sive moveatur per eclipticam æquabiliter, semper tamen dies Solares inæquales erunt. Nunc quum Sol non modo moveatur per eclipticam, sed etiam feratur inæquabiliter, dupli ex causa dies Solares inæquales erunt; quarum quidem duarum caularum quandoque altera alteram invabit ad augendam dierum Solarium inæqualitatem, aliquando altera alteri officiet. Perspicuum est autem dies Solares æquales futuros inter se, si Sol incederet per æquatorem, & hoc amplius eadem semper velocitate moveretur. Itaque Astronomi ad temporis æqualitatem inducendam effingunt in Cœlo Solem alium, quem *filium, atque imaginarium* vocant, eumque supponunt moveri per æquatorem ab occasu in ortum cum eadem semper velocitate, quim velocitatem tantam statuunt, ut possit ipse Sol filius totum æquatorem absolvere eodem prorsus tempore, quo Sol verus eclipticam peragrat. Hic Sol filius motu diurno abreptus æquatorem perpetuo describit, suntque revolutiones hujus Solis omnes æquidiurnæ. & quia tempora harum revolutionum media sunt inter longissimas revolu-

lutiones veras Solares , & brevissimas , inde factum ut hujusmodi dies *medii* , Sol autem , qui dies istos metitur , *Sol medius* fuerit adpellatus.

396. Quoniam autem tum dies Solares medii , quum dies æquinoctiales æquales sunt inter se ; discriminem istorum ab illis erit semper unum idemque : itaque dato die æquinoctiali , dataque adhuc differentia diei æquinoctialis à die Solari medio , dabitur ipse dies Solaris medius : & vicissim dato die Solari medio , datoque excessu ipsius supra diem æquinoctialem dabitur ipse dies æquinoctialis . Et quoniam dies æquinoctialis insensibiliter diversus est à die sidereo , usurpari hac in re potest dies sidereus pro æquinoctiali . Est autem discriminem utriusq; diei Solaris nempe & siderei minutorum trium & secundorum 56 circiter . Itaque si ad diem sidereum , nempe ad tempus illud , quod efficit ex quo stella à meridiano digressa redit ad eundem meridianum , addantur minuta 2 . 56 habebitur dies Solaris medius , nempe dies ille , qui medius est inter longissimum Solarem , & brevissimum . Hoc die utuntur Astronomi in suis observationibus peragendis ; deinde vero adhibendo correctionem quamdam , à tempore medio gradum faciunt ad tempus adparens , sive verum . Sed accuratissima harum rerum explicatio non est hujus loci .

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

*De Motu Solis in longitudinem cum ejus motu in adscensionem rectam comparato .*

397. **M**otus Solis in longitudinem adpellatur arcus eclipticæ ab initio Arietis usq; ad locum Solis in consequentia signorum numeratus : *motus autem Solis in adscensionem rectam* dicitur arcus æquatoris ab initio Arietis usq; ad circulum declinationis per Solem transuentem etiam in consequentia signorum numeratus . Jam si ponamus Solem discellisse ab initio Arietis , atq; unum aut

aut alterum eclipticæ gradum descripsisse, facile intelligitur motum Solis in adscensionem rectam interea factum esse aliquanto tardiorem. Etenim quum motus Solis in longitudinem, ejus motus in adscensionem rectam, & circulus declinationis constituant triangulum rectangulum, profecto motus Solis in longitudinem, qui hypotenusa munere in isto triangulo rectangulo fungitur, major erit ambobus reliquis lateribus, quorum alterum motum Solis in adscensionem rectam, alterum motum Solis in declinationem designat.

398. Sed facile etiam intelligitur, Sole ad initium Cancri devento, fore ut motus Solis in adscensionem rectam adæquat motum ejus in longitudinem; nam quemadmodum Sol motu in longitudinem describit quadrantem eclipticæ, ita motu in adscensionem rectam describit quadrantem æquatoris. Itaque quum initio motus Sol tardius incederet in adscensionem rectam, quam in longitudinem, & tamen post absolutum eclipticæ quadrantem reperiatur æquale spatum utroque motu absolvisse, profecto necesse est ut deinde, motu in adscensionem rectam facto celeriori, velocius Sol progressus sit in adscensionem rectam, quam in longitudinem. Quapropter quum Sol in primo eclipticæ quadrante initio tardius incedat in adscensionem rectam quam in longitudinem, deinde vero velocius incedat in adscensionem rectam quam in longitudinem, omnino necesse est ut in eodem quadrante locus sit, in quo tantumdem Sol moveatur in longitudinem, quantum movetur in adscensionem rectam: neque dubitandum quin & similia loca existant in tribus reliquis quadrantibus: id quod eodem prorsus ratiocinio evincki potest.

399. Ut locum istum analyticè definiamus, representet P (Fig. 50.) polum sphære mundanae, PSM columnam solstitiorum, AEL eclipticam, AAM æquatorem, AE punctum æquinoctiale, S punctum solstitialis, L tales locum Solis in ecliptica, in quo motus ipsius in longitudinem adæquat ejus motum in adscensionem rectam, PLA declinationis circulum per locum Solis L transversum.

tem

tem, & p/a alium declinationis circulum minimo in-  
tervallo à priori remotum. Denique sic O centrum  
sphæræ, OS, OM radii ejusdem sphæræ, ad quos perpen-  
diculariter insistant tangentes SN, MT, cum quibus tan-  
gentibus concurrant radii OLN, OLn, OAT, OAt; atque  
centro O radiis On, Or describantur arcus infinite par-  
vi nQ, rR. Quibus construētis ponatur sinus arcus PS,  
qui complementum est obliquitatis eclipticæ = a, radius  
OS = OL = OA = OM = r, tangens SN, quæ determinat  
complementum arcus quæsiti AE = x, & Nn = dx.

400. Et quoniam triangula rectangula NQn, NOS  
similia sunt inter se, erit ut Nn ad nQ ita NO ad OS,  
sive OL; atqui propter triangula nOQ, /OL similia  
sive NO est ad LO ut nQ ad /L; quare propter ra-  
tionum æqualitatem erit ut Nn ad nQ ita eadem nQ ad  
/L; atque adeo ut se habet Nn ad /L, ita erit Nn qua-  
dratum ad nQ quadratum, sive etiam ut Nn ad /L, ita  
erit NO quadratum ad OS quadratum: est autem Nn  
 $\equiv dx$ , NO quadratum = rr + xx, & OS quadratum  
 $\equiv rr$ ; quare erit  $L \equiv \frac{rr}{rr+xx}$ .

401. Præterea quoniam triangulum TRt simile est  
triangulo TOM, erit ut Tt ad rR ita TO ad OM sive  
OA; est autem TO ad AO ut rR ad Aa; quare pro-  
pter rationem æqualitatem erit ut Tt ad rR, ita eadem  
rR ad Aa; atque adeo Tt erit ad Aa, ut Tt quadratum  
ad rR quadratum, sive ut TO quadratum ad OM qua-  
dratum. Quia autem propter triangulorum sphærico-  
rum rectangulorum proprietates sinus arcus PS = a est  
ad finium totum =, ut tangens arcus LS = x ad tangen-  
tem TM arcus AM, erit tangens ista =  $\frac{rx}{rdx}$ ; & præterea  
 $\frac{rdx}{a^2r^2+r^2x^2} = a$

erit  $Tt = \frac{a^2}{a^2r^2+r^2x^2}$ , unde quum sit  $Tt$   
ad Aa ita  $\overset{aa}{TO}$  quadratum ad OM quadratum, erit Aa =  
 $\frac{ardx}{a^2+r^2x^2}$ : est autem Aa motus Solis in adscensionem re-  
ctam

Etiam respondens motui Solis in longitudinem interea  
 $\frac{adx}{arr} = \frac{rrdx}{rr+xx}$   
facto  $L/$ ; itaque habebitur æquatio  $\frac{xx}{rr+xx} = \frac{xx}{rr+xx}$ ,  
sive etiam  $arr + axx = arr + rxx$ : ex qua eruitur  
 $arr - arr = rxx - axx$ ; qua æquatione divisa per  
 $r - a$  habetur tandem  $ar = xx$ .

402. Ex eo autem quod est  $ar = xx$ , sequitur  $a$  esse  
ad  $x$  ut  $s$  ad  $r$ , sive etiam sinus complementi obliqui-  
tatis eclipticæ esse ad tangentem complementi quæsiti  
arcus  $\text{ÆL}$ , ut se habet eadem tangens ad radium OS.  
Itaque semisumma  $99813\frac{1}{4}40\frac{1}{4}$  logarithmi sinus gra-  
dum  $66.31\frac{1}{2}$  & logarithmi radii dat logarithmum tan-  
gentis quælitæ. Ex quo sequitur motum Solis in ad-  
scensionem rectam tunc æqualem esse motui Solis in  
longitudinem, quando Sol versatur in gradu  $13.18\frac{1}{2}$   
Geminorum fere.

## CAPUT DECIMUMQUARTUM.

*Quomodo Locorum Terrestrium positiones per  
observationes astronomicas definiti  
possint.*

403. Circulorum, qui in Terrestri globo considerantur, præcipui sunt paralleli, & meridiani. Parallelos vocamus inumeros circulos non maximos æquatori parallelos, qui ab æquatore versus polos proficiuntur; meridianos vero appellamus innumeratos circulos maximos per polos Telluris transentes.

404. Jam unusquisque locus Telluris suum habere debet circulum paralleli, suumque meridianum; nam inter omnes parallelos Terrestres ille, qui transit per ipsum locum, erit parallelus illius loci; & similiter inter omnes meridianos ille, qui transit per eundem locum, erit ejus loci meridianus. Quemadmodum autem dato loco Terrestri datur cum parallelus, quem meridianus ejus loci;

loci; ita vicissim dato parallelo, datoque meridiano dabitur locus; ut pote qui in communī sectione illorum circulorum collocatur. Itaque ad inveniendam alicujus loci positionem satis erit cognoscere tum parallelum, quum meridianum ipsius.

405. Et quidem parallelus habetur ex latitudine loci, sive etiam ex altitudine poli, quæ quomodo assenti possit suo loco ostensum est: meridianus autem cognoscitur ex longitudine ejusdem loci, quæ quoniam artificio inveniri possit, nunc docebimus. Data autem tum latitudine, quum longitudine loci dabitur locus ipse: nam latitudo dat parallelum, longitudo vero dat meridianum; intersectio autem parallelī cum meridiano dat, uti modo dictum est, ipsum locum.

406. Problema autem de loci longitudine invenienda, cuius solutionem maximis propositis præmiis Nautæ proposuerunt Geometris, illud est quod artem Nauticam fere perfectam, nullisque omnino erroribus obnoxiam redderet. Ut viam ei solvendo aperiamus, memoria repetendum est, intervallum duorum meridianorum non modo per gradus partesque graduum, verum etiam per horas Solares, atque scrupula horaria designari posse, ea nempe ratione ut singulis quindecim gradibus singulæ horæ, singulis quindecim minutis singula minuta, singulisque quindecim secundis singula scrupula secunda attribuantur.

407. Hinc autem fit, ut si quo artificio sciri possit quomodo idem temporis momentum designetur in duobus locis diversis, intervallum meridianorum, qui ad loca illa pertinent, illico manifestum fiat; nam differentia horarum in gradus conversa dabit intervallum meridianorum. Ut ecce si dum in hac Civitate Neapolitanæ numeramus horam vigesimam tertiam, quæ Astronomico stylo prima est ante meridiem, sciamus Parisiis, qui locus nostro occidentalior est, numerari horam vigesimam secundam cum minutis sex, intervallum temporum, quod est minutorum quinquaginta quatuor, dabit distantiam meridiani Neapolitanæ à meridiano Parisiensi

*ſienſi*; unde quum minutis 54 debeantur gradus  $13\frac{1}{2}$ .  
ſequitur meridianum nostrum orientaliorē eſſe meridiano *Parisiensi* gradibus  $13\frac{1}{2}$ .

408. Res itaque eo redit ut tradatur methodus comparandæ horæ, quæ numeratur in loco, in quo versamur, cum hora, quæ eodem tempore numeratur in loco aliquo cognito. Id autem fieri potest per phænomenon aliquod extemporaneum, nempe per phænomenon aliquod, quod eodem temporis articulo omnibus observatorib⁹ adpareat, quale profeſto eſt Ecliſis Lunæ, aut alicujus ex ſatellib⁹ Jovis. Etenim quo tempore obſcurari nobis incipit Luna aut aliquis ſatelles Jovialis, eodem tempore obſcuratur *Parisiensibus*, *Lugdunensibus*, cæterisque Terræ habitatorib⁹.

409. Quapropter eo temporis momento, quo confiſcim⁹, adhibito Telescopio, Ecliſis Lunaris initium, vel finem, niſi præſto fit horologium oſcillatorium ad motum Solis medium expenſum, capiatur per quadran- tem altitudo alicujus ſtellæ, ex qua deinde & ex nota altitudine poli eruatur hora Solaris, quemadmodum in doctrina ſphærica explicatum eſt. Comparetur deinde hora iſta cum illa, quam exhibent Ephemerides, puta *Parisienses* aut *Bononienses*; nam ex ipsarum coimparatione eruetur intervallo meridianorum. Ex. gr. Si ecliſis Lunaris initium, quæ *Bononiae* contingere debet horis post meridiem, *Neapoli* contingere obſervetur horis  $7.11\frac{1}{2}$  post meridiem, oportebit meridianum *Neapolitanum* orientaliorē eſſe meridiano *Bononiensi* minutis  $11\frac{1}{2}$ , five gradibus  $2.52\frac{1}{2}$ .

410. Sed tria hic monenda ſunt. *Primum* hanc methodum in medio mari, propter agitationem navis ex maris fluctibus ortam, ſibi locum vindicare non posſe. *Secundum* in locorum positionib⁹ exquirendis conſultius eſſe eclipses ſatellitum adhibere, quam eclipses Lunares; nam illæ longe accuratius definiuntur, quam iſta. *Et tertium* denique præſtare, ut hora obſervationis factæ in aliquo loco comparetur potius cuī hora obſervationis ejusdem eclipses factæ in loco altero cognito, quam cum hora, quam habent Ephemerides. Etenim cal-

306 PHILOSOPHIÆ NATURALIS  
calculus, ut ut accuratissimus sit, semper minuto uno,  
aut altero à Cœlo dissentit.

## CAPUT ULTIMUM.

*De Motu Siderum diurno in systemate motis  
Telluris: degue aliis Phænomenis, quæ  
inde proficiuntur.*

411. Supereft ut de motu siderum in hypothesi mo-  
tæ Telluris sermonem instituamus. Hoc sy-  
stema ut ut falsum sit, sacræque scripturæ contrarium,  
dubitari tamen nequit, quin elegantius in eo, longeque  
facilius explicentur omnia phænomena, quæ hæcenus  
descripta, explicataque sunt in systemate communī:  
quemadmodum ex dicendis hoc *Capite* constabit.

412. Telluri tres motus tribuit *Copernicus*: primum  
diurnum ab ortu in occasum circa axem suum; alterum  
annuum etiam ab occasu in ortum circa Solem; tertium  
ab ortu in occasum lentissimum, & viꝝ post multos an-  
nos sensibilem, quem proprie ad ipsius axem pertinere  
constituit. Docuit enim axem Telluris non ad eadem  
Cœli puncta perpetuo dirigi, sed circulum in Cœlo  
minorem eclipticæ parallelum ab ortu in occasum tar-  
dissime describere. Ex his autem tribus motibus Tel-  
luris ita omnia mundi phænomena oriri demonstravit,  
ut ortus quidem siderum atque occasus penderet ex  
ipsius motu diurno; dierum, noctiumque vices mirabi-  
les, item temporum anni commutations proficienserent  
ex diurno atque anno motu Telluris simul capula-  
tis; denique ex lentissimo motu axis ipsius oriretur  
Lentissimus ille motus Firmamenti versus ortum, de quo  
sæpe sèpius loquuti sumus.

413. Atque ut à primo motu Telluris incipiamus,  
ponainus cum *Copernico* Cœlum, atque stellas fixas im-  
mota prorsus esse, Planetas vero atque Cometas non  
alio motu agitari, nisi periodico circa Solem; ponamus-  
que etiam Tellurem nostram spatio ferme horarum 24  
revolvi

revolvit circa axem suum ab occasu in ortum. In hac hypothesi spectator in superficie Telluris constitutus describet una cum loco, in quo versatur, singulis diebus circulum æquatori Terrestri parallelum. Itaque is singulis temporis articulis mutabit verticem in Cœlo, quod in hac hypothesi immobile fingitur; & consequenter videbit corpora omnia cœlestia moveri ab ortu in occasum, quum revera ipse moveatur ab occasu in ortum. Quumque de motu suo, siquaque domicilii nullam habeat causam suspicandi, credet revera corpora illa cali motu agitari, usque adeo ut æquatorem, parallelos, polos, meridianum, aliosque similes circulos in Cœlo effingat, quamquam hi circuli pertineant potius ad globum Telluris.

414. Id autem ut clarius intelligatur, supponamus per locum spectatoris, atque per polos Telluris circulum transire, is meridianum loci repræsentabit. Supponamus etiam per centrum Telluris undique ad eisdem à spectatore distantiam alium circulum transire; is horizontem ejusdem loci referet. Jam quoniam Tellus movetur ab occasu in ortum circa axem suum, uterque istorum duorum circulorum ab occasu in ortum moveatur necesse est. Itaque sidera supra horizontem occiduum constituta paulatim infra ipsum occultari videbuntur, non quod illa revera ad occasum tendant, sed potius quia pars occidentalis horizonis Terrestris supra ea continenter attollitur. Eadem ratione sidera infra horizontem ortivum constituta paulatim supra ipsum venire conspiciuntur, non quod revera ipsa ad ortum properent, sed magis quia pars orientalis horizonis Terrestris infra ea deprimitur. Sed exinde fieri etiam necesse est, ut sidera quotidie culminare videantur; etenim quum meridianus loci moveatur ab occasu in ortum, necesse erit planum ipsius usque ad Firmamentum producendum gradatim per singula sidera transire. Itaque tunc temporis stellæ versari in meridiano, adeoque culminare videbuntur.

415. Hæc itaque est causa ortus siderum, atque occasus in Copernicano systemate. Videndum nunc quomodo

modo motus Solis ad uno tropico ad alterum, & consequenter æquinoctia, solstitia, atque anni cæteræ tempestates in eadem hypothesi explicentur. Id quod ut accuratius fiat, præmittenda sunt nonnulla ex Geometria elementis, line quibus doctrina ista vix intelligi potest. Si recta aliqua (Fig. 51.) linea PS obliqua insistat super planum aliquod ABCD, ex puncto autem P sumpto ubivis in recta linea PS demittatur perpendicularis PA ad idem planum, & jungatur SA, angulus PSA inclinatio recta linea ad planum adpellabitur.

416. Inde autem patet primo angulum PSA, qui inclinationem supradictam metitur, minorem esse quamvis alio angulo, quem recta linea insistens PS continet cum alia recta SB, qua à punto S ducientur in eodem plane. Etenim descripto centro S intervallo SA circulo ABCD, juncta que BP erit quidem PA minor ipsa PB; itaque quum triangula duo PSB, PSA habeant duo latera PS, SB æqualia duobus lateribus PS, SA, basim vero PB majorem basi PA, erit angulus PSB major angulo PSA.

417. Patet secundo eo maiorem esse angulum PSB, quo major est angulus ASB: nempe ductis ex puncto S in plane ABCD duabus rectis SB, SC angulus PSC major erit angulo PSB. Etenim juncta recta PC erit ipsa major recta PB; itaque triangula duo PSC, PSB quum habeant duo latera PS, SC æqualia duobus lateribus PS, SB alterum alteri, habeantque insuper basim PC majorem basi PB, habebunt angulum PSC maiorem angulo PSB. Ex quo facile est colligere angulum PSD, quem recta PS continet cum recta AS producta ad alteras partes, omnium maximum esse.

418. Denique illud liquet angulum PSC esse graduum 90, quando angulus correspondens ASC est graduum 90. Juncta enim recta AC, erit angulus PAC rectus, quum recta PA perpendicularis sit ad planum subiectum, in quo plano jacet ipsa CA; itaque quadratum ex PC æquale erit quadratis ex PA, & ex AC; est autem propter angulum rectum ASC quadratum ex AC æquale quadratis duobus ex AS, & ex CS: quare idem quadratum

dratum ex PC æquale erit tribus quadratis, quæ sunt ex PA ex AS & ex CS. Sunt autem quadrata duo, quæ sunt ex PA & AS, propter angulum rectum PAS, æqualia quadrato ex PS; itaque quadratum ex PC adæquabit quadrata, quæ sunt ex PS & ex SC; ex quo consequitur angulum PSC rectum esse.

419. Quibus positis sequens Problema resolvendum nobis proponimus. Dato angulo PSA, nempe angulo inclinationis recta PS ad planum, cui ipsa insiftit, datoque etiam angulo ASB invenire angulum PBS, quem recta insistens PS continet cum recta BS ducta ex punto S in eodem plano SAB: id quod ita peragetur. In recta insistenti PS sumatur punctum quodvis P: ex quo in subiectum planum cadat perpendicularis PA: ea incidet in rectam SA, signabitque in ipsa punctum A, ex quo in rectam AB demittatur perpendicularis AB, & conjugatur PB. His constructis liquet angulum PBS esse rectum: etenim quum AS quadratum æquale sit duobus quadratis ex AB & ex BS, addito communi quadrato ex AP, sicut duo quadrata ex AS & ex AP, sive etiam solum quadratum ex PS æquale tribus quadratis ex AB ex BS & ex AP: sunt autem quadrata duo ex AB & ex AP æqualia quadrato ex PB: quare erit etiam quadratum ex PS æquale quadratis duobus ex BS & ex BP: ex quo consequitur angulum PBS rectum esse.

420. Et quoniam in triangulo PSA rectangulo ad A datur angulus PSA, qui inclinationem recte PS ad planum metitur, dabitur ratio, quam habet recta PS ad rectam SA; atque adeo sumpta recta PS partium quocumque, dabitur in iisdem partibus recta SA. Deinde in triangulo ASB rectangulo quum detur angulus ASB dabitur ratio quam habet AS ad SB; atque adeo quum data sit recta AS in partibus recte PS, dabitur in iisdem partibus recta BS. Denique in triangulo rectangulo PBS quum dentur latera duo PS, BS, facile erit invenire angulum quæsumum PSB.

421. Venio nunc ad id quod est præcipuum. Representet ABCD (Fig. 52.) planum eclipticæ, id nempe pla-

TOM. II.

O

nun,

num, in quo centrum Telluris movetur motu annuo ab occasu in ortum circa Solem, scilicet ab A per B, C, D; intereaque temporis circumvolvatur quoq; circa axem suum spatio 24 horarum; maneat autem ipse Telluris axis semper sibi ipsi parallelus; id enim per necessarium esse ad Solis phænomena intelligenda optime vidit Copernicus. Jam si axis Telluris perpendiculariter insisteret ad planum eclipticæ, æquator Terrestris cum ipso eclipticæ plano congrueret: adeoque Sol tum motu diurno ab ortu in occasum, quum anno ab occasu in ortum semper videretur æquatorem coelestem describere. Nunc vero quum Sol videatur motu anno mōveri per circulum ab æquatore longe diversum; motu vero diurno nunc parallelum unum, nunc alterum describere observetur, neceſſe erit ut axis Telluris obliquus sit ad planum eclipticæ. Hac autem obliquitas tanta esse debet quanta requiritur ad hoc ut inclinatio æquatoris ad eclipticam prodeat gradum 23, 28 $\frac{1}{2}$ : quippe tot gradum inclinatio illa ex novissimis observationibus deprehensa est. Id vero obtinebimus si ponamus inclinationem axis Terrestris ad planum eclipticæ esse gradum 66. 31 $\frac{1}{2}$ .

422. Intelligatur igitur ex centro Solis S erecta ad Eclipticæ planum perpendicularis RSO: ea ad Firmamentum usque utrinque producta signabit ibi puncta duo R, & O ex diametro opposita, quæ polos Eclipticæ referent. Intelligatur etiam per ipsū Solis centrum S ducta recta PSp axi Telluris parallela; hæc ad Firmamentum utrinque etiam producta signabit duo alia puncta P, & p, quæ polos mundi referent. Putandum autem est ipsū axem Telluris utrinque productum ad puncta ista semper pertingere, in quemcumq; locum Tellus motu anno circa Solem translata sit. Etli enim revera axis Terrestris describat in Firmamento singulis annis elliptum similem similiterque positam ei, quam centrum Telluris percurrit in Cœlo suo, tamen ea est Firmamenti ampliudo ut nihil obstat, quin ovalis illa progresso, atque indivisibili puncto habeatur.

423. Sumatur in Mundi axe PS quodvis punctum H, ex

H, ex quo ad eclipticę planum demittatur perpendicularis HI, & connectatur SI: erit itaque angulus PSI graduum 66. 31 $\frac{1}{2}$ . Est autem angulus RSI rectus; quare residuus angulus RSP erit gradum 23. 28 $\frac{1}{2}$ ; quem angulum quoniam metiat arcus circuli maximi inter polum Mundi & eclipticę polum interceptus, necesse erit distantiam unius poli ab altero esse pariter gradum 23. 28 $\frac{1}{2}$ ; totidemque gradum erit inclinatio eclipticę ad æquatorem.

424. Jam si recta JS utrinque producatur versus C, & versus A, ex puncto autem S perpendiculariter ad ipsam erigatur in planū eclipticę recta BSD, erit quidem angulus PSA graduum 66. 31 $\frac{1}{2}$ ; angulus vero PSC graduum 113. 28 $\frac{1}{2}$ ; uterque vero angulorum PSB, PSD erit rectus. Itaque quoniam axis Telluris in suis circa Solem revolutionibus manet sibi ipsi semper parallelus, siquidem centrum Telluris constituantur in loco A, angulus PAS, quem axis Telluris constituit cum recta jungente centra Solis, atq; Telluris erit gradum 113. 28 $\frac{1}{2}$ . Si vero sit in loco opposito C, idem angulus erit gradum 66. 31 $\frac{1}{2}$ . Quod si vera sit in quadraturis B & D tam angulus PBS, quam angulus PDS, quos angulos axis Telluris constituit cum recta jungente centra Solis, & Telluris erit rectus,

425. Sed panamus primo Telluris centrum constitui in loco A, quo in loco, uti vidimus, angulus PAS est graduum 113. 28 $\frac{1}{2}$ ; itaque arcus meridiani Terrestris PEX, qui metitur angulum PAS, erit etiam gradum 113. 28 $\frac{1}{2}$ . At vero polito quod EQ referat æquatorem Terrestrem, arcus PE est gradum 90: quare reliquus arcus EX erit gradum 23. 28 $\frac{1}{2}$ . Unde si P referat polum Telluris boreum, & polum australem, punctum X pertinebit ad tropicum Capricorni, quem idcirco Sol videbitur ea die motu diurno ab ortu in occasum pergrare. Ex quo duo consequuntur; *primum* Tellurem existentem in A versari sub initio *Cancri*: aliter enim Sol minime adpareret in principio *Capricorni*; *alterum* nobis Telluris hemisphaerium boreale incolentibus eo tempore solstitium hibernum contingere.

426. Intelligatur nunc in Tellure circulus maximus KL ad cuius planum radius SA conjungens centra Solis & Telluris normaliter intulat. Dirimet circulus iste partem Telluris Soli obversam à parte, quæ Soli averfa est; sive etiam partem illuminatam ab obscura. Itaque unusquisque locus Telluris quamdiu versabitur in parte illuminata diem habebit; quandiu autem versabitur in parte obscura habebit noctem. Et quoniam prædictus circulus transit citra polum Telluris boreum respectu Solis & ultra polum australis respectu ejusdem Solis, sequitur eo tempore in hemisphærio boreali dies noctibus esse breviores, in opposito autem hemisphærio dies vicissim noctibus esse longiores. At in locis constitutis sub æquatore Terrestri EQ dies noctibus æquales erunt; quippe qui is æqualiter dividitur à supradicto circulo maximo KL.

427. Sed illud etiam liquet loca omnia Telluris, quæ parallelo KM & polo boreo P continentur, perpetuam noctem habere, loca vero, quæ parallelo opposito LN & polo p continentur, Solem tota illa die videre: nam lumen Solis, quum Tellus versatur in loco A, tangit loca K & L. Et quoniam puncta K, & L distant à polis P & p per gradus 23.28  $\frac{1}{2}$ ; sunt enim arcus KX, LX graduum 90; paralleli KM, LN referent circulos polares, ille quidem circulum polarem arcticum, hic autem circum polarem antarcticum.

428. Ponamus secundo Telluris centrum constitui in loco opposito C, nempe sub principio Capricorni, in quo loco angulus PCS est graduum 66.31  $\frac{1}{2}$ . Itaq; arcus meridiani Terrestris Pr, qui metitur angulum PCS erit etiam gradum 66.31  $\frac{1}{2}$ . At vero posito quod EQ referat æquatorem arcus PQ est graduum 90: quare reliquus arcus rQ erit graduum 23. 28  $\frac{1}{2}$ . Unde punctum r pertinebit ad tropicum Canceris, quem idcirco Sol videbitur motu diurno ab ortu in occasum peragrare; ex quo sequitur nobis boreale Telluris hemisphærium incolentibus solstitium æstivum tunc contingere.

429. Intelligatur similiter in Tellure circulus maximus KL, ad cuius planum radius SC conjungens cen-

tra Solis & Telluris perpendiculariter insitiat. Separabit circulus iste partem Telluris Soli obversam à parte illa, quæ est aversa à Sole, hoc est secernet partem illuminatam ab obscura. Itaque unusquisque locus quādiu versabitur in parte illuminata habebit diem; quādiu vero versabitur in parte obscura habebit noctem. Et quoniam prædictus circulus, qui *illuminationis circulus* rete adpellari potest, transit ultra polum borealem respectu Solis & circa polum australē respectu ejusdem Solis, sequitur eo tempore in hemisphærio quidem boreali dies noctibus esse longiores, at vero contrarium contingere in hemisphærio australi: estque hic quoque advertendum in locis sub æquatore Terretri constitutis æquinoctiū adhuc celebrati: æquator enim bisariam ab illuminationis circulo dividitur.

430. Sed illud etiam liquet loca omnia Telluris, quæ parallelo KM, & polo boreo P continentur, perpetuam diem habere, loca vero, quæ parallelo opposito LN & altero Telluris polo p comprehenduntur, perpetuam noctem habere: etenim lumen Solis, quum Tellus versatur in loco C, tangit loca K, & L. Et quoniam puncta ista K, & L distant à polis per gradus 23. 28 $\frac{1}{2}$ , arcus enim Kr, Lr sunt graduum 90, paralleli KM, LN referent circulos polares, KM quidem circulum polarem arcticum, LN vero circulum polarem antarcticum.

431. Denique ponamus centrum Telluris versari in loco B, aut etiam in opposto loco D, quibus in locis angulus, quem axis Telluris comprehendit cum linea jungente centra Solis atque Telluris est graduum 90. In hac hypothesi radius SB, aut etiam SD connectens centra Solis & Telluris transbit per æquatorem Terræstrem. Itaque Sol ea tempestate æquatorem in Cœlo describere videbitur ab ortu in occasum, atque adeo sive Tellus existat in B, sive existat in D semper celebrabitur æquinoctium. Et quoniam angulus ASB est rectus, initium Librae erit in punto B, initium vero Arietis erit in punto D: unde Tellure posita in B celebrabitur æquinoctium vernum; Sol enim referetur ad principium Arietis; Tellure vero posita in D celebrabitur

214 PHILOSOPHIAE NATURALIS  
bitur æquinoctium autumnale: nam Sol referetur ad principium Librae.

432. Facile autem ostendetur utroque tempore ubique Terrarum æquinoctium contingere. Nam si in Tellure intelligatur circulus maximus, ad quem radius SB, vel SD normaliter insitiat, quoniam axis Telluris Pp est perpendicularis ad eundem radium, transibit circulus ille per axem Pp, atque adeo per polos P, & p. Itaque omnes paralleli Terrestres bifariam ab ipso dividuntur. Quapropter quum circulus iste distinguat partem Telluris Soli obversam à parte à Sole aversa, necesse est unumquemque locum Telluris eo tempore per duodecim horas Soli obversum esse, per alias vero duodecim à Sole esse aversum.

433. Ex supradictis facile erit intelligere quid Telluri accidere debeat, quum ipsa constituitur in loco aliquo intermedio E: dico enim radio SE, erit quidem angulus PSE minor gradibus 90, at vero major gradibus 66. 31 $\frac{1}{2}$ : itaque angulus PES, qui supplementum est anguli PSE, minor quidem erit gradibus 113. 28 $\frac{1}{2}$ , sed major gradibus 90: ex quo sequitur radium SE occurrere Telluri in parallelo aliquo eorum, qui consti-tuuntur inter tropicum Capricorni & æquatorem. Quapropter Sol à tropico Capricorni versus æquatorem redire videbitur. Neque vero difficile erit ex data Telluris ab initio Canceris distantia, sive, quod eodem redit, ex data Solis à Capricorno distantia invenire parallellum, quum Sol adparenter ab ortu in occasum in Cœlo describit. Etenim ex datis angulo PSA graduum 66.31, & angulo ESA, invenietur angulus PSE, sive etiam SEP, cuius complementum dabit declinationem paralleli questitam, cui æqualis est declinatio Solis. Quod si ex data Solis declinatione queratur longitudine Telluris, id quidem fieri invertendo calculum nunc expōsum.

434. Summa autem totius hujus doctrinae hæc est: Statuit Copernicus ut axis, circa quem revolvitur Tellus circa se ipsam unius diei spatio non insitiat perpendiculariter ad planum Eclipticæ, sed ita sit ad idem planum obliquus ut ex parte una constituat angulum gra-

graduum 213. 28 $\frac{1}{2}$  ex altera angulum graduum 66.  
 $31\frac{1}{2}$ ; idque ea ratione effecit, ut dierum noctiumque  
 vices varias explicaret. Enim si axis Telluris norma-  
 liter insisteret ad planum Eclipticæ facile intelligitur  
 futurum, ut in singulis revolutionibus diurnis singula  
 loca Terrestria duodecim horarum spatio Soli sint ob-  
 verfa, perque horas totidem sint à Sole aversa: adeoque  
 in ea hypothesi ubique Tertiarum æquinoctium perpe-  
 tuum contingere. Itaque quum constet in locis extra  
 æquatorem constitutis dies noctibus numquam æqua-  
 les esse nisi in diebus æquinoctialibus, manifestum inde  
 fit axem revolutionis Terrestris obliquum esse ad Ecli-  
 pticæ planum. Sic enim in locis sub æquatore politis  
 æqui noctium perpetuum celebrabitur, in cæteris au-  
 tem locis modo dies superabunt noctes; modo autem  
 noctes dies excedent.

435. At unde fit ut inæqualitas ista dierum noctiumque sensim toto anno mutetur? Quum enim Co-  
 pernicus posuerit inclinationem axeos Telluris ad pla-  
 num eclipticæ semper manere graduum 66. 31 $\frac{1}{2}$ , vi-  
 detur id protius esse impossibile. Plane si Tellus in eodem  
 Cœli loco semper consisteret, loca extra æquato-  
 rem constituta experirentur quidem inæqualitatem die-  
 rum noctiumque, sed ea inæqualitas esset constans  
 atque immutabilis. Nunc vero quoniam Tellus motu  
 annuo fertur circa Solem, inde fit ut ea modo in uno  
 eclipticæ loco modo in alio versetur; adeoque axis  
 Telluris, quamquam semper æqualiter inclinetur ad  
 planum eclipticæ, tamen nunc magis annuet versus  
 Solem nunc minus: ex quo illud fieri necesse est, ut  
 quemadmodum Tellus de uno eclipticæ loco in alium  
 migrat, ita inæqualitas dierum noctiumque sensim  
 mutetur.

436. Cæterum si verum est, quemadmodum magnam  
 veri speciem habere diximus, obliquitatem eclipti-  
 cæ paulatim decrescere, falsum utique erit inclinatio-  
 nem axeos Telluris ad planum eclipticæ immutatam  
 permanere: etenim ex inclinatione illa oritur obliqui-  
 tas Eclipticæ. Nam quemadmodum nunc temporis,

quia eclipticæ obliquitas est graduum 23. 28  $\frac{1}{2}$ , inclinatio axeos esse debet graduum 66. 31  $\frac{1}{2}$ ; ita quando obliquitas eclipticæ fuit graduum 24, inclinatio axeos esse debuit graduum 66.

437. Videamus modo unde accidat quod dies Solares longiores sint diebus sidereis. Constituatur Tellus in puncto A (*Fig. 53.*), sitque Sol in S, atq; intelligatur per axem Telluris Pp & per rectam AS planū transire: istud ad Cœlum usq; productum transibit per polos cœlestes. Itaque quo tempore locus Telluris per diurnam ipsius vertiginem attingit hoc planum, accidet eo in loco meridiis, quod si in eodem plano transeunte per rectam AS & per polos Telluris constituantur etiam sidus M, incipiet eodem loci simul dies ejus sideris, & dies Solaris. Jam si Tellus maneat semper in A, neque alio motu agitur nisi rotationis circa axem, quo tempore desinet dies sidereus, desinet etiam & Solaris, eruntque adeo dies omnes tum Solares, quum sideri æquales inter se. Nunc vero quoniam Tellus interea ac revolvitur circa se ipsam movetur etiam ab occasu versus ortum, inde fit ut dies Solares longiores nonnihil sint diebus sidereis. Etenim ponamus in fine unius revolutionis Tellurem versari in loco E, per quod punctum intelligatur ducta recta Em parallela rectæ SA. Itaque planum transiens per rectas Em, Pp parallelum erit plano, quod transire supponebamus per radium SA & per axem Pp; etenim rectæ Em & SA, Pp & Pp parallelae sunt inter se: unde idem planū transibit ad sensum per sidus M in immensa à Tellure distantia collocatum: adeoque loco Telluris ad planum istud appellente desinet quidem dies sidereus, sed dies Solaris non item; qui ut absolvatur oportet locum pervenire ad planum transiens per rectam SE, & per axem Telluris Pp: quod quidem planum nonnihil orientalius est respectu loci Terrestris. Si autem consideretur neque motum Telluris ab occasu versus ortum æquabilem esse, neque axem Telluris normaliter insisteret ad planum eclipticæ, facile etiam intelligetur quare dies Solares non sint omnes æquales inter se, sed quidam longiores sint, quidam vero breviores.

438. Ia-

438. Indagandum remanet unde accidat in hoc systemate ut stellæ fixæ, quæ revera immotæ sunt, videantur lentissime progredi versus ortum per totidem circulos eclipticæ parallelos. Id, ut diximus, oritur ex lentissimo quodam motu axis Telluris, qui *motus declinationis* adpellari potest. Sed prius notandum est planum transiens per axem Telluris sive Mundi SP & per axem eclipticæ SO occurrere eclipticæ in punctis solstitialibus A, & C; atque adeo circulum in Cœlo ex isto plano effectum adpellari posse *Colurum solstitialium*. Notandum etiam est circulum, cuius planum transit per axem Eclipticæ SO, atque perpendicularē est ad planum Coluri solstitialium transfire per puncta æquinoctialia B, & D, adpellarique idcirco posse *Colurum æquinoctiorum*. Quibus adnotatis facile intelligetur, quod si polus mundi P moveatur in Cœlo, positio utriusque Coluri, nec non ipsa puncta æquinoctialia atque solstitialia, ad quæ longitudines stellarum referunt Astronomi, continuam mutationem patiantur: qua ratione stellæ fixæ revera poterunt immobiles manere, quamvis videantur à punctis æquinoctialibus continuo recedere.

439. Quod ut clarius intelligatur concipiamus in sphærica Cœli superficie ex polo eclipticæ B ad intervallo poli mundani P graduum  $23.28\frac{1}{2}$  descriptum esse circulum minorem ipsi eclipticæ parallelum. Jam si ex Sole S ad quodvis circumferentia hujus circuli punctū recta linea ducatur, ejus inclinatio ad eclipticæ planum manebit semper graduum  $66.31\frac{1}{2}$ : etenim unumquodque punctum ejusdem circumferentia abest à polo eclipticæ gradibus  $23.28\frac{1}{2}$ . Per hanc circumferentiam intelligendum est polum mundanum moveri non iam in consequentia, sed potius in antecedentia signorum motu lentissimo, ita ut singulis annis polus regrediatur per scrupula secunda  $\textcircled{5}$  & interea axem Telluris manere semper parallelum rectæ lineæ jungenti centrum Solis cum polo cœlesti. In hac hypothesi plura contingent. Primo enim axis Telluris declinabit nonnihil à suo parallelismo annuo, absque eo quod mutet inclinatio-

nem

nem ad planum eclipticæ. *Secundo* idem Telluris axis ad Cœlum usque productus describet in Firmamento ab ortu versus occulum motu lentissimo circulum eclipticæ parallelum circa polum ipsius Eclipticæ. *Tertio* puncta solstitialia, atque adeo æquinoctialia regredientur versus occasum quotannis per minuta secunda 51. Et *quarto* denique stellæ fixæ, quæ revera immobiles sunt, videbuntur progredi versus ortum etiam per 51 secunda, non quod ipsa revera ire pergant versus plagam illam, sed potius quia puncta æquinoctialia à stellis fixis recedunt versus occasum. Sed adnotandum est motum istum adparentem stellarum fixarum peragi debere per totidem circulos eclipticæ parallelos. Etenim quum polus eclipticæ maneat immotus, & immotæ etiam maneat stellæ fixæ, distantiae ipsarum ab ecliptica, quas latitudines adpellari diximus, manebunt semper eædem atque immutatae.

### S E C T I O T E R T I A.

#### *De Calendario Romano.*

440. **C**alendarium latina vox est, deducta nempe à Calendis, quō nomine Latini diem cuiusunque mentis primum notant. Est autem Calendarium nihil aliud quam *menſum diērumque, ex quibū annus constat, item festorum, qua in anno celebrantur, coordinatio*. Nobis quinti propositum sit de Romano Calendario hac Sectione verba habere, commodiſſimum videtur ab ejusdem brevi historiola exordiri, ut scilicet initia & progressus ipsius minime ignorentur.

CA-

## CAPUT PRIMUM.

*Romani Calendarii origo & progressus exponuntur.*

441. **R**omani Calendarii initia ad ipsum *Romulum* auctorem *Romanæ gentis* sunt referenda. Traditur enim *Romulus* inter alias constabiliendi Regni curas & illam sibi sumplisse, ut annum speciali quadam ratione ordinaret inque certos menses distribueret. *Romuli* autem annus decem mensium numero finiebatur, quibus singulis tot dies attribuit, ut universi conficerent dies 304. Itaq; quamquam ipse jussit annum hieme desinente ac ineunte vere incipere, breviter tamen effectum ut frigus mensibus astivis, calor autem hiemalibus mensibus proveniret.

442. Ab hoc incommodo ut *Romanum* Calendarium liberaret *Numa Sanctissimus* & consultissimus, ut ea ferebant tempora, *Vir* duos anno adjunxit menses, quibus attribuit dies 51. Ex quo factum est ut *Romanus* annus ex eo tempore constaret diebus 355: deficiebat autem adhuc ab anno Solari dierum  $265\frac{1}{4}$  diebus  $10\frac{1}{4}$ . Cui consequens erat, ut & bruma & reliquæ anni temptates diebus totidem singulis annis promoverentur; sicutque intra annos ex. gr. tres bruma non initio *Januarii*, sed initio *Februarii* fieret. Quod animadvertis *Numa* ad intercalationem confugit: & quia rudis erat illis temporibus Solaris motus notitia, credidit *Numa* quatuor annos Solares excedere totidem suæ Civitatis annos diebus 45, quem tamen solis diebus 41 superarent. Qua opinione motus constituit ut secundo quoquo anno intercalaretur mensis dierum 22, quarto mensis dierum 22, sexto mensis dierum 22, octavo mensis dierum 23, atque ita alternis deinceps.

443. Sed quoniam *Numa* erraverat in Solis vera perīodo constituenda, atque secundum suam intercalationem quaterni dies plus justo ad *Calendarium* singulis qua-

quatrienniis accedebant, brevi hinc effectum ut initium brumæ regrederetur, atque post exactos annos 30 non jam principio *Januarii*, sed initio *Decembris* contingere. Quod quum posteri animadvertisserint intercalationem *Numæ* emandare conati sunt. Videntes autem *Numam* singulis octo annis 90 dierum intercalationem præcepisse, quum tamen solorum dierum 82 constituenta fuisset, ita emendarunt intercalationem, ut primo octennio intersererentur dies 90, secundo octennio etiam dies 90, at tertio octennio intersererentur soli dies 66, ad tollendos nempe redundantes dies 24.

444. Mansit hæc Calendarii *Romani* forma ad tempora *Julii Cæsar*, qui non postremain in corrigendo Calendario curam adhibuit, idque potissimum curavit ut immanes intercalations in posterum tollerentur. Summa reformationis hæc fuit. Quum adhibitis in consilium Astronomis deprehendisset annum esse dierum 365, & horarum 6, constituit ut annus Romanus esset tantum dierum 365, neglegens tantisper horis sex: etenim ex usu civili non erat illarum sex horarum rationem quotannis habere. Sed quia earumdem horarum neglegens longo post tempore movebat tempestates de sedibus suis, ne id contingere præcepit, ut quovis quarto anno colligerentur horæ sex prætermisæ, atque ex ipsis quater repetitis conficeret dies unus, isque per intercalationem tribueretur mensi *Februario*. Itaque *Julianus* annus duplex erat *communis*, & *bisextilis*. Communis continebat dies 365 neglegens horis sex; qui distributi erant in duodecim menses hoc ordine. *Januarius* habebat dies 31. *Februarius* 28. *Martius* 31. *Aprilis* 30. *Maius* 31. *Junius* 30. *Julius* 31. *Augustus* 31. *September* 30. *October* 31. *November* 30. & *December* 31. quorum omnium summa constituebat dies 365. Bisextilis vero, qui quarto quoquo anno redibat, continebat dies 366 addita die una, quæ conflabatur ex horis sex quater repetitis; qui dies 366 distribuebantur eodem ordine in menses 12, nisi quod *Februario* mensi in anno bisextili contigebant dies 29.

445. Hæc anni forma penes omnes gentes politiores obti-

obtinuit jam inde à *Cesare dictatore* usque ad annum 1582, quo anno à *Gregorio XIII. Pontifice Romano* reformatum est *Calendarium Romanum*. Reformationis causa fuit nimia quantitas anni *Juliani*, ob quam factum est ut æquinoctia & solsticia sentim regredierentur. Etenim quum annus Solaris esset dierum 365 horarum 5 & minutorum  $49\frac{1}{3}$ , *Cesare* ipsum efficerat dierum 365 horarumq; 6 excessu annuo minutorum  $10\frac{4}{3}$ : ex quo fiebat ut æquinoctia & solsticia quotannis totidem minutis regredierentur respectu anni *Juliani*, in annis vero 133 regressus iste esset integræ diei fere; atque in annis 400 dierum trivm. Itaque quum ab anno *Christi* 325, quo *Concilium Nicanum* celebratum fuit, ad annum 1582, quo *Pontifex Romanus* *Calendarium* reformavit effluxissent anni 1257, sequitur regressum æquinoctiorum interea temporis factum fuisse dierum circiter 10.

446. Hinc quum *Concilii Nicæni* temporibus æquinoctium vernum contingeret circiter ad diem 21 Martii anno 1582 deprehensum est idem æquinoctium contingere ad diem 21 Martii. Quapropter quum *Gregorius* cuperet tempestates ad pristinas sedes revocare, cavit ut mente Octobri ejusdem anni 1582 supprimerentur supradicti dies 10, atque dies quinta Octobris haberetur pro decima quinta ejusdem mensis; ex quo postea accidit ut qui alias futurus erat in anno sequenti dies 21 Martii is evaderet dies 21 Martii, eodemque die continget æquinoctium vernum, sicut fiebat tempore *Concilii Nicæni*.

447. Hac ratione *Gregorius* regressum æquinoctiorum à *Concilii Nicæni* temporibus ad usque tempora sua factum emendavit. Sed curandum etiam fuit ne deinceps iterum æquinoctia regredieretur, quod procul dubio accidere oportebat eadem manente anni *Juliani* quantitate. Itaque ut aliquam etiam huic rei medicinam faceret, cavit ut singulis annis 133 eximeretur dies unus de Calendario, sive quod eodem redit singulis annis 400 eximerentur dies tres: id quod sequenti ratione fieri possit. In hac *Christi Aera*, quam nos *Christiani* in computo

## 332 PHILOSOPHIÆ NATURALIS

puto annorum adhibemus, primus annus fuit communis, secundus etiam communis, tertius pariter communis, at quartus fuit bissextilis. Itaque in eadem Aera bissextilis sicut oportet omnes anni, quos exacte metitur numerus 4. Quapropter in eadem Aera omnes anni centesimi necessario esse debent bissextilis; etenim numerus 4 exacte metitur omnes annos centesimos. Ut eximenterit ergo dies tres singulis annis 400 de Calendario iussit *Romanus Pontifex* centesimum quinq*Aera Christianæ* annum esse communem, quum tamen secundum *Julium* bissextilem esse oportet; at quartum quemque centesimum bissextilem esse; ita enim in annis 400 demebantur in totum dies tres. Qua ratione annus 1700, qui in *Juliano* Calendario erat bissextilis, in *Gregoriana* fuit communis; annus 1800 manebit etiam communis; annus 1900 erit pariter communis; sed annus 2000 erit bissextilis.

448. Nova hæc anni forma non ubique obtinet, sed tantum apud *Catholicos*, & paucos *Hæreticos*. *Angli* enim, & quamplurimi *Protestantes* adhuc *Julianum* Calendarium retinent, non quod *Gregoriana* correctionis necessitatem non agnoverint, sed potius ne *Pontificis Romanii* auctoritatem revereri viderentur. Hinc satum ut post *Gregorii* tempora duplex in Europa Calendarium, duplexque stylus *novus* nempe, & *vetus* cœperit celebrari: stylus *vetus* est *Julianus*: *novus* est *Gregorianus*. Qui veterem stylum sc̄iantur ab iis, qui novum stylum amplexi sunt, usque ad annum 1700 diebus 10 dissidebant, adeo ut qui dies in Calendario *Juliano* dicebatur ex. gr. 10 *Januarii* in *Gregoriano* erat vigesimus ejusdem mensis. Post annum 1700 dissidium cœpit esse dierum 11: nam stylo veteri annus 1700 fuit bissextilis, stylo novo fuit communis; post annum 1800 dissidium erit, propter eamdem causam, dierum 12; post annum 1900 dierum 13, quod manebit usque ad annum 2000; nam annus 2000 secundum utrumque stylum erit bissextilis.

CA-

## CAPUT SECUNDUM.

*De Cyclo Solari, ejusque usu.*

449. **Q**uum singulæ septimanæ compleuantur dies septem, sequitur annum Julianum communem, qui constat diebus 365, continere septimanas 52 & unum adhuc diem, bissextilem vero septimanas 52 & duos adhuc dies. Septimanarum igitur & anni Juliani revolutiones uno die inter se differunt quando annus est communis, & duobus diebus quum annus est bissextilis.

450. Et quidem si præter septimanas 52 nullus in anno dies supereffet, omnes anni ab eodem septimanæ die semper inciperent, inque eundem septimanæ diem perpetuo desinerent, necnon unusquisque dies mensis in determinatum statumque hebdomadæ diem semper caderet. Nunc vero quum præter hebdomadas 52 supersint in annis quandoque dies unus, quandoque vero dies duo, inde fit ut supradictus ordo turbetur, Finge enim omnes annos esse communes, & finge etiam primum annum incipere à die Solis, qui est dies Dominicus. Jam sequens annus incipiet à die Lunæ; tertius à die Martis; quartus à die Mercurii; quintus à die Jovis; sextus à die Veneris; & septimus denique à die Saturni; qua septem annorum periodo exacta rursus annus incipiet à die Solis. Cujus rei ratio est, quod existente anno communis diebus 365 à quo die is incipit, in eundem delinit, sic ut sequentis anni principium in diem sequentem incidat.

451. Jam singulis septimanæ diebus adponitur in Calendario aliqua ex septem litteris A, B, C, D, E, F, G ea tamen lege ut primus dies mensis Januarii semper habeat litteram A, secundus B, tertius C, quartus D, quintus E, sextus F, septimus G, & inde rursus incipiendo octavo iterum affigatur A, nono B, decima C, atque ita deinceps. Itaque quemadmodum in annis

com-

communibus ultimus anni dies est idem cum primo die anni , ita necesse est ut idem ultimus dies habeat adscriptam litteram A; hæc enim littera adscribitur etiam initio anni . Retenta ergo eadem hypotheli quod omnes anni sint communes, quodque primus annus incœperit à die Solis , littera A in eodem primo anno designabit perpetuo Dominicam , B diem Lunæ , C diem Martis, D diem Mercurii , atque ita deinceps . At vero in secundo anno dies Dominicus designabitur per G, in tertio per F, in quarto per E, in quinto per D, in sexto per C, atque in septimo per B; in octavo autem rursus per A. Etenim quum ostepnum sit secundum annum incipere à die Lunæ, tertium à die Martis, quartum à die Mercurii, &c. quando primus annus incœpit à die Solis, facile intelligitur quod quemadmodum A in primo anno designabat diem Solis, ita eadem littera A in anno secundo designet diem Lunæ , in tertio diem Martis , in quarto diem Mercurii,&c. Qua ratione litteræ dominicales ordine semper retrogrado pergent ire in Calendario per G, F, E, D, C, B, A supponendo tamen quod anni omnes sint communes dierum 265.

452. Verum quoniam quartus quilibet annus non est communis sed bissextilis , in quo ultra septimanæ 52 supersunt dies duo, si annus ille incipiat à die Dominico , is haud quidem definit in diem Dominicum, sed potius terminabitur in diem Lunæ ; & proximus post hunc bissextilem annus à die Martis incipiet, cui quum adscribatur littera A, sequitur dominicalem ejusdem anni litteram fore F, quum tamen præcedentis anni littera Dominicalis fuerit A ; atque ita per annos bissextiles , qui singulis quatuor annis redeunt, interrumptur litterarum Dominicalium ordo, isque non recurrit nisi post absolutos annos 28.

453. Hinc oritur cyclus ille annorum 28, qui *Solis* dicitur , quo completo redeunt anni dies ad eosdem dies septimanæ . In hoc cyclo singuli anni bissextiles duas obtinent litteras dominicales, quarum prima usque ad diem vigesimumquartum *Februarii*, aut vigesimumquintū intercalarem ejusdem mensis inservit, altera per reli-

reliquum omne anni tempus Dominicas indicat. Nam in anno bissextili Februarii dies 24, & 25 pro eodem die habentur, & uterque eadem littera F insignitur. Finge ex. gr. litteram dominicalem initio alicujus anni bissextilis esse E, sive, quod eodem redit, finge annum aliquem bissextilem incepisse à die Mercurii: vigelimus quartus Februarii dies, qui adscriptam habet litteram F, in diem Lunæ cadet, & vigelimus quintus in diem Martis, cui etiam adposita est littera F: unde sequens littera G, quæ antea diem Martis indicabat, nunc in die Mercurii occuret. Itaque quum in Dominica proxima adscripta sit littera D, sequitur litteram istam per reliquum anni tempus dominicalem evadere.

454. In cyclo autem Solari primus annus est bissextilis, cui respondent litteræ dominicales G, F; secundus annus est communis, qui habet litteram dominicalem E; tertius etiam communis habens D per littera dominicali; quartus pariter communis cujus dominicalis littera est C; quintus bissextilis, cujus binæ idcirco sunt litteræ dominicales B, A, atque ita deinceps: quemadmodum videre est in laterculo sequenti:

I GF	II A	20 D
2 E	12 G	21 CB
3 D	13 FE	22 A
4 C	14 D	23 G
5 BA	15 C	24 F
6 G	16 B	25 ED
7 F	17 AG	26 C
8 E	18 F	27 B
9 DC	19 E	28 A
10 B		

quapropter cognito anno cycli Solaris illico duo nobis evident comperta. *Primum* num annus datus sit communis an bissextilis; & *secundum*, quæ sit dominicalis littera ejusdem anni: qua inventa statim totius anni Dominicæ cognoscuntur.

455. Annum autem cycli Solaris facile inveniemus, modo advertamus ab initio cycli Solaris ad Christi annum primum novem annos effluxisse. Itaque si datus

Tom. II.

P

annus

annus sit post vulgarem Christi Epocham, oportet ipsi ad-  
dere 9, & summa in inde confitam dividere per nume-  
sum 28: si enim nihil superlit ex divisione, indicio id  
erit annum datum esse annum vigesimum octavum cycli;  
quod si vero aliquid reliquum sit, eo casu numerus à par-  
titione residuus indicabit annum cycli Solaris, atque in  
canone cycli ostendet non modo utrum annus datus sit  
communis, an vero bissextilis, verum etiam quam ipse  
habeat litteram dominicalem. Ex.gr. si inveniendus sit  
cyclus Solaris hujus anni labentis 1738, addatur ei nu-  
merus 9, & summa 1747 dividatur per 28, residuum 15  
indicabit hunc annum & esse undecimum cycli Solaris,  
& esse secundum ab intercalari, ejusque litteram domi-  
nicalem esse A, stylo tamen veteri.

456. Dixi autem stylo veteri: nam stylo novo est  
quidem hic annus labens secundus ab intercalari, sed  
dominicalis littera haud quidem est A, sed E, idque  
propter dissidium 11 dierum, quod nunc temporis in-  
tercedit inter stylum novum & veterem. Quapropter  
supradicta regula pro invenienda littera dominicali ob-  
tinet in Calendario Juliano, non vero in Gregoriano.  
Interim inventa littera dominicali in Calendario Juliano  
facile erit dominicalem Gregoriani ex ipsa colligere.  
Litteris enim A, B, C, D, E, F, G ordine dispositis, nu-  
merentur retro à littera dominicali anni Juliani unde-  
cim litterae; ea enim, in quaen definit numeratio, erit  
dominicalis in anno Gregoriano. Hac ratione dominicalis  
littera hujus anni stylo Juliano est, uti vidimus, A; itaque  
numerando ab A retro undecim litteras, quia numeratio  
definit in E, erit E littera dominicalis hujus anni stylo  
Gregoriano. Id quod etiam invenietur si numeratio non  
producatur ultra numerum 4, abjiciendo nempe nu-  
merum septenarium de numero 11.

457. Idem faciendum erit si annus propositus fue-  
rit bissextilis, nisi quod quoniam hujusmodi anni duas ha-  
bent litteras dominicales, præter eam litteram, in quam  
definit numeratio, sumenda est etiam littera præcedens.  
Proponatur ex. gr. invenienda littera dominicalis, qua  
ecepit anno bissextili iam exacto 1732. Addatur huic  
anno

anno numerus 9, & summa inde confata 1741 dividatur per 28: residuum 5 indicabit cyclū Solis pro anno 1732. Cyclus autem Solaris sic inventus arguit annum illum fuisse bissextilem, & litteras Dominicales ejus stylo veteri fuisse B & A. Jam ad inveniendas litteras dominicales ejusdem anni stylo *Gregoriano* numerentur retro à B undecim, aut etiam quatuor litteras: & quia numeratio definit in F, sequitur litteram F cum antecedenti E fuisse dominicales anni bissextilis 1732.

458. Ceterum hæc regula obtinet toto hoc saeculo; nam saecula sequenti, in quo dissidium inter veterem stylum & novum excrelket ad dies 12, instituenda erit numeratio usq; ad 12, aut etiam usque ad 5, abjecto nempe numero 7; in tertio autem ab hoc saeculo numeratio producenda erit usq; ad 13, aut etiam usque ad 6, atque ita deinceps. Quod si vero invenienda proponatur litera dominicalis pertinens ad aliquem exacti saeculi annum, numeratio non ultra numerum 10 erit producenda; nam eo tempore dissidium, uti diximus, erat 10 dies. Denique si annus propositus correctionem *Gregorianam* præcedat, tunc nulla prorsus instituenda erit numeratio; neque enim adhuc incœperat differentia inter stylum novum & veterem.

459. Inventa littera dominicali, facile erit definire feriam dato anni diei respondentem. Inveniendum e.g. sit, dies 20 Octobris hujus anni currentis 1738 quota futura sit hebdomadis feria. Inveniatur primum littera dominicalis hujus anni, quæ est E: & quoniam in Calendario dies 20 Octobris adscriptam habet litteram B, sequitur hunc diem caders in diem Jovis, atque adeo in feriam quintam. Rursus inveniendum sit in quam feriam inciderit dies 5 Octobris anni 1582, quo die publicata fuit correctio *Gregoriana*. Littera dominicalis illius anni fuit G. Itaque quia dies quinta Octobris adscriptam habet litteram E, sequitur diem illum incidisse in diem Veneris, atque adeo fuisse feriam sextam.

## CAPUT TERTIUM.

*De tempore Paschatis celebrandi inveniendo;  
ubi de Cyclo Lunari, seu de numero aureo.*

460. Præter festa stabilia certis quibusdam anni diebus adfixa sunt alii dies festi mutabiles, qui nempe diversis annis diversis anni diebus continguntur, quique idcirco non ex Solis motu, sed ex motu Lunæ dependent. Priora quum in determinatos mensium dies cadant nihil mutant præter feriam hebdomadæ, idque spatio annorum 28. Posteriora vicissim feriam non mutant, sed tamen nunc in quosdam anni dies, nunc in alios incidentur.

461. Jam inventio feriarum, quæ festis stabilibus correspondent, nullam difficultatem involvet postquam cycli Solaris ratio intellecta est. Itaque exponendum supereft, quomodo inveniri possint tempora festorum mobilium. Inter hujusmodi festos dies primum locum obtinet Pascha: ex ipso enim cæteri nullo negotio colliguntur, quemadmodum omnibus constat. Tempus autem Paschatis celebrandi definitum fuit à Concilio Nicæano, quod initio saeculi quarti coram Constantino Magno Imperatore habitum fuit sequenti Canone: *Ut Pascha celebraretur Dominica prima post plenilunium, quod post æquinoctium vernale contingere; ita tamen ut si dies plenilunii esset dominicus, Pascha in eo die minime celebraretur, sed differretur in diem dominicum proxime insequentem; idque tum ut Christiani in Paschatis celebratione recederent à Judais, quorum Pascha cadebat semper in diem plenilunii, tum etiam quia constabat Dominum die dominico post Pascha Iudeorum à mortuis resurrexisse.*

462. Secundum hoc autem Concilii Nicæni statutum ut tempus Paschatis celebrandi possit definiri plura prænoscenda sunt. Primo enim sciendum est quo tempore

re Sol primum Arietis gradum attingat; sive, quod eodem redit, in qua die cadat æquinoctium vernale. Tum sciendum est quando contingat coniunctio illa Lunaris, cujus plenilunium incidit vel in ipsam diem æquinoctii, vel in diem aliquam sequentem. Denique cognoscendum est in quam diem cadat prima Dominica, quæ excipit plenilunium istud. Nam his non ignoratis tempus celebrandi Paschatis non ignorabitur.

463. Et quidem sedes æquinoctii statuta fuit ab ipso Concilio Niceno in die 21 mensis Martii: & quamquam ob nimiam anni Juliani quantitatatem factum fuerit ut saeculo XVI æquinoctium contingeret ad diem 11 Martii; tamen post Gregorianam correctionem non modo æquinoctia restituta sunt ad sedem pristinam, verum etiam effectum ut de sede illa numquam discederent.

464. Tempore æquinoctii ita constituto, facile erit limites constituere, ultra quos Paschatis festum evagari non possit. Primo enim quum æquinoctium contingat ad diem 21 Martii, facile intelligitur Pascha non citius die 22 Martii contingere posse: quod quidem ut siat duo requiruntur: *primum* ut plenilunium contingat in ipsa die æquinoctii: *alterum* ut dies æquinoctii sit dies Saturni, ut nempe dies 22 Martii in diem dominicum cadat.

465. Et quidem ut plenilunium contingat in ipsa die æquinoctii, opus est novilunium contigisse ad diem septimam Martii; nam à die septima Martii ad vigesimam primam ejusdem Martii dies numerantur 14, qui sequiruntur ut Luna à coniunctione ad oppositionem procedat. Ut autem dies vigesima secunda Martii cedere possit in diem dominicum, oportet dominicalem litteram esse D; nam littera ista adscribitur diei 22 Martii. Quapropter si contingat aliquo anno ut Luna Soli jungatur ad diem septimam Martii, atque eo anno sit etiam D littera dominicalis, procul dubio Pascha celebrabitur in die 22 Martii.

466. Quemadmodum autem Pascha non citius die 22 Martii celebrari potest, ita non serius celebrabitur die 25 Aprilis. Finge enim plenilunium contingere ad

P 3 diem.

diem 20 Martii: jam expeditum erit sequens plenilunium pro Paschatis celebratione; quod quum continget ad diem 18 Aprilis, si quidem accidat ut dies 18 Aprilis sit dominicus, Pascha in sequentem Dominicam erit differendum, atque adeo celebrabitur in die 25 Aprilis. Et quoniam dies 25 Aprilis adscriptam habet litteram C, sequitur dominicalem ejus anni litteram C esse debere. Quapropter ut Pascha celebretur in die 25 Aprilis duo requiruntur. *Primum* ut plenilunium contingat ad diem 20 Martii, sive, quod eodem redit, ut novilunium contingat ad diem 6 Martii; *alterum* ut dominicalis littera ejus anni sit C.

467. Quod si vero novilunium neque ad diem sextam Martii, neque ad Martii septimam accidat, numquam fieri poterit ut Pascha celebretur in die 25 Aprilis, aut 23 Martii, sed celebrabitur in die aliqua, quæ media erit inter supradictos limites. Ut autem dies ista inveniri possit explicandus ante omnia est *cyclus Lunaris* sive *Metonicus*, ab ipsius inventore *Metone* nomen ducens.

468. Et autem *cyclus Metonicus* periodus undeviginti annorum, quibus absolutis novilunia & plenilunia media ad eosdem mensium dies redeunt; adeo ut quibuscumque diebus novilunia & plenilunia hoc anno contingunt, novemdecim ab hinc annis in eosdem dies incident: & ut existimarent *Meton*, atque primi Patres Ecclesiæ in easdem dierum partes, scilicet horas & minuta, quod tam en falsum est. Nam annis 19 vertentibus non sit præcisa peræquatio motuum utrufisque sideris, neque Luna in eodem diei tempore Soli conjungitur, sed hora 1.27.32  $\frac{1}{3}$  antevertit pristinam epocham: quod discrimen diu neglectum à Calendarii artificibus paulatim maximam labem in noviluniorum pleniluniorumque calculos invexit. Anno enim 1582, quo facti emendati sunt à *Gregorio XIII*, antecessio Lunaris deprehensa est quatridui circiter: nam quum singulis undeviginta annis conjunctiones oppositionesque antevertant hora 1.27.32  $\frac{1}{3}$ , sequitur post exactas sexdecim periodos annorum XIX cum dimidia conjunctiones, atque

que oppositiones antevertere per integrum diem. Et quoniam numerus 19 ductus in  $16\frac{1}{2}$  producit annos  $313\frac{1}{2}$ , sequitur in annis  $313\frac{1}{2}$  siccigias præcedere una die, atque adeo in annis 1257, qui elapsi erant à Concio-*sio Nicæno ad Gregorium*, anticipationem totam fuisse dierum quatuor.

469. Quum autem creditum esset in annis 19 verten-  
tibus novilunia & plenilunia media redire ad easdem  
anni dies, atque in iis manere per plura sæcula, opti-  
ma sane ratione factum ut cycli Lunaris numeri I. II.  
III. IV, &c. in Calendario disponerentur congruis locis,  
ut nempe singulis annis dies noviluniorum atque ple-  
niluniorum uno intuitu cognoscerentur. Et quoniam  
ob commoditatem, atque excellentiam numeros istos  
aureis notis in Calendario designarunt, cœperunt dein-  
teps iidem numeri *Aurei* adpellari. Dispositio autem  
numitorum hac ratione facta fuit. Adsumperunt an-  
num unum pro initio cycli, eique aureum numerum I  
tribuerunt; deinde observatis in singulis mensibus ejus  
 anni diebus, in quibus novilunia contingerent, è re-  
gione eorum dierum adposuerunt notam auream I.  
Sequenti anno observatis similiter diebus noviluniorū,  
è regione eorum dierum adposuerunt notam auream II.  
Idem factum fuit tertio anno è regione dierum, quibus  
novilunia contigere observabant, & idem in aliis an-  
nis consequentibus usque ad annum XIX. Deinde enim  
quemadmodum redibant iidem cycli Lunaris numeri  
I. II. III. IV, &c. ita novilunia restituebantur pariter ad  
eosdem anni dies. Qui ratione invento cyclo Lunari  
ad datum annum pertinente uno intuitu ex Calendario  
eruebantur dies noviluniorum illius anni.

470. Sed, uti monui, restitutio ita noviluniorum  
non fiebat nisi intra trium sæculorum curriculum: tri-  
bus enim sæculis elapsis contingebant novilunia una  
die citius. Cui incommodo ut *Gregorius* occurret ad  
epactam configit quam nos paucis explicabimus. Sed  
primum omnium demonstrandum est, qua ratione in-  
veniri possit numerus autem dato anno respondens.  
*Regula hæc est: annus datus atgeatur unitate una, dein-*

de summa dividatur per numerum 19; nam quotiens indicabit cyclos Lunares integros jam exactos, residuum vero annum cycli vertentis. Itt ecce si queratur annus cycli Lunaris pro hoc vertente anno 1738, dividendus erit numerus 1739 per 19: & quoniam obtinetur quotiens 91 & residuum 10, sequitur exactos jam esse integros cyclos 91, annumque currentem esse decimum cyccli 92 vertentis. Iste autem numerus 10 quandoque dicitur *Cyclus Lunaris*, quandoque vero *numerus aureus*.

471. Cæterum adlatæ regulæ demonstratio facillima est. Etenim institutio cycli Lunaris talis fuit, ut annus ante initium æræ Christianæ esset primus annus cycli Lunaris. Itaque ut ad initium ejusdem cycli regrediamur, augendus est numerus annorum æræ Christianæ unitate una. Et quoniam cyclus Lunaris est revolutio 19 annorum, idcirco regula prescribit ut numerus annorum auctus unitate una dividatur per 19.

472. A cyclo Lunari transeamus ad epactæ inventum, quæ originem habuit ex differentia anni Solaris ab anno Lunari; etenim Luna integrum Zodiacum duodecies pertransit in diebus 354, synodice tamen; hoc est in diebus 354 duodecies Soli conjungitur; quum tamen Sol describat Zodiacum in diebus 365 $\frac{1}{4}$ . Itaque differentia anni Lunaris à Solari est dierum 11, qui sunt annui dies epactales, quique addi semper debent ad epactam anni præcedentis, ut habeatur epacta anni insequentis. Data ergo epacta unius anni epactæ annorum insequentium illico dabuntur; eæ enim inveniuntur per continuam additionem numeri 11. Epactæ autem sunt dies Lunæ jam præteriti post novilunium ad calcem anni superioris celebratum. Ex. gr. si novilunium ultimum alicujus anni celebretur ad diem 14 Decembris, epacta in sequentis anni erunt dies 17, quibus addendo 11 fiet epacta anni sequentis dierum 28, quibus si rursus addatur 11 fiet epacta anni sequentis dierum 39, sive, abjectis diebus 30, dierum 9.

473. Ad investigandam autem epactam ad datum annum pertinentem usui erit hæc regula. Inveniatur numerus aureus dato anno respondens, & per ipsum uni-

unitate minutum multiplicetur numerus 11 ; producatur autem multiplicationis (i.e superet numerum 30) dividatur per 30 : numerus enim à partitione residuum indicabit epactam. Cujus regulæ ratio est quod discriminem inter annum Solarem & Lunarem est dierum 11. Ut si investigari debeat epactam hujus labentis anni 1738, qui habet 10 pro numero aureo, multiplicandus erit 11 per 9, nempe numerus dierum, quibus Lunaris annus deficit à Solari , per numerum aureum unitate diminutum ; productum autem 99 dividendum erit per 30 . Et quoniam residuum divisionis est 9, sequitur epactam hujus labentis anni esse numerum 9 . Scilicet post peractum ultimum novilunium anni superioris 1737 effluxerunt quoque dies 9 Lunationis sequentis.

474. Atque ita etiam si investigari debeat epacta anni 1750, cui respondebit numerus aureus 3 , multiplicandus erit 11 per 2, scilicet per numerum aureum unitate diminutum ; productum 22 repræsentabit epactam : ipse enim , quoniam non excedit numerum 30, amplius excutiendus non est . Præterea si investiganda sit epacta anni bissextoris 1732 jam præteriti , qui habuit 4 pro numero aureo, multiplicandus erit 11 per 3, per numerum scilicet aureum unitate diminutum ; & quoniam productum 33 divisum per 30 relinquunt 3, sequitur epactam anni 1732 fuisse 3 . Denique si investiganda sit epacta anni 1748 , qui habebit 1 pro numero aureo, multiplicandus erit 11 per 0 , scilicet per numerum aureum 1 unitate diminutum : & quoniam productum multiplicationis est zero , sive nihil, sequitur epactam respondentem anno 1748 esse nihil ; hoc est ultimam Lunationem anni antecedentis 1746 absolutam iri ultima die Decembris.

475. Tradita ratione epactæ inveniendæ, veniamus modo ad id , quod erat præcipuum, scilicet ad tempus Paschatis celebrandi definiendum . Methodus hæc est : inveniatur primum omnium numerus aureus , eoque mediante epacta ad datum annum pertinens . Deinde epactæ beneficio inveniatur dies ille , in quem cadit primum plenilunium post æquinoctium veriale , quod

ad

ad diem 21 Martii contingit: eo enim invento ope dominicalis litteræ, quam ideo oportet præcognitam habere, facile invenietur dies Paschatis.

476. Sed advertendum est menses synodicos Lunares constitui alternis dierum 30, & 29: etenim quum ab uno novilunio ad sequens novilunium effluant dies 29 & horæ 12 ferme; atque adeo duo menses synodici contineant dies 59, ne singulis mensibus Lunariis ratio habenda esset illarum 12 horarum, constitutum est, ut primus mensem Lunaris esset dierum 30, secundus dierum 29, tertius dierum 30, quartus dierum 29; atque ita alterius deinceps: hac enim ratione singuli bini menses Lunares constituunt dies 59.

477. Ut rem exemplis illustremus ponamus *primo* inveniendum esse Pascha hujus anni 1738. Addatur anno dato 1738 unitas, & summa 1739 inde conflata dividatur per 19: residuum 10 dabit numerum aureum hujus anni. Multiplicetur deinde 11 per 9 & productum 99 dividatur per 30: residuum quippe 9 indicabit epactam hujus ejusdem anni. Hac inventa comperiemus ultimam Lunationem superioris anni 1737 absolutam esse ad diem 21 *Januarii* hujus anni 1738. Lunationem sequentem ad diem 19 *Februaris*: sequentem ad diem 21 *Martii*: adeoque primum plenilunium post æquinoctium vernale contingere debuit ad diem 4 *Aprilis*, cui in *Calendario* adscribitur littera C. Et quoniam dominicalis littera hujus anni est E, quæ occurrit primum in die sexta *Aprilis*, sequitur festum Paschatis anni hujus labentis 1738 iù dieris sextam *Aprilis* incidisse.

478. Investigandum sit secundo Pascha anni 1747: numerus 1748 dividatur per 19, residuum 0 indicabit autem numerum esse 19: quo, unitate tamen minuto, multiplicato per 11, & producto 198 diviso per 30, habebitur residuum 18, quod indicabit epactam. Itaque primum novilunium anni 1747 celebrabitur ad diem *Januarii* 12; secundum ad diem 10 *Februaris*. Tertium ad diem *Martii* 12. Quapropter primum plenilunium post æquinoctium vernale continget ad diem 26 *Martii*. Et quoniam dominicalis littera ejus augerit A, quæ occur-

deutrit in ipsa die 26 Martii, sequitur plenilunium cadere in diem dominicum, adeoque festum Paschatis in diem dominicum sequentem, nempe in diem 2 Aprilis esse differendum.

479. Ceterum pro inveniendo numero aureo usui etiam erit hæc regula longe concinnior & expeditior. Ab anno dato (pone annum esse hunc labentem 1738), si superet 1500, denie numerum 1500, à residuo autem 238 aufer numerum 20 toties, quoties potes; deinde residuo numero 18 adde tot unitates, quot vicibus numerus 20 ablatus est de sopradiicto residuo, scilicet 11: & habebis summam 29; à qua deme numerum 19 (si eo fortasse major sit): residuum enim 10 indicabit numerum aureum.

480. Quid si annus datus minor sit numero 1500 (pone ipsum esse 1725), deme vicissim annum datum 1725 de numero 1500 à residuo autem 175 aufer numerum 20 toties, quoties potes: deinde reliquo numero 15 adde tot unitates, quot vicibus numerus 20 substractus est de numero 17, nempe 8, & habebis summam 23: hanc summam si minor est numero 19, deme de ipso numero 19, si major, derme de 38, ut in hoc casu, & habebitur numerus 15 pro aureo numero.

## CAPUT QUARTUM.

### *Dē Indictione Romana: ubi de Periodo Juliana & Victorianā.*

481. P ræter Solarem cylcum annorum 28 & Lunarem annorum 19, adest & aliis cylclus, qui *indicio* passim appellatur, cuius origo non satis est comperta apud eruditos. Sunt enim qui *Julio Cæsari*, sunt qui *Augusto*, sunt denique qui verius *Constantino Magno* inventum istud vindicent: nam ajunt *Constantinus omnium primum sualisse Christianis*, ut annos deinceps non per *Olympiades*, ut tunc fiebat, sed per indictiones numerarent; quibus id fortasse posuerit impositum, quod

*fin.*

**Singulis** indictionibus elapsis tributum Principi pendas  
retur; nam indictione idem valet atque tributum.

482. Jam indictione est revolutio 15 annorum ab 1 usque ad 15, quibus elapsis alia redit indictione, atque sidem anni 1. 2. 3. 4 usque ad 15, post quos tertia incipit indictione, atque ita deinceps: & ut constat ex *Dynastie exigui* computo ipsa ad *Christi* usque tempora retroducta incipiebat tertio anno ante æram nostram *Christianam*; adeo ut si quis nunc velit annum indictionis dato anno respondentem invenire, debet ad annum datum addere semper 3, & summam inde conflatam dividere per 15: qua ratione indictione pro hoc labente anno 1738 est 1.

483. Ex tribus jam expositis cyclis enatae sunt duas celeberrimæ periodi *Victoriana* & *Juliana*. Periodus *Victoriana* continet annos 532, qui oriuntur multiplicando cyclum Solarem annorum 28 per Lunarem annorum 19. Periodus vero *Juliana* continet annos 7980, qui habentur multiplicando omnes tres cyclos inter se: qua ratione unaquæque periodus *Juliana* *Victorianam* periodum ter quinque continet.

484. Ut à periodo *Juliana* incipiamus, sciendum est primum annum hujus periodi habere 1 pro cyclo Solari, 1 pro cyclo Lunari, & 1 pro anno indictionis. Itaque quemadmodum hac periodo incidente omnes tres cycli simul initium ducunt, ita simul etiam absolvi debent exacta eadem periodo; neque fieri potest ut supradieti tres cycli simul absolvantur ante exactos omnes annos 7980. Nempe accidet interdum ut bini quique cycli in annis intermediis simul absolvantur; sed terni simul non nisi in ultimo periodo anno absolvantur. Sic in anno 532 ab initio periodi cyclus Solaris, atque Lunaris simul desinunt; sed tamen indictione illius anni est 7. Idem accidit in anno 1064; cuius tamen anni indictione est 14. Sic etiam in anno 420 *Juliana* periodi cyclos Solis & indictionis simul absolvi oportuit: sed tamen annus ille fuit secundus cycli Lunaris. Denique annus 285 ab initio periodi habuit quidem 19 pro numero aureo, & 15 pro indictione;

etione; sed cyclus Solaris ad illum annum pertinens fuit 5.

485. Hujus *Julianæ* periodi initium ante ipsum Mundi exordium communiter statuitur, quod quoniam mirum videtur paucis illustrare conabimur. Cycli Solaris initium præcedit æram *Christianam* novem annis; Lunaris anno uno; Indictionis vero annis tribus: Itaque primus annus ærae *Christianæ* habuie 10 pro cyclo Solari, 2 pro cyclo Lunari, & 4 pro indictione. Ut ergo sciamus in quam periodi *Julianæ* annum incidat primus annus ærae *Christianæ* querendum est, quis annus ejusdem periodi habeat 10 pro cyclo Solari, 2 pro cyclo Lunari, & 4 pro indictione. Annus is est 4714; is enim divisus per 28 relinquit 10, divisus per 19 relinquit 2, & divisus per 15 relinquit 4. Itaque ab initio periodi *Julianæ* ad ærae *Christianæ* initium effluxerunt anni 4714. Atqui ab exordio Mundi ad ærae *Christianæ* initium elapsi sunt anni præterpropter 4000, ut doctiores Chronologi sentiunt; itaque periodi *Julianæ* principium antevertit exordium Mundi annis ferme 713.

486. Cæterum ad inveniendum annum periodi *Julianæ*, in quem dati cadant cycli, habeatur hæc regula. Ab anno cycli Solaris dato, additis si opus est 28, detrahe datum annum cycli Lunaris, & per residuum multiplicata numerum 56, producendo autem addde ipsum illum numerum, ex quo facta est subtræctio, atque hanc summam serva. Tum ex ista summa deme annos indictionis datos, atque residuum divide per 15; divisionis residuum multiplicata per 1064, & producendo addde summam servatam; numerus enim, qui inde oritur, erit annus periodi *Julianæ* quæsitus. Itaque ut inveniatur annus periodi *Julianæ*, qui habuit 10 pro cyclo Solari, 2 pro cyclo Lunari, & 4 pro indictione, subtrahendus est 2 de 10, & residuum 8 multiplicandum est per 56, producendo autem 448 addendus est numerus 10, ut habeatur summa 458, quæ summa servanda est. Deinde ex hac summa subtrahendi sunt indictionis anni 4, & residui anni 454 dividendi sunt per 15, ut obtineatur residuum 4. Denique per

per residuum istud, & multiplicandus est numerus 1064, produc<sup>t</sup>o autem 4256 addenda est summa servata 458; confit enim annus 4714 periodi Julianæ quæsitus.

487. Eiusdem methodi beneficio inveniemus annum periodi Julianæ huic labenti anno respondentem esse 6451. Nam annus iste habet 11 pro cyclo Solari, 10 pro Lunari, & 1 pro indictione. Itaque detracto 10 de 11 superest 1, per quem multiplicato numero 56, produc<sup>t</sup>o autem addito 11, obtinetur numerus 67, qui numerus servandus est. Tum ex numero 67 subtrahendi sunt anni indictionis, nempe 1, & residuum 66 dividendum est per 15, ut habeatur residuum 6; per quod multiplicandus est numerus 1064. Denique produc<sup>t</sup>o hujus multiplicationis 6384 addatur numerus servatus 67, & confit annus 6451 periodi Julianæ huic labenti anno respondens: quod quidem aliunde verū esse constat; nam ab initio periodi Julianæ ad primum annum ærae Christianæ effluxisse vidimus annos 4714; à primo autem anno ærae Christianæ ad hunc labentem annum effluxisse constat annos 1737; itaque additis simul duobus istis numeris confit annus 6451 periodi Julianæ huic labenti anno 1738 respondens.

488. Quoniam autem labens iste annus 1738 cadit in annum 6451 periodi Julianæ, integra autem Julianæ periodus continet annos 7980, sequitur ad complementum periodi Julianæ translituros esse ahdūc annos 1529; atque adeo, additis simul 1529 & 1738 in unam summam, annum inde conflatum 3267 ærae Christianæ fore ultimum periodi Julianæ. Et sane annus iste habet 28 pro cyclo Solari, 19 pro cyclo Lunari, & 15 pro indictione. Post annum ærae Christianæ 3267 alia incipiet Julianæ periodus, neque absolvetur nisi post exactos annos 7980.

489. Periodi Victoriana ratio eadem pena est: etenim periodus ista exactissime continetur ter quinques in periodo Julianæ, itaque quemadmodum Julianæ periodus antecedit Mundi originem annis 713, ita periodus Victoriana antecedit eamdem originem annis 181, qui habentur detrahendo ex annis 713 annos periodi Victoriana.

*Victorianæ* 532. Qua ratione prima periodus *Victorianæ* absolute est anno post orbem conditum 351: secunda anno 883: tertia anno 1415: quarta anno 1947: quinta anno 2479: sexta anno 3011: septima anno 3543: octava anno 4079 post orbem conditum, sive etiam anno 75 æræ *Christianaæ*; atque adeo primus annus æræ *Christianaæ* incidit in annum 458 periodi *Victorianæ*; nona anno 607 æræ *Christianaæ*: decima anno 1139 ejusdem æræ; undecima autem anno 1671. Atqui ab anno 1671 ad annum 1738 elapsi sunt anni 67: itaque hic labens annus erit 67 periodi *Victorianæ*. Et sane 67 divisus per 28 relinquit 11, divisus vero per 19 relinquit 10; qui numeri sunt cycli Solis & Lunæ hujus labentis anni 1738.

## CAPUT ULTIMUM,

### *De Epochis atque Aëris celebrioribus.*

490. **Q**uemadmodum in Cœlo sunt certa quædam puncta, à quibus Astronomi motuum cœlestium principia repetunt, ita habent Chronologi certa temporum puncta, à quibus, tamquam radicibus, annos numerant, resque gestas secundum seriem annorum, qui radices illas sequuntur, digerunt. Radices istæ passim *Aeræ* aut *Epochæ* adpellantur. Et nomen quidem *Aeræ* adhibetur quum radix, sive principium numerationis vulgare est, sive, quod eodem redit, quando principium numerationis ab aliquo Populo constitutum est. *Epochæ* vero nomen usurpatur, quum principium numerationis non à Populo, sed à doctorum eruditorumque virorum auctoritate proficiuntur.

491. Jam Mundi ætas univera duas complegitur celeberrimas *Epochas*, quarum altera initium capit ab exordio Mundi, atque desinit in annum nativitatis *Christi*: altera vero incipit à nativitate *Christi* atque progreditur ad hunc labentem annum 1738. Sane de anno-

annorum numero, qui ad hanc ætatem ab orbe condito fluxerunt, nulla certa ratione, sed verisimili conjectura constituitur: hinc illa in Mundi annis putandis varietas auditorum exorta, nemo fere ut sit, qui hac in re cum alterius opinione concordet.

492. Sed qui à cæteris omnium maxime discessit in hoc negotio fuit summus Geometra *Isaac Newtonus*: etenim Vir præclarissimus animadvertisens plura extare in historia tum sacra quum profana perobscura, neque satis adhuc explicata, longe plura occurrere inanifeste aduersa atque pugnantia, censuit tempora præsterim vetustiora ita deintegro esse digerenda, ut tota ratio emendationis à motu siderum, hoc est ab ipsa temporis mensura, non vero ab emendantis arbitrio proficietur. Itaque quum collatis æquinoctionum sedibus ab *Eudoxo*, *Arato*, *Chirone*, atque *Hipparcho* descriptis cum locis eorumdem æquinoctiorum, pro ut sæculo suo deprehendebantur ab astronomis, cognovisset ducentos & amplius annos ab *Argonautis* usque ad tempora sua irreplisse in historiam, non dubitavit quin ex hoc Chronologorum enormi lapsu universa historiae perturbatio, atq; confusio profluxisset. Itaque de integra summa 200 annos, quos superfluos credidit, detraxit, atque ita conciliaffe libi visus est Chronogiam cum Sacra Biblia. Sed paucos hac in re habuit fautores. Nos autem neque nimis brevem cum *Newtono*, neque nimis longam cum aliis facimus universam Mundi ætatem, credimusque à Mundi origine ad *Christi* nativitatem effluxisse annos ferme 4000.

493. Sequitur Aera vulgaris *Christiana*, quæ *Dionysiana* passim dicitur, in qua Aera anni numerantur à nativitate Christi. Hujus instituti *Dionysius* cognomento exiguis auctor fuisse creditur, qui sub *Justiniano* Imperatore floruit principio sæculi sexti. Secundum hanc æram communiter numeramus annos 1728. Sunt tamen, qui hanc æram mancam putent, defequtumque constituant annorum quatuor: etenim his persuasum est *Christum* Dominum natum esse quatuor annis ante hujus æra principium: quorum sententia si vera est hic labens

labens annus signandus profecto esset 1742. Interim iidem auctores nihil mutandum arbitrantur in anno rum numeratione instituenda, ne scilicet perturbatio ulla atque confusio in chronogiam importetur: tantum admonent sedulo distinguendam esse hanc *āram Christianam*, quam *vulgarem* appellant, ab alia *āra* quatuor annis diuturniore, quam annis à nativitate Domini ad hæc nostra tempora elapsis congruam existimant.

494. Præter duas istas Epochas celebriores innumeræ sunt aliæ minus celebres. Apud Græcos celebratur *āra Olimpiadum*, quæ post annos vertentes quatuor instaurabantur. Hoc nomen acceperunt ab *Olympia* urbe *Peloponnesi*, in qua urbe quarto quoquo anno vertente quoddam ludicri genus celebrabatur, ad quod non modo ipsi accolæ, sed ab universa Græcia certatim homines adcurrebant. Primus autem annus primæ *Olympiadis*, ut constat ex computo chronologorum, incidit in annum 776 ante *āram nostram Christianam*; atque adeo, subductis ex 4000 annis 776, incidit in annum ab orbe condito 3224. Et quoniam ab Urbe *Roma* condita ad *āram Christi* vulgarem elapsi sunt anni 748, sequitur Urbem *Romam* conditam fuisse annis post primam *Olimpiadem* 28, septima scilicet *Olimpiade*.

495. Longus esset si omnes Epochas hic referre ordine vellem. Potius Epocharum temporumque divisiones varias, quæ à Chronologis proponuntur, hic referam. Itaque Epochæ dividuntur à nonnullis in *sacras ecclesiasticas & civiles*. Sacrae sunt, quæ ex Bibliorum libris eruuntur; quales sunt *Orbis Conditus*. *Diluvium*. *Abraham vocatio*. *Exodus*. *Templum Salomonis*. *Christi nativitas*, aliæque multæ. Ecclesiasticae appellantur, quæ ad Ecclesiæ historiam pertinent; ut *Petri*, *Paulique Martyrium*. *Aera Diocletiani*. *Pax Ecclesiæ à Constantino concessa*. *Concilium Nicænum &c.* Epochæ denique civiles sunt, quæ historiam civilem sive profanam respiciunt, ut *Excidium Trojae*. *Roma Condita*. *Olimpiades*, &c.

496. Tempora autem diversimode dividuntur. Prima divisio duabus partibus absolvitur: Prima pars

Tom. II.

Q

com-

comprehendit tempus omne, quod ab inicio sive origine Mundi usque ad Christi nativitatem præterit, quod tempus Testamenti veteris dicitur. Universa illa ætas trium maximorum Imperiorum originem, atque excidium vidit, nempe *Affyriorum*, *Perſarum*, atque *Graecorum*. In eadem illa ætate Romani imperii fundamenta jaœta sunt. Altera pars complectitur annos à nativitate Christi ad ætatem nostram prætergressos, in quibus accedit quid quid memorabilius habet tum historia Romani Imperii, quum historiæ *Hisanorum*, *Gallorum*, *Anglorum*, atque aliarum nationum Europearum. Ad hanc eamdem partem referri debent *Sæcula Ecclesiastica*, quæ octodecim jam numeramus, non quod exacta penitus sint, sed quod nunc decimum octavum sæcum decurrat.

497. Altera temporum divisio, quæ auctorem habet *Varronem*, ita se habet. Tempora aut ædæna sunt, id est obscura atque incerta, aut probata sive fabulosa, aut ieroganda, sive historica. Obscura, atque incerta habenda sunt tempora illa, quæ à Mundi origine usque ad diluvium O gigis effluxerunt, quod diluvium anno post orbem conditum 2208 contigisse volunt: nulla enim supersunt monumenta, quæ res gestas illorum temporum describant. Fabulosa tempora sunt, quæ à diluvio O gigis usque ad Epocham Olimpiadum effluxerunt; fabulosaque dicuntur, quia quid quid memoriae proditum est de ea Mundi ætate aut omnino fabulosum est, aut ita fabulis intermixtum, ut nulla arte distingui possit verum à falso: quemadmodum sunt ea, quæ *Graci Scriptores* narrant de *Argonautis*, de *Ulyse*, de *Helena*, *Hercule*, de *excidio Trojæ*, deque *adventu Enea* in *Italiam*. Historica denique tempora dicuntur, quæ ab Epochâ Olimpiadum ad hanc ætatem nostram progrediuntur; nam ab eo tempore gravissimi auctores res gestas memoriae confignarunt; neque desunt, qui in illema factis consentiant, quod veritatis magnum est argumentum.

## SECTIO QUARTA.

*Communia quædam de motu Planetarum,  
nec non Theoria in motus Telluris  
complectens.*

498. **Q**uoniam circa motum planetarum multa occurunt planetis omnibus communia, ne superius eadem repetere coacti simus, de iis primis *hac Sectione* differere constituimus; deinde vero *Theoriam motus Telluris* *hac eadem Sectione* persequemur. Et quidem *theoria isthac nihil prorsus differt à theoria motus Solis*, sive *is ad parenter sive vere movetur ab occasu versus ortum sub ecliptica*: nam locus Solis in ecliptica semper ex adverso opponitur loco Telluris in eadem ecliptica.

## CAPUT PRIMUM.

*De motu Planetarum vero, medioque;  
deque centri Aequatione.*

499. **S**ectione prima hujus Libri Secundi dictum est, motum planetarum ex Sole visum esse semper varium atque diversum, nunc concitatum, nunc remissum, nunc proportione media inter utrumque temperatum, pro majori nempe aut minori à Solis centro distantia. Sit S (Fig. 54.) Sol, APQB via planetæ circa Solem S, A apsis summa sive aphelion, B apsis imma sive perihelion. Jam planeta ita movetur circa Solem, ut in apside summa A incedat tardissime, in imma B velocissime, in locis vero cæteris velocitate intermedia feratur: adeoque velocitas planetæ descendens ab apside summa ad imam continenter augetur: velocitas vero ejusdem planetæ adscendentis ab apside imma ad summam continuo minuitur. Incrementum

Q 2

autem

244 PHILOSOPHIÆ NATURALIS  
autem decrementumque velocitatis tantum est, ut tempus per arcum AP sit ad tempus per arcum AQ ut se habet area elliptica ASP ad aream ellipticam ASQ.

500. Quod si planum APQB $\rho$  cogitatione protendatur usque ad Firmamentum, notum est signari in sphærica Cœli superficie orbitam, quam planeta à Sole visus ibi peragrare videtur. Ad puncta hujus orbitæ spectator in Sole constitutus referet planetam: nempe si planeta sit in loco P, spectator in Sole constitutus illum referet ad punctum eclipticæ D: deinde progreſſo planeta ad Q adparebit ipse in puncto eclipticæ G; quæ quidem puncta, ad quæ spectator in Sole constitutus planetam referet, dicentur deinceps *vera loca heliocentrica* illius. Quapropter planeta existente in apside summa A, verus planetæ locus heliocentricus erit C, quod punctum *locus aphelii* etiam dicetur: quum vero planeta est in P aut Q, verus ipsius locus heliocentricus erit D, aut G. Ponendo autem punctum F referre initium Arietis in orbita planetæ (quod punctum quomodo determinari possit infra explicabitur), signorumque ordinem esse FCDGE, dicetur quidem arcus FC *longitudo vera heliocentrica* planetæ constituti in aplide summa A, qui etiam *vera apsidis summa longitudo* appellabitur; arcus autem FCD, aut FCG nuncupabitur *vera Planetæ constituti in P, aut Q longitudo heliocentrica*. Et denique arcus CD à loco apsidis usque ad locum verum planetæ in consequentia numeratus adpellabitur *anomalia vera planetæ*; quam anomaliam liquet æqualem esse excessui, quo longitudine vera planetæ superat longitudinem apsidis. Quia ratione planetæ existentis in apside A nulla est anomalia vera; planetæ vero existentis in apside opposita B anomalia est graduum 1°: quod si vero planeta sit in loco P aut p, anomaliam sortietur minorem aut majorem gradibus 180: & in primo quidem casu dicetur versari *in primo semicirculo anomalie*; altero vero casu *in secundo anomalie semicirculo* versari dicetur. Cæterum initium Arietis in orbita cujusvis planetæ definitur ex longitudine nodi ejusdem planetæ, nempe ex illo eclipticæ arcu, qui est

est inter sectionem vernam & nodum: numerando enim retro ab ipso nodo in orbita planetæ tot gradus, quot continentur in prædicta nodi longitudine, habebitur initium Arietis in orbita sive ecliptica planetæ.

501. Jam supponamus planetam alium fictum, atque imaginarium moveri in eadem orbita APB $\rho$  eodem prorsus tempore, quo planeta verus ipsam suo cursu perlustrat; adeo ut ambobus ex uno, eodemque orbitæ loco simul digressis ambo ad eundem locum completa revolutione integra eodem tempore redeant; ponamusque etiam velocitatem ipsius planetæ ficti in variis sua orbitæ locis non esse variam atque diversam, ut est velocitas planetæ veri, sed eamdem ubique permanere. Itaque si putemus utrumque discessisse simul ab apside A, non modo singulis revolutionibus completis ipsi concurrent in eadem apside A, verum etiam concurrent in apside apposita B singulis semirevolutionibus completis. Nam quoniam planeta verus cum certis gradibus velocitatis descendit ab apside summa ad imam, atque cum iisdem gradibus velocitatis redit ab ima ad summam, profecto tempus descensus ab apside summa ad imam æquale erit temporis ascensus ab ima ad summam. Et similiter quoniam planeta medius fertur semper eadem velocitate, erit etiam tempus descensus ipsius ab apside summa ad imam æquale temporis ascensus ab ima ad summam. Unde quum tempora revolutionum utriusq; planetæ æqualia sint inter se, sequitur ipsos eodem tempore ad apsidem imam pervenire, posito tamen quod simul ab apside summa discesserunt.

502. Sed in omni alio orbitæ punto aut planeta verus antecedet medium, aut vicissim medius verum antevertet: nempe in primo anomalie semicirculo medius verum prædictetur; in secundo autem anomalie semicirculo verus vicissim antevertet medium. Enim vero in apside summa velocitas, cum qui moveretur planeta medius, major est velocitate, cum qui incedit planeta verus, qui eo loci tardissime moveretur: Itaque in primo anomalie semicirculo præbit medius vero. Viceversa in apside ima velocitas planetæ veri major

Q. 3

est

est velocitate planetæ medii: nam planeta verus eo loci  
movenetur velocissime: quapropter in altero anomaliae  
semicirculo præbit vicissim planeta verus medio. Quemadmodum autem punctum eclipticæ, ad quod spe-  
ctor in Sole constitutus refert planetam verum, dici-  
tur *locus verus heliocentricus* planetæ, ita punctum ejus-  
dem eclipticæ, ad quod refertur planeta medius, adpel-  
latur *locus medius heliocentricus* planetæ. Et similiter  
dicitur *longitudo media heliocentrica* planetæ arcus ecli-  
pticæ inter initium Arietis & planetam medium interceptus; arcus vero ejusdem eclipticæ inter locum apsi-  
dis summae & planetam medium comprehensus adpel-  
labitur *eius. anomalia media*; quam liquet æqualem esse  
excessui, quo longitudine media supereret longitudinem  
apsidis. Itaque quum planeta verus est in primo semi-  
circulo anomaliae, longitudine media major est longitudine  
vera: at vero quum planeta versatur in altero semi-  
circulo anomaliae, longitudine vera major est longitudine  
media. Similiter in primo casu major est anomalia me-  
dia quam vera: in altero casu vicissim anomalia vera  
mediam superat. Sive autem planeta verus versetur in  
apse summa sive in aplide ima, semper longitudines  
atque anomaliae tum veræ quum mediæ æquales erunt  
inter se.

503. Quoniam autem longitudine media major ut  
plurimum est, aut minor longitudine vera, interval-  
lum utriusque longitudinis mediæ veræque dicetur in  
posterum *æquatio centri*. Itaque addendo aut detrahendo  
à longitudine media æquationem centri, habebitur  
longitudine vera: addendo nempe, quum planeta versatur  
in secundo anomaliae semicirculo, tive quum anomalia  
media major est gradibus 180, detrahendo vero quum  
vicissim planeta versatur in primo semicirculo anom-  
aliæ, sive quum anomalia media minor est gradibus 180.  
Neque vero putandum est æquationem istam in quovis  
gradu anomaliae esse unam eandemque. Etenim si cen-  
tro S (Fig. 55.) intervalllo SQ, quod sit medium propor-  
tionale inter semiaxem majorem & semiaxem mino-  
rem describatur circulus secans orbitam planetæ in

pug-

punctis Q , & q , æquatio centri ab apside summa A ad locum Q continuo augebitur : à loco Q usque ad apsidem oppositam B continuo minuetur : tum ab apside B ad locum q rursus augebitur : denique à loco q ad apsidem A rursus minuetur ; ita tamen ut æquales sint æquationes in locis P & R hinc inde ab apside A æquæ distantibus.

504. Neque difficilis est horum omnium ratio: nam per ea, quæ *Sectionis prima Capite sexto* ostensa sunt, velocitas planetæ veri in punctis Q & q velocitatem planetæ medii adæquat. Itaque planeta verus, dum descendit ab apside summa A ad locum Q, movetur velocitate semper minori ea, cum qua fertur planeta medius; dum vero à loco Q tendit ad apsidem imam B movetur velocitate semper majori ea, cum qua fertur planeta medius. Et similiter quum planeta verus adscendit ab apside ima B ad locum q, velocitas ipsius major semper est velocitate planetæ medii; denique velocitas planetæ veri adscendentis à loco q ad apsidem summam A continuo minor evadit velocitate, cum qua fertur planeta medius. Quapropter ab apside A ad locum Q planeta medius longius atque longius recedet à vero ; toto enim eo tempore planeta medius velocius movetur quam verus . Sed à loco Q ad apsidem oppositam B planeta verus semper accedit ad medium ; etenim eo tempore planeta verus velocius movetur quam medius . Ab apside B ad locum q planeta verus semper atque semper recedet à medio; nam toto eo tempore velocius fertur planeta verus , quam planeta medius . Denique à loco q ad apsidem A planeta medius semper accedit ad verum ; nam eo tempore velocius fertur planeta medius, quam verus . Ex quibus facile est colligere, æquationem centri ab apside A ad locum Q continuo augeri, in ipso autem loco Q maximam fieri ; deinde à loco Q ad apsidem B continuo minui , usq; donec in ipsa apside B omnino evanescat . Tum rursus ab apside B ad locum q continuo augeri , inque ipso loco q rursus maximam fieri; denique à loco q ad apsidem A denuo continuum decrementum subire , ita ut in apside A omni-

no evanescat. In duabus autem anomaliis, quarum una minor sit gradibus 180, altera major sit gradibus 180, sed ita tamen ut ambæ simul junctæ conficiant gradus 180, ut ex. gr. in anomalis graduum 20 & 160, 40 & 140, æquationes centri æquales sint oportet. Invaluit autem apud Astronomos, ut puncta Q & q, in quibus contingunt æquationes maximæ, dicerentur *transitus medii*; nempe quia per ea loca transiente planeta velocitatem sortitur medium inter maximam & minimam.

505. Cæterum si circa centrum S binas rectas lineas ferri circulariter supponamus, quarum una planetam verum comitetur ejusque motui obtemperet, altera comitetur planetam medium, quemadmodum prior dicetur *linea motus veri*, ita posterior adpellabitur *linea motus medii*, angulusque ab his duabus lineis comprehensus erit *æquatio centri*. Cogitandum autem est binas istas lineas in utraque aplide semper convenire, aliis vero in locis alteram alteri præcedere; nempe in primo anomalie semicirculo lineam motus medii lineam motus veri antevertere; contra vero in secundo semicirculo anomalie lineam motus veri antevertere lineam motus medii. Uno verbo quidquid haecenus dictum est de motu planetæ medii verique, id idem pari jure intelligendum est de motu utriusque linea mediae veræque.

## C A P U T S E C U N D U M.

### *De Anomaliarum verarum, mediariarumque inventione.*

506. Ræcipiūs Astronomiæ scopus est ad tempus datum locum planetæ verum suppurare, tive calculo definire in qua Coeli regione expectandus sit planeta ad tempus datum. Et quidem *Keplerius*, Astronomiæ ellipticæ inventor & princeps, nullam hujus problematis resolvendi dari methodum directam afferuit: quum enim animadverterit ad problematis solutio-

tionem postulari, ut abscinderetur area elliptica  $\Delta PS$ ; (Fig. 56.) quæ esset ad totam aream ellipticam, quemadmodum est tempus datum ad integrum tempus revolutionis planetæ, quemadmodum id non adhuc à Geometris factum esse constabat, quin imo habebatur ea res eo tempore factu impossibilis, ita non dubitavit affirmare verum locum planetæ ad tempus datum directo determinari non posse. Neque tamen id effecit ut aliam hypothesim circa motum planetarum excogitaret, in qua calculus geometricus esset, atque simplex; adeo enim erat ei persuasum veras orbitalium cœlestium formas ellipticas esse, inotumque planetarum requirere ut areæ temporibus proportionales describerentur, ut indirectam minimeque germanam methodum adhibere in calculo maluerit, quam aliam hypothesim à vera prorsus alienam admittere.

507. Quin itaque in hoc problemate solvendo nulla succurreret Keplero methodus directa ad indirectam confudit, quam ut exponamus ostendendum est prius sequens Theorema: nempe quod si circa axem majorem  $AB$  ellipseos  $APB$  descriptus intelligatur circulus  $AQB$ , intelligaturque etiam producta ordinata  $OP$  usque ad punctum  $Q$ , quemadmodum tempus, quo planeta descripsit arcum  $AP$ , designatur per aream ellipticam  $ASP$ , ita idem tempus designari etiam possit per aream circuarem  $ASQ$ . Sed præmittenda sunt prius leminta duo sequentia. Primum quod in eadem hypothesi segmentum ellipticum  $APO$  sit in data ratione ad segmentum circulare correspondens  $AQO$ ; nempe in ea ratione, quam habet semiaxis minor  $CD$  ad maiorem  $CA$  sive  $CB$ . Etenim quum  $PO$  quadratum sit ad  $DC$  quadratum ut est rectangulum  $AOB$  ad rectangulum  $ACB$ ; atque in hac eadem ratione sit etiam  $QO$  quadratum ad  $EC$  quadratum; propter rationum æqualitatem erit etiam ut  $PO$  quadratum ad  $DC$  quadratum, ita  $QO$  quadratum ad  $EC$  quadratum: permutoando autem erit ut  $PO$  quadratum ad  $QO$  quadratum, ita  $DC$  quadratum ad  $EC$  quadratum. Itaque singulæ ordinatae ellipticas  $PO$  ad singulas correspondentes ordinatas circulares  $QO$ .

QO erunt ut DC ad EC ; adeoq; summa omnium ordinatarum , quæ continentur in lectore elliptico APO ad summam omnium ordinatarum , quæ continentur in lectore circulari AQO , sive etiam ipsum segmentum ellipticum APO ad segmentum circulare AQO erit in ratione data rectæ CD ad rectam CE.

508. Alterum lemma ita se habet . Si ex foco elliptico S ducantur ad puncta P & Q binæ rectæ lineæ SP , SQ , trilineum ellipticum SAP erit ad trilineum circulare SAQ etiam in ratione data rectæ CD ad rectam CE. Etenim quum triangula SOP , SOQ sint æque alta , primum triangulum ad secundum eam rationem habebit , quam habet basi PO ad basim QO , sive etiam eam rationem , quam habet recta DC ad rectam EC. At vero per lemma primum etiam segmentum ellipticum APO ad segmentum circulare AQO est ut recta CD ad rectam CE . Itaque trilineum ellipticum SAP ad trilineum circulare SAQ eamdem rationem habebit , quam habet recta CD ad rectam CE.

509. Unde modo facile erit ostendere id quod erat præcipuum ; nempe tempus , quo planeta descripsit arcum AP , designari non minus per trilineum ellipticum SAP , quam per trilineum circulare SAQ . Etenim tempus descensus planetæ ab apside summa A ad locum quemvis P exprimitur per aream ellipticam SAP . At vero area circularis SAQ ad aream ellipticam SAP habet rationem datam , eam nempe , quam habet recta CE ad rectam CD. Itaq; quemadmodum supradictum tempus designatur per aream ellipticam APS , ita designabitur etiam per aream circularem SAQ .

510. Sed non modo tempus , quo planeta descripsit arcum AP , designatur per aream circularem SAQ , verum etiam anomalia planetæ media designatur per eamdem aream circularem . Etenim spatium descriptum à planeta medio in tempore AP est ad spatium ab ipso descriptum toto tempore suæ revolutionis ut tempus per AP ad integrum tempus revolutionis : At vero tempus per AP est ad integrum tempus revolutionis ut area elliptica SAP ad integrum ellipsum ; itaque spa-

spatium descriptum à planeta medio in tempore per AP erit ad spatium ab ipso descriptum in toto tempore suæ revolutionis ut area elliptica SAP ad integrum aream ellipsoes. Unde si supponamus totam aream ellipsoes referre universam anomaliam medianam planetæ, area elliptica SAP designabit anomaliam medium pertinentem ad tempus per arcum AP. At vero area circularis SAQ data in habet rationem ad aream ellipticam ASP; itaque quemadmodum anomalia media planetæ existentis in punto P designatur per aream ellipticam SAP, ita eadem anomalia media designabitur etiam per aream circularem SAQ.

511. His præmissis facile nunc erit ex circuli quadratura præsupposta in data planetæ orbita quot libuerit anomalias medias, correspondentesque veras calculo determinare. Sumatur enim ad libitum in circulo AQB circa axem majorem ellipsoes descripto quilibet arcus AQ, sive angulus ACQ numero graduum & scrupulorum, ut vulgo fit, expressus. Et quoniam arcus AQ est ad integrum circumferentiam, ut sector ACQ ad integrum circulum; si circulus æque ac circumferentia divisus intelligatur in partes 360 æquales, idem numerus, qui exprimit arcum AQ, designabit etiam sectorem ACQ, hunc quidem in parvulis sectoribus, illum vero in parvulis arcubus. Et quoniam ex ostensis ab Archimedie integer circulus est ad quadratum radii CE, ut 22 ad 7, si quidem fiat ut 22 ad 7, ita integer circulus partium 360 ad quartum proportionalem, habebitur quadratum radii in partibus, quarum partium integer circulus continet 360.

512. Jam quoniam data supponitur orbita planetæ, dabitur tum excentricitas CS, quum media planetæ distantia DS, sive CE (quæ tamen quomodo inveniatur deinceps demonstrabitur); atque adeo data erit ratio, quam habet EC ad CS. Insuper quoniam adsumptus est ad libitum arcus AQ, dabitur etiam ratio rectissimi EC, QO, eadem nempe cum ea, quam habet radius ad finum arcus adsumpti: itaque quum data sit tum ratio EC ad SC, quum ratio EC ad QO, datus ratio composta

posita EC quadrati ad rectangulum ex CS in QO, adeoque dabitur ratio EC quadrati ad triangulum SCQ: unde triangulum SCQ dabitur in iisdem partibus, in quibus datur quadratum radii, sive in partibus illis, quarum integer circulus continet 360. In ipsis igitur partibus datur tum se<sup>r</sup>tor ACQ, quem triangulum SCQ: adeoque in iisdem partibus dabatur eorum aggregatum SAQ. Hoc autem quem tempori, anomalieque mediae proportionale ostensum sit, utrumq; jure referet, nempe si tota area elliptica intelligatur divisa in partes aequales 360, ejus portio SAP tot hujusmodi partes continebit, quot SAQ continet partes similes areæ circularis; adeoque eodem numero exprimatur oportet.

513. Anomaliam autem veram, quæ designatur per angulum ASP, sequenti ratione assequemur. Quoniam datus est angulus ACQ, dabitur ejus complementum ad duos rectos QCS. Itaque quoniam in triangulo QCS datur latus QC, distantia nempe media planetæ à Sole, daturq; præterea excentricitas CS una cum angulo QCS, licebit angulum ASQ calculo trigonometrico definire. Et quoniam sumpta recta SO pro radio, sive sinu toto, rectæ QO, PO evadunt tangentes angulorum QSO, PSO, quarum quidem tangentium ratio eadem est cum ratione quam habet EC ad DC, si quidem fiat ut EC ad DC, ita tangens anguli jam inventi QSO ad tangentem alterius anguli, invenietur angulus PSO, qui anomaliam veram mediæ jam inventæ congruam referet. Neque vero dubitandum quin duæ istæ anomaliae sic inventæ congruæ sint; utraque enim pertinet ad eundem arcum AQ ad libitum adsumptum.

514. Hac methodo *Kepierus* paravit sibi canonem, sive tabulam animaliarum omnium medianarum, atque ipsis congruarum verarum. Nempe adsumebat primo arcum AQ gradus unius, tum graduum duum, trium, quatuor &c. usque ad 360; deinde artificio jam exposito inveniebat ad singulos illos arcus tum anomaliam medium; quem unicuique congruam anomaliam veram, inventaque in tabulam ordine digerebat. Constructo hujusmodi canone facile deinde fuit *Keplero* ad

ad tempus datum locum planetæ in orbita investigare. Nempe faciebat primo ut tempus integræ revolutionis planetæ ad tempus datum, ita numerus 360 ad quartum proportionalem, qui anomaliam medium dato tempori convenientem referebat. Tum in canone quærebat anomaliam istam medium, quam si forte inveniebat, anomaliam veram ipsi congruam statuebat pro angulo quæsito ASP, qui locum planetæ determinabat; si minus, proximam quærebat in canone; deinde per partem proportionalem, methodo passim usitata, inveniebat anomaliam veram quæsitam,

515. Quibus vero tabulæ præsto non essent, iis suadebat *Keplerus*, ut regulam positionum sive falsi hoc in negotio adhiberent: nempe præscribebat ut assumeretur utcumq; arcus AQ, sive angulus ACQ, sive sector ACQ; nam hæc tria eodem numero designantur, isque statueretur partium quotlibet: cui deinde cavit ut adderetur vel subduceretur, prout opus esset, congruum triangulum QCS, ut scilicet haberetur anomalia media temporis proportionalis SAQ; quæ si tanta prodiret, quanta tempori dato conveniens erat, bene habebat positio arcus AQ: atque adeo ad inveniendum locum planetæ ad tempus datum satis erat quærere anomaliam veram congruam anomaliae mediae jam inventæ. Quod si vero tanta non prodiret, sed major aut minor, ex ipsa emendanda erat positio methodo in *Arithmeticis* passim vulgata, laborque repetendus, quoisque talis positio arcus AQ obveniret, ut anomalia media inde deducenda tempori dato conveniens esset.

516. Sed elegantius fortasse res conficietur sequenti ratione, si indirectam methodum cum *Keplero* hoc in negotio adhibere placeat. Sector CAQ est ut arcus AQ; triangulum vero QCS est ut altitudo SR: itaque area SAQ erit ut summa vel differentia arcus AQ & altitudinis SR; sive etiam sumpto arcu QX (prorsum vel retrosum) qui æqualis sit altitudini SR, eadem area erit ut arcus AX: sed area ASQ repræsentat tum tempus, quo planeta descripsit arcum AP, quvm anomaliam medium; itaque arcus AX repræsentabit etiam tum

tem-

tempus, quo planeta descripsit arcum AP, quum anomaliam medium illi tempori congruam.

517. Adsumpto ergo quovis arcu AQ, anomalia media ei congrua sic determinabitur. Fiat ut QC ad SC, ita 57. 29578, qui arcus radio est æqualis, ad quartum proportionalem. hac enim ratione dabitur arcus æqualis excentricitati SC in gradibus graduumq; partibus decimalibus; & quoniam sumpto SC pro radio sive sinu toto est SC ad SR, ut radius ad sinum anguli adsumpti ACQ, sive RCS; si quidecir fiat ut radius ad sinum anguli sive arcus adsumpti AQ, ita arcus jam inventus æqualis excentricitatib; CS ad quartum proportionalem, invenietur in gradibus & partibus graduum decimalibus arcus æqualis altitudini SR, qui additus vel detractus ab adsumpto arcu AQ relinquit arcum qualitum AX, per quem designatur anomalia media. Anomaliam autem veram, quæ designatur per angulum ASP, eodem modo in vestigabimus ex datis angulo ACQ, & ratione rectarum QC, CS.

518. Sed ne in *αγετηριας* labem cum Keplerio incurramus, methodum geometricam hic trademus, qua mediante definiri accuratissime possit locus planetæ ad tempus datum. Sit in ellipsi APB (Fig. 57.) A perihelion, S locus Solis, C centrum, & P locus planetæ inveniens. Producatur CA ad G, ut sit CA ad CG, ut est CS ad CA, atque erigatur perpendicular GH. Describatur deinde centro C & intervallo CG circulus EFG; superque regula GH, ceu fundo, progrediatur rota GEF revolvendo se circum circa, & interea puncto suo A describendo cycloidem protractam ALI; quo facto capiatur GK ad rotæ perimetrum GEFG ut est tempus datum, quo corpus progrediendo ab A descripsit arcum AP ad tempus unius revolutionis in ellipsi, erigaturque perpendicular KL occurrens cycloidi in puncto L. Dico rectam lineam LP, quæ per punctum L parallela ducitur ipsi GH, occurtere orbitæ planetæ in puncto quæsito P.

519. Etenim junctis rectis SP, SQ, juncta que adhuc recta CQ, cadat in eam, si opus est, productam per-

perpendiculum SR . Et quoniam ex ostensis area SPA est ut area SQA , eadem area erit ut differentia inter se-  
torem ACQ & triangulum SCQ ; sive etiam ut diffe-  
rentia inter arcum AQ & rectam SR . Unde quum ar-  
cus AQ datam habeat rationem ad arcum GE, recta ve-  
ro SR eamdem datam habeat rationem ad rectam QO,  
eadem area SPA erit ut differentia inter arcum GF &  
rectam QO, quæ est sinus rectus arcus AQ.

§20. Et quidem quod arcus AQ datam habeat ratio-  
nem ad arcum GF , ita ostendetur . Arcus AQ est ad ar-  
cum GF ut radius CA ad radium CG ; at vero ex con-  
struzione radius CA est ad radium CG ut CS ad CA ;  
itaque erit ut arcus AQ ad arcum GF , ita recta CS ad  
rectam CA ; datur autem ratio rectarum CS, CA; itaq;  
dabitur pariter ratio arcus AQ ad arcum GF . Quod  
autem SR ad QO eamdem datam habeat rationem , sic  
ostendetur : quum triangula rectangula SCR, QCO sint  
similia, erit ut SR ad SC , ita QO ad QC; & permutan-  
do ut SR ad QO , ita SC ad QC sive OA : ex quo sequi-  
tur arcum AQ esse ad arcum GF ut se habet SR ad QO.

§21. Ex eo autem quod area SAQ ostensa sit esse  
ut differentia inter arcum GF & rectam QO, facile erit  
colligere punctum P esse verum locum planetæ ad tem-  
pus datum . Etenim quum descriptæ trochoidis acci-  
dens præcipuum sit, ut arcus GF adæquet summam re-  
ctarum GK , QO , ipsa recta GK æqualis erit excessui,  
quo arcus GF superat rectam QO ; at vero area SAQ  
est ut differentia inter arcum GF , & rectam QO , ita-  
que eadem area erit ut recta GK , quæ quum ex constru-  
ctione temporis proportionalis adsumpta sit , sequitur  
etiam aream SAP temporis proportionalem esse , atque  
adeo punctum P esse verum locum planetæ . Cæterum  
solutionem istam geometricam primus invenit Walli-  
sius, quæ adeo elegans Newtono visa est, ut in eximium  
suum opus , quod Philosophia Naturalis Principia Ma-  
thematis inscripsit, eam contulerit.

CA:

## CAPUT TERTIUM.

*Problematis Kepleriani concinniores solutiones adferuntur & demonstrantur.*

522. Solutio problematis *Kepleriani* ad calcem superioris *Capitis* exhibita supponit, ut vidimus, descriptionem trochoidis protractæ. Quum autem accurata hujus curvæ delineatio sit admodum difficilis, præstabit cum *Newtono* solutionem vero proximam adhibere. Sit itaque  $AQB$  (*Fig. 58.*) orbita planetæ,  $A$  apsis summa,  $B$  apsis ima,  $S$  Solis locus,  $AQB$  circulus circa majorem ellipsoës axem  $AB$  descriptus, &  $C$  centrum tum ellipsoës quum circuli. Quoniam, ex ostensis superiori *Capite*, area elliptica  $SAP$  est ut correspondens area circularis  $PAQ$ , sive etiam ut summa sectoris  $ACQ$  & trianguli  $QCS$ , quemadmodum tempus, quo planeta descripsit arcum ellipsoës  $AP$ , repræsentatur per aream  $ASP$ , ita idem tempus repræsentari etiam potest per summam sectoris  $ACQ$  & trianguli  $QCS$ , sive etiam per arcum  $AQ$  & rectam  $SR$ , quæ perpendiculariter decidit ex foco  $S$  in radium  $QC$  protractum. Etenim arcus  $AQ$  proportionalis est seCTORI  $ACQ$ , & altitudo  $SR$  est ut triangulum  $QCS$ , ob datam ejus basim  $CQ$ . Quapropter si supponamus arcum  $AX$  temporis esse proportionalem, nempe si supponamus arcum  $AX$  ita se habere ad integrum circuli circumferentiam, ut se habet tempus, quo planeta descripsit arcum  $AP$ , ad tempus integræ revolutionis, necesse erit arcum  $QX$  æqualem esse rectæ  $SR$ .

523. Itaque per constructionem quamvis, vel utcumque conjecturam faciendo cognoscatur planetæ locus  $p$  vero planetæ loco  $P$  quia*m* fieri poterit proximus: demissaque ad axem ellipsoës ordinatim applicata  $po$ , producatur ea ad  $q$ . Et quoniam datus vel adsumptus est angulus  $ASp$ , ex proportione diametrorum ellipsoës inve-

invenietur angulus  $ASq$ : faciendo nempe ut axis minor ellipsois ad majorem , ita tangens anguli  $ASp$  ad tangentem anguli  $ASq$ . Hoc angulo explorato,in triangula  $qCS$ , in quo dantur præterea latera  $qC$  ,  $CS$  invenire libet angulum  $qCS$ , cuius idcirco complementum  $ACq$  ad duos rectos non ignorabitur . Sed sufficit angulum istum rudi calculo in numeris proximis invenire . Cognoscatur etiam angulus temporis proportionalis ; hoc est angulus, qui sit ad quatuor rectos , ut se habet tempus datum ad tempus unius revolutionis planetæ ; sitque angulus iste  $ACX$  , sive arcus  $AX$  . Deinde fit primo ut radius  $Cq$  ad excentricitatem  $CS$  , ita arcus radio æqualis  $57.29578$  ad quartum proportionalem : & habebitur arcus æqualis excentricitat $i$   $CS$  : tum fit ut  $CS$  ad  $Cr$  , sive ut  $Cq$  ad  $qo$  , sive ut radius ad sinum anguli  $ACq$  , ita arcus æqualis excentricitat $i$   $CS$  ad quartum proportionalem : & habebitur alter arcus longitudine æqualis perpendiculari  $Sr$ .

§24. Jam si arcus sic inventus æqualis prodeat arcui  $qX$  , nempe excessui quo arcus  $AX$  superat arcum  $Aq$  , bene conjectum fuit de loco planetæ, qui non amplius ut vero proximus , sed ut ipsifissimus atque accuratissimus planetæ locus habendus erit : quod si vero arcus iste major, aut minor prodeat arcu  $qX$  , tunc argumēto id erit locum conjectura adsumptum non esse verum locum planetæ , sed falsum ; & quidem ipsum vero esse promotiorem, si arcus  $Sr$  major prodeat arcu  $qX$  ; contra autem vero esse minus promotum, si arcus viciūs  $Sr$  minor prodeat arcu  $qX$  ; adeo ut priore casu aliquid detrahendum sit ab angulo  $ACq$  , posteriore vero casu nonnihil ei addendum sit , quo verus planetæ locus  $P$  investigetur.

§25. Ut autem id quod addi demique debet ab angulo  $ACq$  ad verum planetæ locum investigandum definire possimus, supponamus  $P$  esse verum locum planetæ, atque ex eo punto intelligamus demissam perpendicularē  $QPO$ ; intelligamusque etiam ex punto  $S$  in radium  $QCR$  producētum cadere perpendicularē in  $SR$  . Et quoniam verus locus planetæ supponitus in  $P$ , erit re-

Et si SR æqualis arcui QX: quapropter abscisso arcu XT,  
qui sit æqualis rectæ Sr, erit QT æqualis differentiæ re-  
ctarum SR, Sr, sive quam proxime ipsi ZR. Etenim quoniam  
planetæ locus conjectura adsumptus p parum absit à  
vero loco P, differentia rectarum SR, sr vix differet à  
rectula ZR. Quoniam autem triangula CQq, CRZ simili-  
lia sint inter se, erit ut Qq ad RZ sive QT, ita QC ad  
CR; & componendo ut qT ad Qq, ita QR ad QC; da-  
tur autem tum ratio, quam habet QR ad QC, quoniam ar-  
cus qT: itaque dabitur etiam arcus qQ addendus hoc  
casu arcui Aq, ut verus planetæ locus definiatur: enim  
supponimus hic planetam minus promotum esse quam  
oportet, nempe supponimus angulum ASP maiorem esse  
angulo ASq.

526. Et quidem datum esse arcum qT, id facile con-  
statib, si animadvertiscas hunc arcum haberi si ex arcu  
jam cognito AX primum dematur adsumptus arcus Aq,  
deinde subtrahatur arcus TX longitudine æqualis rectæ  
Sr. Quod vero ratio, quam habet QR ad QC etiam da-  
ta sit, id quidem ostendetur ratione sequenti. Quoniam  
triangula QCO, CRS similia sunt inter se, erit ut QC ad  
CO, ita CS ad CR: itaque rectangulum QCR æquale erit  
rectangulo OCS. Jam vero QC ad CR est ut QC qua-  
dratum ad rectangulum QCR, itaque erit etiam ut QC  
quadratum ad rectangulum OCS ita QC ad CR, & com-  
ponendo ut QC quadratum una cum rectangulo OCS  
ad QC quadratum ita QR ad QC. Unde si fiat ut CS ad  
CQ, ita CQ ad longitudinem L, quia CQ quadratum  
æquale prodit rectangulo ex CS in L, erit etiam ut re-  
ctangulum ex CS in L una cum rectangulo OCS ad re-  
ctangulum ex CS in L, sive etiam ut summa longitu-  
dinis L & rectæ OC ad longitudinem L, ita QR ad QC;  
Jam vero longitudo L data est, ut potest quæ tertia pro-  
portionalis est ad CS & CQ, dataq; etiam est recta CO, ut  
potest quæ cosinus est arcus Aq, qui est fere idem cū dato  
arcu Aq, itaq; dabitur etiam ratio quæ habet QR ad QC.

527. Quod si planeta magis promotus sit quam  
oportet, tum, iisdem constructis, arcus Tq invenietur si  
ex summa arcuum Aq, XT detrahatur anomalia me-  
dia

dia AX. Invento autem arcu Tq, si quidem fiat ut longitudine L aucta colinu arcus Aq ad ipsam longitudinem L, ita Tq ad quartum proportionalem, prohibit arcus Qq, qui hoc casu detrahendus erit ab arcu Aq ad hoc ut verus planetæ locus habeatur; nam supponimus hic planetam magis promotum esse quam oportet.

§ 28. Cæterum ut locus planetæ quam accuratissime investigetur, non sat est calculum semel posuisse, sed iterum & quandoque tertium instituatur oportet nempe quemadmodum ex loco conjectura adsumpto p inventus est locus vero proximior P, ita ex isto loco P alius adhuc vero proximior, atque ex eo alius erit investigandus. Cognoscetur autem num locus planetæ per hujusmodi adapproximationem determinatus insensibiliter differat à vero loco ipsius, si arcus addendus aut detrahendus Qq intra pauca secunda continetur.

§ 29. Quamvis autem adapproximatio ista, quam Newtono debemus, subtilissima sit, inficiari tamen nequit quin ipsa ad praxim sit minus accommodata. Usurpari itaque potest in praxi adapproximatio *Cassiniæ*, quæ omnium expeditissima videtur. Ea autem ita se habet. Sit P locus planetæ, ex quo ductus intelligitur radius PS: deinde in circulo AXB absindatur arcus AX, qui sit ad integrum ipsius circumferentiam, ut est tempus, quo planeta descripsit arcum AP ad tempus integræ revolutionis. Et quoniam area APS est ad totam aream ellipsois ut tempus, quo planeta descripsit arcum AP ad tempus integræ revolutionis, atque in eadem ratione est ex constructis arcus AX ad integrum circuli circumferentiam, erit propter rationum æquilitatem ut area APS ad integrum aream ellipsois, ita arcus AX ad integrum circumferentiam circuli. Est autem area APS ad integrum aream ellipsois ut area circularis AQS ad integrum circulum; & similiter arcus AX est ad integrum circumferentiam ut sector ACX ad integrum circulum; itaque erit ut area circularis AQS ad integrum circulum, ita sector ACX ad eundem circulum; adeoque area circularis AQS adæquabit sectorem ACX.

530. Et quoniam area circularis AQS componitur ex sektore AQC & ex triangulo QCS, profecto dempto communi sektore AQC, supererit triangulum QCS æquale sektori QCX. Ex quo facile est colligere perpendicularem SR demissam ex foco S in radium QC æqualem esse arcui QX. Itaque quum arcus QX non est valde magnus, quia is parum differt a suo sinu recto XI, erunt rectæ XI, SR ad sensum æquales inter se. At sunt etiam parallelæ, quia perpendiculariter insistunt ad radium CI; quare rectæ linea XS, IR erunt etiam æquales & parallelæ. Itaque ducta recta CX, erit angulus XCQ æqualis angulo CXS: at datus est angulus CXS; etenim in triangulo XCS datur angulus XCS, qui complementum est ad duos rectos anguli ACX, per quem exponitur anomalia media planetæ, danturque adhuc latera CX, CS; quare dabitur etiam ei æqualis angulus XCQ.

531. Quapropter quum arcus QX parvulus est, ita determinabitur locus planetæ verus ad tempus datum. Abscindatur in circuli circumferentia AQB arcus AX, qui sit ad integrum circuli circumferentiam ut est tempus datum ad tempus integræ revolutionis planetæ, jungaturque SX, cui agatur per punctum C parallela CQ, atque ex punto Q demittatur perpendicularis QO; ea enim occurret ellipsi in loco quæsito P. Neque vero difficile erit constructionem istam calculo submittere. Invento enim arcu AX, qui sit ad gradus 360, ut est tempus datum ad tempus integræ revolutionis planetæ, dabitur angulus ACX, cuius complementum XCS etiam dabitur: unde in triangulo XCS ex cognita adhuc laterum XC, CS proportione dabitur angulus CXS, sive ipsi æqualis XCQ; quo dempto ex angulo ACX, supererit angulus ACQ: hoc autem angulo invento, angulus anomalæ veræ ASP ex data axium ellipsoes proportione nullo negotio determinabitur: quemadmodum *superiori Capite* demonstratum est.

532. Quod si arcus QX major prodeat, quam uel neglegi possit differentia inter ipsum & ejus sinum rectum XI, tunc investiganda prius est in numeris quam

quam proximis differentia illa : id quod fieri ratione sequenti. Posito radio CA, vel CQ partium 100000, integra circumferentia continebit earum partium 628318. Itaque faciendo ut gradus 360 ad gradus quos continet arcus QX, ita numerus 628318 ad quartum proportionalem, habebuntur partes contentae in arcu QX, quartum partium radius continet 100000. Atqui datur in iisdem partibus sinus rectus XI arcus QX, itaque in iisdem etiam partibus dabitur differentia inter arcum QX & ejusdem sinum rectum XI.

§ 33. Invento hoc intervallo, ducatur per punctum X recta DX parallela ipsi CQ: & quoniam arcus QX adaequat rectam SR, sinus vero rectus XI adaequat rectam DR, differentia jam inventa inter arcum QX & ejus sinum rectum designabitur per rectulam DS, quæ ideocirco dabitur. Itaque faciendo ut XS (quam facile est per resolutionem trianguli rectilinei CXS invenire) ad DS, ita sinus totus ad sinum anguli DXS, inventetur angulus DXS, quo dempto ex angulo CXS cognoscetur angulus CXD, sive ei æqualis XCQ: quia ratio calculus hoc casu ita ordinabitur. In triangulo XCS ex dato angulo XCS, & ex data laterum XC, SC proportione determinabitur tum basis XS, quum angulus CXS. Deinde in triangulo rectangulo XDS ex data hypotenusa XS & uno laterum DS, investigabitur angulus DXS; quo subtraæto ex angulo jam invento CXS, supererit angulus CXD. Denique ad punctum C fiat angulus XCQ æqualis angulo CXD, atque ex puncto Q demittatur perpendicularis QQ; ea enim occurret ellipsi in loco qualiter P. Et quoniam datur tum angulus ACX, quum angulus QCX, dabitur eorum differentia ACQ, ex qua ex que data axium proportione facile colligetur angulus anomaliæ vera ASP.

§ 34. Sed hic fortasse aliquis objiciat, supposuisse nos hac in methodo id ipsum, quod querere oportebat. Etenim quum in ea necessarium sit prænoscere differentiam, quæ est inter arcum QX & ejus sinum rectum XI, profecto differentia ista non aliter videtur posse cognosci, nisi supponendo jam cognitum ipsum arcum

R 3

QX,

$QX$ , qui investigandus est. Ut huic difficultati satisfiat præmonendum est, arcum  $QX$  in apsidibus prorsus evanescere, in distantiis vero intermediis maximū evadere etenim quum arcus  $QX$  sit perpetuo æqualis perpendiculo SR, quemadmodum perpendiculum istud, planeta existente in apsidibus, est nullum, ita nullus pariter erit eo in loco arcus  $QX$ : at vero quum planeta est in distantias mediis  $E$  &  $e$ , eo casu perpendiculum SRabit in ipsam excentricitatem CS, atq; adeo omnium maximum est. Quod ut clarius pateat animadvertisendum est locum puneti R interveniri in circumferentia circuli descripti circa excentricitatem CS, tamquam diametrum: unde quemadmodum omnium chordarum SR maxima est ipsa circuli diameter SC, ita quoque omnium perpendiculorum maximum erit excentricitas CS; ex quo sequitur arcum  $QX$  maximum esse, quum planeta est in distantias mediis.

535. Quod si quis veritatem istam calculo analyticō experiri velit, supponere debet diametrum  $AB = 2a$ , atque adeo semidiametrum  $CA = a$ , abscissam  $AO = x$ , & excentricitatem  $CS = b$ : erit enim ordinata  $OQ = \sqrt{2ax - xx}$ . Et quoniam propter triangula similia  $CQO$ ,  $CSR$ , ut est  $QC$  ad  $QO$ , ita se habet  $CS$  ad  $SR$ , initio

$$\frac{b}{\sqrt{2ax - xx}}$$

calculo invenietur  $SR = \frac{a}{\sqrt{2ax - xx}}$ : hæc autem quum omnium maxima esse debeat, oportebit ejus fluxionem  $\frac{d}{dx} \frac{a}{\sqrt{2ax - xx}}$

$\frac{d}{dx} \frac{a}{\sqrt{2ax - xx}}$  æqualem esse aut nihilo, aut etiam infinitum: si primum habebitur  $x = a$ , nempe  $AO = AC$ : si secundum erit aut  $x = 0$ , aut  $x = 2a$ ; nempe erit aut  $AO = 0$ , aut  $AC = AB$ . Sed his duobus casibus  $SR$  non quidem omnium maxima, sed omnium minima prodibit.

536. Ex eo autem quod maximus arcus  $QX$  adæquet orbitæ excentricitatem CS, ex mensuris excentricitatem supra recensitis facile erit in uniuscujusque planetæ orbita arcum istum maximum invenire. Nempe in Tellure arcus iste numquam gradum unum superabit;

in

in Venere vix ad minuta  $25\frac{1}{2}$  pertinget: In Luna duos gradus non excedet: In Jove erit graduum  $2.50\frac{1}{2}$ . In Saturno graduum  $3.15$ : In Marte graduum ferme  $5$ : ac denique in Mercurio, qui omnium maxime excentricus est, erit graduum  $12$ , aut paulo plus. Quia ratione, posito radio partium  $100000$ , differentia inter arcum  $QX$  & sinum rectum  $XI$  tanta erit, ut in Tellure angulus subtrahendus  $DXS$  neque etiam quadrantem unius secundi adæquet, in Venere multo sic minor, in Luna sit trium secundorum, in Jove secundorum quatuor, in Saturno secundorum sex, in Marte secundorum  $20$ , ac denique in Mercurio sex circiter minutorum. Atque istæ quidem anguli  $DXT$  magnitudines habent locum, quum planetæ versantur in distantiis mediis, in quibus arcus  $QX$  maximus est; aliis vero in locis multo minores sunt. Quapropter angulus ille in Tellure, Venere, Luna, Jove, atque Saturno cuto negligi poterit, at vero in Marte & Mercurio aliqua ipsius ratio habenda erit, quam judicio ejus, qui computum instituit, determinandam relinquimus.

§37. Denique alia occurrit ad proximandi ratio, ad quam & ipse *Keplerus* advertisse videtur. Sit  $P$  (Fig. 59.) locus planetæ in sua orbita, ad quem à focis  $S$  &  $F$  ducantur radii  $PS$ ,  $PF$ : deinde sumpto arcu  $AX$ , qui sit ad integrum circumferentiam quemadmodum est tempus, quo planeta descripsit arcum  $AP$  ad tempus integræ revolutionis planetæ, conjugatur  $CX$ . Et quoniam area elliptica  $ASP$  est ad totam aream ellipticam in eadem ratione, erit ut area elliptica  $ASP$  ad aream ellipticam totam, ita arcus  $AX$  ad circumferentiam totam, sive etiam ita angulus  $ACX$  ad quatuor rectos: at vero, coeuntibus focus  $S$  &  $F$ , area  $ASP$  est ad aream totam ut angulus  $AFP$  ad quatuor rectos; nam in ea hypothesi ellipsis abit in circulum: itaque iisdem focus coeuntibus angulus  $ACX$  erit ad quatuor rectos ut angulus  $AFP$  ad quatuor rectos; quapropter anguli  $ACX$ ,  $AFP$  eo casu æquales erunt inter se.

§38. Itaque quum foci  $F$  &  $S$  coincidunt cum centro ellipses  $C$ , tunc rectæ lineæ  $FP$ ,  $CX$  sunt pa-

parallelæ, & tales etiam sensibiliter permanebunt, quum foci medico intervallo absunt ab ellipso centro, tive quum orbitæ excentricitas modica est; ut accidit in Telluris, Veneris, Jovis, atque Saturni orbitis. At vero in orbitis Martis, atque Mercurii, qui omnium sunt excentrici, rectæ illæ lineæ paululum deviabunt a parallelismo, adeo ut correptione quædam in planetis istis sit adhibenda. Quæ quum ita sint, locus planetæ ita determinabitur ad tempus datum. Abscindatur arcus AX, qui sit ad circulum integrum ut est tempus datum ad tempus integræ revolutionis; deinde juncta CX agatur ei per focum F parallela FP; ea enim occurret orbitæ planetæ in puncto P, quod erit ad sensum verus locus ipsius, saltem quum agitur de Tellure, Venere Luna, Jove, atque Saturno.

## C A P U T Q U A R T U M.

### *De Wardi hypothesi elliptica, & de orbita Cassiniana.*

539. **C**irca motum planetarum hypothesim nonnihil à Kepleriana diversam invexit in Astronomiam Sethus Wardus. Hic nobilissimus Astronomus posuit cum Keplerio planetas moveri circa Solem in orbibus ellipticis, Solemque cum eodem Keplerio in alterutro umbilicorum collocavit. Sed æquabilem arearum circa Solem descriptionem, quam Keplerus è Tychoonicis numeris primus eruerat, non satis probavit. Constituit autem ut quisq; planeta ita moveretur circa Solem constitutum in umbilico uno, ut, radio ducto ad umbilicum alterum, angulos describeret temporibus proportionales. Nempe si APB (Fig. 59.) sit orbita elliptica, S umbilicus unus, in quo Sol est constitutus, F umbilicus alter, A aplis summa, B aplis ima, AB linea aplidum, & planeta quivis prius ponatur in loco P, deinde vero in loco Q, ex quibus ducti intelligantur ad alterum focum F radii PF, QF, tempus quo planeta descripsit arcum AP erit

erit ad tempus, quo descripsit arcum AQ ex Wardi sententia, ut se habet angulus AFP ad angulum AFQ.

540. Hoc Setbi Wardi commentum quamvis à natura alienum sit, negari tamen nequit quin maximum in astronomia usum sibi vindicet. Etenim quum non nullorum *planetarum* orbitæ non sint admodum eccentricæ, sed ad circulos fere accedant, profecto Wardi hypothesí, quæ æquabilem angularum circa umbilicum alterum descriptionem requirit, ab hypothesi *Kepliana*, quæ in Cœlo locum sibi vindicat, non multum abludet; quapropter ipsa plurimum conducedet ad determinandos quam proxime motus *planetarum*, qui per repetitos calculos poterunt ad accuratiore mensuras revocari.

541. Secundum istam Wardi hypothesim facile erit ad datum tempus locum planetæ in sua orbita determinare. Fiat enim ut tempus integræ revolutionis planetæ ad tempus datum, ita quatuor recti ad angulum AFP, & punctum P erit locus planetæ quæsitus. Secundum hanc autem constructionem expeditissime inventetur angulus anomalie veræ ASP: producta enim FP usq; ad Z, ita ut PZ sit æqualis PS, jungatur ZS. Et quoniam PZ, PS æquales sunt inter se, addita communi PF, erit FZ æqualis summæ duarum PF, PS, sive etiam æqualis ipsi AB. Itaque quum data supponatur ratio axeos AB ad focorum intervallum FS, dabitur etiam ratio, quam habet FZ ad FS; sed datur etiam angulus ZFS, ut pote complementum anomalie mediæ datae: quare in triangulo ZFS cognoscetur tum angulus FZS, quum angulus FSZ. Et quoniam ob æqualitatem rectangularium PZ, PS angulus PZS æqualis est angulo PSZ, quemadmodum angulus ASP est differentia angularum ASZ, PSZ, ita idem angulus ASP erit differentia angularum ASZ, PZS; sed inventus jam est uterque angulus, ergo dabitur etiam angulus quæsitus ASP.

542. Hanc Wardi hypothesim inscius admisit Ioseph Bullialdus in sua *Astronomia Philolaica*, ut ipse Wardus in fundamenta illius Astronomiae inquirens luculentissime demonstravit; eamdem hypothesim serio deinde

deinde arripuit *Comes Paganus*, atque *Planetarys theo-*  
*rians* inde deductam gallico idiomate edidit ; differ-  
*sumque ejus à Cœlo, qui in ostantibus in Marte & Mer- -*  
*curio enormis est, in observationum errores audacter*  
*rejecit. Sed hodie communiter astronomi theoriam*  
*Keplerianam cum Cœlo ad unguem consentientem in*  
*computo usurpant.*

§43. Et quamvis summus astronomus *Dominicus Cassinus* novam circa planetarum motum hypothesim proposuerit, tamen neque ipse *Cassinus*, neque alii illam sequuti esse videntur; neque dubitandum quin si ipsam ad calculum traduxissent, minus accuratam fuissent comprehensuri. Recessit autem *Cassinus* à *Keplero* non modo in orbitæ forma elliptica, verū etiam in æquabili area-  
rum circa Solem descriptione; quum tamen utrumque locum habere in Cœlo constet ex observationibus astro-  
nomorum. Nam posuit planetam P moveri circa So-  
lem S ita tali orbita APB, ut non quidem summa  
rectarum PS, PF adæquet axem majorem AB, sed po-  
tius ut rectangulum ex ipsis PF, PS æquale sit rectan-  
gulo AFB vel ASB: deinde constituit ut planeta ita  
moveretur in hujusmodi orbita circa Solem S positum  
in foco uno, ut radio ducto ad umbilicum alterum F  
angulos describeret temporibus proportionales, adeo  
ut tempus, quo planeta descripsit arcum AP sit ad inte-  
grum tempus unius revolutionis ut angulus AFP ad  
quatuor rectos.

## CAPUT QUINTUM.

### *De annua Telluris periodo definienda.*

§44. *Q*uae haec tenus disputata sunt omnes planetas concernunt. Sequuntur nunc quæ Telluris sunt propria: initium autem capiemus ab annua ejus periodo definienda. Et quidem quum Tel-  
luris motus verus in propria sua orbita æqualis sit mo-  
tui Solis adparenti, quemadmodum suo loco fulsis ex-  
polie

positum est, non alia melior succurrit ratio annuae Telluris periodi definiendæ, quam ut Solis tempus periodicum definiatur. Itaque supponemus hoc Capite Terram immotam consistere in centro univerli; Solem autem moveri circa Tellurem iisdem prorsus velocitatis, quibus revera Tellus agitatur; quam etiam in altero focorum ellipsoes Solaris constitutam esse existimabimus.

545. Jam in Sole triplex periodus annua est consideranda, quarum una *anomalistica*, altera *siderea*, tercia denique *tropica* adpellatur. Periodus *anomalistica* est spatiuum temporis, intra quod Sol ex uno orbitæ puncto digressus ad idem punctum regreditur; nempe est revolutionis Solis ab apogeo ad apogeum, aut à perigeo ad perigeum, aut ab alio quovis orbitæ puncto ad idem praecite orbitæ punctum. Periodus *siderea* est spatiuum temporis, intra quod Sol digressus ab uno sidere ad idem sidus regreditur. Et denique *tropica* periodus est redditus Solis ad eamdem praecise longitudinem, sive est spatiuum temporis elapli ab uno æquinoctio ad idem æquinoctium, aut ab uno solsticio ad idem solsticium.

546. Ex recentis autem tribus periodis brevissima est tropica, longissima anomalistica, siderea autem media est inter utramque. Praecessio æquinoctiorum facit, ut periodus tropica brevior sit periodo siderea; motus vero aplidum in consequentia signorum facit, ut periodus anomalistica eadem siderea periodo sit longior. Finge Solem discessisse eodem tempore ab initio Arietis & à sidere aliquo, quod versetur in principio Arietis. Jam Sol anno sidereo vertente redibit ad sidus illud stabile atque immotum, sed paullo ante occurret initio Arietis, quod interea motum est in consequentia signorum: unde quum redditus Solis ad idem sidus constituant annum sidereum, ejus vero redditus ad puncta æquinoctialia constituant annum tropicum, sequitur istum annum illo nonnihil esse breviorem. Finge rursus Sollem discessisse ab apogeo & à sidere aliquo, sub quo apogeum interea versetur. Sol anno sidereo vertente redi-

reditib[us] ad idem sidus, sed non adhuc erit asequutus apogeum, ob ipsius motum ut ut lenticissimum in consequentia signorum. Itaque quum reditus Solis ad idem sidus constituat uti vidimus annum sidereum, ejus vero reditus ad apsides constituat annum anomalisticum, sequitur istum illo nonnihil esse diurniorem. Quā invis autem omnes anni anomalisticici æquales sint inter se, non omnes tamen anni siderei, neque omnes anni tropici æquales sunt, quemadmodum *Sectione prima* fusius ostensum est.

547. Anni vero tropici quantitatem asequemur, si Solem bis observemus in eodem eclipticæ punto, veluti in eodem puncto æquinoctiali, aut etiam in eodem puncto solstitiali. Etenim quum annus tropicus sit reditus Solis ad eamdem præcise longitudinem, observando Solem bis in eadem longitudine, atque dividendo tempus interiectum per numerum revolutionum, quæ à priori revolutione ad secundam intercesserunt, habebitur tempus revolutionis unius, sive quantitas anni tropici. Et ne quis error in æquinoctii, vel solstitiali tempore definiendo admittat veram anni tropici quantitatem evertat, præstat solstitia vel æquinoctia adhibere quam fieri potest maxime inter se distantia, ut error in plures partes distributus (divisione facta per magnum revolutionum interiectarum numerum) insensibilis evadat.

548. Hac methodo deprehensa est ab astronominis anni tropici quantitas dierum 365 horarum 5 & minutorum 49  $\frac{1}{3}$  fere. Qua ratione motus Solis diurnus medilus erit minutorum 59 & secundorum 8. Et quoniam annua præcessio æquinoctiorum creditur communiter secundorum 51, ad quæ percurrenda eget Sol minutis primis 20, & secundis 42  $\frac{1}{3}$ , addendo ita minuta 20, & 42  $\frac{1}{3}$  ad quantitatem anni tropici, habebitur quantitas anni siderei, quæ idcirco erit dierum 365, horarum 6, minutorum 9 & secundorum 54  $\frac{1}{3}$  fere. Insuper quoniam annuus apsidum motus constituit unius minutis fere, ad quem percurrendum Sol eget minutis fere 25, adden-

addendo hæc minuta 25 ad quantitatem anni tropici, habebitur quantitas anni anomalistici dierum 365 horarum 6 & minutorum 14 fere.

§49. Sed adnotandum hic est, dubitari adhuc de apsidum motu apud nonnullos astronomos. Sunt enim qui credunt apsides immobiles eodem in loco perpetuo consistere; eorum autem motum ajunt esse adparentem, totumque æquinoctiorum præcessioni acceptum referunt. Horum sententia si vera est, motus apsidum adparens erit secundorum 51, quanta scilicet est annua præcessio æquinoctiorum: unde quantitas anni anomalistici mediam anni sideris quantitatem adæquabit. Solaribus periodis ita constitutis, habentur eodem tempore periodi Terrestres, quum motus Solis adparens in ecliptica oriatur ex vero Telluris motu sub eadem eclipsitica.

## CAPUT SEXTUM:

*De excentricitate orbitæ Terrestris investiganda. Item de apsidum situ, deque tempore, quo Tellus versabatur in linea apsidum, inveniendo.*

550. Ex iis, quæ supra differuimus, sequitur ad datum tempus ut investigari possit locus Telluris in sua orbita tria postulari. Primum ut cognoscatur ratio, quam habet maxima ellipsois longitudo ad distantiam focorum, sive, quod eodem redit, ut cognoscatur orbitæ excentricitas. Alterum ut apsidum positio nota sit. Et tertium denique ut cognoscatur tempus, quo tempore Tellus aliquando versata est in apsidum linea: nam ex dato hoc tempore atque ex data anni anomalistici quantitate, facile elicetur anomalia media & excentricitate nullo negotio elicetur apomalia vera ad idem tempus datum. Datis autem anomalia media, & loco

551. Res itaque eoredit, ut ista investigare doceamus. Et quoniam pluribus modis id confieri potest, singulos exponere non gravabimur. Primus modus ita se habet. Sol moveri videtur sub ecliptica diversis semper cum velocitatibus: nam quibusdam anni temporibus ejus velocitas jugiter augetur, aliis vero jugiter minuitur. Observetur itaque Solis motus adpares in ecliptica, quum ipse incedit velocissime, hoc est quum in dato tempore maximum iter conficit versus ortum, aut etiam quum incedit tardissime, sive quum eodem dato tempore minimum iter conficit versus ortum: nam priori casu Sol versabitur in perigeo, altero vero casu versabitur in apogeo; utroque autem casu locus Solis dabit positionem apsidum quæsitam. Et quoniam quum Sol versatur in apogeo Tellus vicissim est in aphelio, quum vero Sol versatur in perigeo Tellus versatur in perihelio, ex tempore, quo Sol observatus est in apogeo aut perigeo, cognoscetur tempus, quo Terra versabatur in aphelio aut perihelio. Ad orbitæ vero speciem inveniendam, adnotandum prius est motum adparentem Solis existentis in apogeo esse ad motum adparentem Solis existentis in perigeo ut se habet quadratum distantiarum perigeæ ad quadratum distantiarum apogeæ. Nempe si AP (Fig. 60.) sit arcus, quem Sol describit in tempore minimo quum est in apogeo, & BQ sit arcus, quem idem Sol describit eodem tempore minimo quum versatur in perigeo, erit motus Solis adpares AFP ad motum Solis adparentem BFQ ut BF quadratum ad AF quadratum: motus quippe adparentes in locis A, & B designantur per angulos AFP, BFQ, ut in Opticis demonstratur.

552. Ostendetur autem id sequenti ratione: quoniam tempus per arcum AP æquale est tempori per arcum BQ, erit area elliptica AFP æqualis areæ ellipticæ BFQ: unde quum binæ istæ areæ haberi possint tamquam duo triangula rectangula, erit ut AP ad BQ, ita BF ad FA: At vero angulus AFP ad angulum BFQ ra-  
tio-

tionem habet compositam ex arcu AP ad arcum BQ, & ex BF ad AF; itaque idem angulus AFP ad angulum BFQ rationem habebit compositam ex BF ad AF, & iterum ex BF ad AF; ex quo sequitur motum Solis adparentem in A esse ad motum Solis adparentem in B eodem tempore factum ut BF quadratum ad AF quadratum.

553. Observetur itaque maximus Solis motus adparentis, quum nempe Sol versatur in perigeo, ut & minimus ipsius adparentis motus, quum scilicet versatur in apogeo. Nam ratio istorum motuum dabit rationem quadrati distantiae apogeorum ad quadratum distantiae perigeorum; subduplicata autem illa ratio dabit rationem distantiae apogeorum AF ad distantiam perigeam BF. Itaque componendo dabitur ratio AB ad BF; dividendo autem dabitur ratio GF ad BF; atque adeo dabitur etiam ratio AB ad GF, sive majoris axeos ellipsoes ad duplam excentricitatem.

554. Sed accuratius apsidum positio determinabitur, si bina loca investigentur, in quibus Solis motus adparentes aequales sint inter se; nam quum hujusmodi loca aequae distare debeant ab apsidibus, obtinebitur locus apsidum si angulus, quem rectae linea duæ ad bina illa loca, continent secetur in partes aequales: utque cautius hac in re procedatur, non bina loca, sed quatuor, aut sex investigari poterunt, in quorum singulis binis motus Solis adparentes aequales sint inter se; nam si bisecando unumquemque angulum, quem rectae linea duæ ad bina quævis loca correspondentia comprehendunt, prodeat semper idem apsidis locus, recte habebit observatio; sin minus iterum instituenda erit observatio, quoisque locus apsidis accuratissime eliciatur.

555. Altera methodus per Solis semidiametros adparentes procedit. Etenim quum Terra est in aphelio, tunc Solis diameter minima adpareat; quum autem Terra est in perihelio, tunc diameter Solis adparet maxima: itaque loca, in quibus diameter Solaris maxima est, vel minima erunt apsidum loca. Similiter pun-

ctum

Quum medium inter duo puncta , ubi Sol adparet ejusdem magnitudinis, locum ostendit aphelii vel perihelii. Ad ellipios vero speciem determinandam adnotandum est diametrum Solis semper esse reciproce ut distantiam Solis à Tellure ; Sol enim ad distantiam duplo maiorem duplo minor adparet , ad distantiam triplo maiorem triplo minor, atque ita deinceps. Itaque maxima Solis diameter erit ad minimam diametrum Solis ut distantia Telluris aphelia ad ejus distantiam periheliam. Sed datur ex observationibus ratio, quam habet maxima Solis diameter ad minimam ipsius diametrum; itaque dabitur etiam ratio, quam habet distantia Telluris aphelia AF ad distantiam periheliam BF; ex qua ratione nullo negotio elicetur ratio , quam habet longitudo orbitæ maxima AB ad duplam excentricitatem FG. Cæterum loco diametrorum adparentium Solis per angulos aut arcus mensuratarum accuratius fumentue tangentes eorumdem angulorum , quæ revera sunt in distantiarum Solis ratione reciproca.

556. Tertia methodus, quam Vir celeberrimus Edmundus Halley excogitavit, ita se habet. Sit S Sol, ABCD (Fig. 61.) orbita Terrestris, P planeta aliquis, puta Mars, quem cæteris præferendum esse hoc in negotio admonet vir acutissimus . Primo adnotetur tum verum tempus, quum verus locus, quo Mars opponitur Soli: tunc enim Sol & Terra erunt in una linea recta cum Marte, vel (si Mars latitudinis aliquid habuerit, quod fere semper accidit) cum puncto ubi perpendicularis à Martis centro decidit in eclipticæ planum. Sint ergo S,A,& P loca Solis Telluris & Martis in una recta linea collocata . Et quoniam Martis periodus constat diebus 687 ; isto tempore elapsò iterum Mars conspicietur è Sole in punto P, ubi scilicet in priore observatione Soli opponebatur . Terra vero quum non revertatur ad A , nisi post dies 730 fere, quum Mars est denuo in P, Terra non adhuc erit in A, sed in loco posteriori B, Solemque in linea SB, Martem autem in linea PB conspiciet. Itaque ex observatis locis Solis & Martis dabitur angulus PBS : sed ex datis locis Martis in P & Telluris in B datur etiam angulus PSB ;  
quare

quare in triangulo PSB noti erunt omnes tres anguli : atq; adeo posita distantia Martis à Sole partium 100000, in iisdem partibus invenietur distantia SB. Pari ratione post alteram Martis periodum, Terra existente in C, invenietur longitudine linea SC ejusque positio ; nec dissimiliter linea SD ejusque positio invenietur , post tertiam periodum Martis completam.

557. Ex hisce tribus observationibus Solis & Martis, habentur tum positione , quum longitudine tres rectæ lineæ SB, SC, SD in foco S orbitæ Terrestris concurrentes . Itaque deventum erit ad hoc Problema geometricum: *datis tribus rectis lineis in uno ellipsoe foco concorrentibus tam longitudine quam positione , invenire longitudinem transversæ diametri , ejus positionem & focorum distantiam*. Quod problema expedire iam docuerunt Geometræ; sed ne ejus construatio hic delideretur, paucis nos quoque eam exequemur.

558. Sint SB,SC, SD (Fig.62.) tres rectæ lineæ datae tum positione quum longitudine concurrentes in foco ellipsoe S. Jungantur DC,BC, & producantur ut sit DF ad CF, ut est DS ad CS, & CE ad BE ut CS ad BS. Jungatur FE, in quam ex puncto S cadat perpendicularis SG; hæc recta dabit positionem axis . Ducantur item BH , CI , DK parallelae ipsi SG , seceturque SG in A , ita ut sit GA ad AS ut DK ad DS: deinde producatur GS ad a, ita ut sit etiam Ga ad aS. ut est DK ad DS , fiatque Qæ aequalis SA . Eruntque puncta A, & a vertices ellipsoe; ejus foci erunt S & Q; axis autem major erit Aa . Quod si his verticibus, hisq; focus elliptis describatur, ea transfibit per puncta data B,C , D, orbitamque quem tam representabit.

559. Etenim quum ex constitutione sit DS ad CS ut DF ad CF , propter triangula autem DKF , CIP similia DF ad CF sit ut DK ad CI , erit propter rationum aequalitatem ut DS ad CS, ita DK ad CI ; permutando autem ut DS ad DK sive etiam ut SA ad AG , sive ut aS ad aG, ita erit CS ad CI. Non dissimiliter ostendetur CS ad CI ita se habere , ut se habet BS ad BH . Itaque rectæ SD , SC , SB , SA proportionales erunt re-

Etis DK, CI, BH, AG. Atqui hæc est proprietas ellipſeos cuius focus est S & axis major Aa, uti à scriptoribus co-nicis demonstratur: ergo ellipsis focus S & F & axe Aa descripta transibit per puncta B, C, D.

560. Quoniam autem in Astronomia calculus con- structione quavis utcumque concinna utilior est, ellipſeos forma & positio aplidum sic calculo invenietur. In triangulis DSC, CSB ex datis lateribus DS, CS, SB & angulis DSC, CSB invenientur tum bases DC, CB quum anguli SDC, SCD, SCB, SBC. Et quonia[m] ratio DF ad CF data est, dividendo dabitur ratio DC ad CF; itaque quum data sit DC, data etiam erit CF; atque adeo tota DF etiam dabitur. Non dissimiliter invenien-tur etiam rectæ CE, BE. Quum autem angulus BCD notus sit, quippe compositus ex duobus angulis jam co-gnitus, cognoscetur ejus ad duos rectos complemen-tum ECF: itaque in triangulo ECF ex datis lateribus CE, CF & angulo co[m]prehenſo ECF, invenietur angu-lus CEF, cuius idcirco complementum ad gradus 90, nempe angulus ECI, notus erit. At vero notus est angulus SCE; quare totus angulus SCI, sive ipsi, propter paral-lelas Ga, CI, æqualis CSa, cognitus erit. Quapropter quum data sit positio rectæ CS, dabitur etiam positio rectæ Sa; unde locus aphelii non ignorabitur. Denique in trian-gulo rectangulo BEH datur hypothenusa BE cum angu-lo adjacente BEH; itaque dabitur latus oppositum BH: sed datur etiam BS: quare data erit ratio quam habet BS ad BH, quæ eadem est cum ea quam habet dupla ex-centricitas QS ad axem majorem Aa.

561. Denique ex Wardi theoria quarta methodus elicitur pro determinanda quum orbitæ specie, tum aplidum positione: & quamvis isthæc theoria non omnium planetarum motibus accuratissime respondeat, tamen motui Telluris tuto aptari potest; quippe ejus orbita ad-modum excentrica non est. Requiruntur autem in hac methodo tres Solis observations, item temporum in-tervalla inter observationes elapſa. Sit ABPDC (Fig. 63.) orbita Telluris, S focus, in quo Sol collocatur, F focus alter, Aa linea aplidum, sintque B, C, D tria loca data

Tel-

Telluris in ejus orbita, ex observatis scilicet Solis totidem oppositis locis eruta. Centro F intervallo FM, quod sit æquale elliptos axi majori, describatur circulus MH $\dot{E}$ G, cui occurrant rectæ FB, FC, FD producte in punctis G, H, E. Ducanturque ex foco S rectæ SB, SC, SD, item SG, SH, SE.

562. Et quoniam data sunt tria loca Telluris B, C, D dabuntur anguli BSC, BSD, & CSD; nam hos angulos metiuntur arcus eclipticæ inter loca observata intercepti. Sed dati etiam erunt anguli BFC, BFD, & CFD; quum ex Wardi sententia Tellus in perihelio suæ orbitæ feratur ea lege, ut angulos circa alterum fumum F describat temporibus proportionales. Itaque quum detur tempus elapsum inter observationem Telluris in B & observationem Telluris in C, dabitur angulus BFC, sumendo nempe angulum istum ad quatuor rectos ut est tempus datum ad tempus unius revolutionis Telluris; & similiter sumendo angulum BFD ad quatuor rectos ut est tempus elapsum inter observationem Telluris in B & observationem Telluris in D ad tempus unius revolutionis, dabitur angulus BFD: qua ratione datus etiam erit angulus CFD.

563. Præterea quoniam summa rectarum BF, BS adæquat axem majorem Aa, atque ex constructione rectæ FG etiam æqualis est axi majori Aa, erit summa rectarum BF, BS æqualis rectæ FG; ideoq; dempta communis BF, supererit BG æqualis BS. Itaque quum angulus FBS æqualis sit angulis BGS, BSG, idem angulus FBS duplus erit anguli FGS. Eadem ratione ostendetur angulum FCS duplum esse anguli FHS; angulum vero FDS duplum anguli FES. Quum autem anguli FBS, FCS differentiæ sint angulorum FSB, FSC ab angulis AFB, AFC, summa angulorum FBS, FCS, sive etiam summa angulorum FGS, FHS duplicata, erit differentia anguli BSC ab angulo BFC: data autem est differentia ista; itaque dabitur etiam duplum summae angulorum FGS, FHS; atque adeo ipsi anguli FGS, FHS simul dabuntur. At vero anguli FGS, FHS æquales sunt differentiæ anguli GH ab angulo BFC: itaque quum

S 2 data

data sit tum summa angulorum FGS , FHS , quum angulus BFC , dabitur angulus GSH . Eodem ratiocinio evincetur datum etiam esse tum angulum GSE , quum angulum HSE.

§64. His præmissis designetur SH per numerum quemlibet, veluti per 100000, & producatur ES donec peripheria occurrat in L, junganturque HL, LG, HG . Itaque quoniam in triangulo HSL datur angulus HSL, complementum nempe ad duos rectos anguli cogniti HSE, item angulus SLH , semissis anguli dati HFE, daturq; etiam latus HS, 100000 scilicet partium, dabitur SL in iisdem partibus : unde in triangulo SLG quum detur adhuc angulus LSG, complementum ad duos rectos anguli jam cogniti GSE , & angulus SLG , semissis anguli cogniti EFG, dabitur SG. Quo invento, in triangulo HSG quum detur etiam SH cum angulo intercepto HSG , dabitur basis HG cum angulo SHG. Itaque in triangulo itosceli HFG quum detur angulus HFG & basis HG, invenietur tum angulus FHG , quum latus HF . Denique in triangulo FHS ex datis lateribus FH , HS una cum angulo FHS , qui habetur subtrahendo angulum FHG ab angulo SHG , invenietur SF , dupla nempe orbitæ eccentricitas , & angulus HSF ; à quo si subtrahatur angulus HSC , sive etiam ei æqualis SHC , qui cognitus est , supererit angulus CSF , qui axeos , apsidumque positionem determinat.

§65. Hæc methodus eruitur ex Wardi theoria , in qua anguli circa focum alterum descripti temporibus proportionales adsumuntur : quod verum non est , ut pluries adnotatum est . Sed in Telluris orbita anguli ad focum superiorem descripti tam parum differunt ab iis, qui temporibus proportionales sunt, ut nullus exinde error sensibilis possit oriri in determinanda orbitæ specie & positione.

§66. Invento apsidum situ, motus ipsorum apsidum nullo negotio determinabitur . Comparandus enim est locus , quem nunc occupat aphelium, cum loco , quem occupabat pluribus retro sæculis, & arcus ab aphelio interea temporis descriptus dividendus est per numerum anno.

annorum intermediorum: prodibit enim in quotiente motus annuus aphelii. Et quidem si motus aphelii hac ratione determinatus adæquet annuam æquinoctiorum præcessionem, certum erit aplides quiescere, eorumque motum adparentem in consequentia signorum oriri ex motu æquali punctorum æquinoctialium in antecedentia signorum. Quod si vero motus ille excedat annuam æquinoctiorum præcessionem, eo casu aplides moveri necesse est in consequentia signorum: subtrahendo autem ex anno aphelii motu annuam præcessionem æquinoctiorum, id quod superest dabit annum motum verum ipsius aphelii.

## C A P U T S E P T I M U M.

### *De Temporis æquandi causis, & regalis.*

567. **N**on hic repetam, quæ alibi à nobis fusiæ ditta sunt de dierum Solarium inæqualitate, ejusq; inæqualitatis causis. Tantum hic admonebo, motum Solis adparentem in consequentia signorum, ut potest inæqualem, ad tempus æquale metiendum idoneum non esse. Itaq; quum nullum in natura corpus occurreret, quod motu in totum perfecte æquabili cireetur, & tamen talis motus requireretur ad dies & horas æquales connotandas, Solem alium fingere necesse fuit, qui æquilibrium dierum regula esset. Et quoniam inæqualitatis dierum naturalium duplex erat causa, una quod Sol modo intenderet cursum suum, modo remitteret, altera quod ecliptica ad æquatorem esset obliqua, ne Sol iste fixus alicui inæqualitati subjiceretur, statuerunt astronomi, ut non modo is moveretur eadem semper velocitate, & quotidie describeret minuta 59 & secunda 8, verum etiam ut per æquatorem semper incederet.

568. Hinc duplicitis temporis consideratio astronomicis suborta est, quorum temporum alterum adparent verum & inæquale, alterum medium & æquabile dici-

tur. Et quoniam temporis adparentis mensura est Sol verus; temporis autem æquabilis mensura est Sol medius, conferendus nobis est motus Solis veri per eclipticam cum motu Solis medii per æquatorem; sic enim accuratum utriusque temporis notitiam comparare nobis poterimus.

569. Quem in finem intelligamus circulum declinationis per centrum Solis veri transeuntem ipsum Solem verum perpetuo in suo gressu comitari. Is occurret æquatori in aliquo puncto, quod adscensionem rectam Solis veri determinabit. Itaque si contingat aliquando, ut Sol medius versetur in communis sectione æquatoris cum supradiæcto circulo declinationis, tunc quo tempore adpellit ad meridianum Sol verus, eodem tempore evundem meridianum attinget Sol medius; adeoque dies medius, diesque verus simul desinent, tempusque medium æquale erit temporis vero. Quapropter si supponamus arcum æquatoris inter Solem medium & initium Arietis interceptum æqualem, tunc temporis esse Solis longitudini media; quia quovis alio tempore arcus æquatoris inter Solem medium & principium Arietis adæquat Solis longitudinem medium, sequitur, ut tempus verum æquale sit temporis medio, necesse esse ut Solis longitudine media ejus adscensionem rectam adæquet.

570. At Sol medius ut plurimum non in supradiæcta communi sectione, sed ante aut post illam collocatur. Qua ratione tempus verum ut plurimum discrepabit à tempore medio. Nempe si Sol medius sit ad orientalem plagam communis sectionis circuli æquinoctialis cum circulo declinationis per centrum Solis veri transeunte, Sol verus citius attinget meridianum, quam Sol medius; ideoque tenpus verum superabit tempus medium. Quod si Sol medius sit ad partem occidentalem ejusdem sectionis, eo casu Sol verus serius attinget meridianum, quam Sol medius; itaque tempus medium superabit vicissim tempus verum. Et quoniam priori casu Solis longitudine media superat ejus adscensionem rectam; altero vero casu media Solis longitudine deficit ab ejus adscensione recta, sequitur quod ut tempus

pus verum superet tempus medium, necesse sit Solis longitudinem medium excedere ejus adscensionem rectam; ut vero tempus medium superet tempus verum, necesse sit Solis adscensionem rectam superare vicissim ejus longitudinem medium.

571. Itaque quum tempus adparens sive verum revocandum est ad tempus medium, investigare prius oportet num Solis media longitudo æqualis sit, major, aut minor ejus adscensione recta. Nam si media Solis longitudo ad tempus datum adæquat ejus adscensionem rectam, tempus medium idem erit cum tempore vero. Quod si vero media Solis longitudo superet Solis adscensionem rectam, tempus verum superabit tempus medium; atque adeo addendum aliquid erit temporis medio, ut habeatur tempus verum. Denique si media longitudo Solis minor sit ejus adscensione recta, tunc tempus verum deficiet à tempore medio; quapropter subtrahendum aliquid erit de tempore medio, ut obtineatur tempus verum. Cæterum uteatur his regulis quoties tempus adparens, sive verum revocandum est ad medium; etenim quum tempus medium vicissim in verum convertendum est, contrariae regulæ erunt adhibendæ.

572. Ut autem id, quod addi, aut demin debet de tempore vero investigemus ad hoc ut tempus medium obtineatur, advertendum est discriminem temporis veri à tempore medio oriri ab arcu illo æquatoris, qui inter circumflexum declinationis per centrum Solis veri transeuntem, & Solem medium interjacet; qui quidein arcus æquatis est differentia longitudinis mediae Solis, & ejus adscensionis rectæ. Itaque ad tempus æquandum invenienda est differentia inter Solis longitudinem medium, & ejus adscensionem rectam: deinde differentia ista convertenda est in minuta horaria: nam tempus inde conflatum illud erit, quod interdum addere interdum vero subtrahere oportebit ex tempore vero, ad hoc ut tempus æquale, sive medium obtineatur.

573. Atque hæ sunt regulæ temporis æquandi: superest ut cauſas hujus æquationis attingamus. In supputandis motibus corporum cœleſtium dies omnes in-

ter se æquales supponere oportet. Etenim si dies unus longior esset alio, non posset Sol quotidie minuta §9. 8 in motu medio describere, sed si die una hoc iter peragaret, in die longiore describeret iter aliquantillo majus, in die breviore iter aliquantillo minus. At vero dies naturales revera sunt inæquales: itaq;nisi hujus inæqualitatis ratio habeatur perspecta, motus cœlestes ex tabulis deprompti à phænomenis dissidebunt. Hæc causa est, quapropter astronomi de æquando tempore tantopere solliciti sint, atque jubeant tempus adparens revocari ad medium: hac enim ratione dies, qui revera inæquales sunt, ad æqualitatem rediguntur, omnisque errorum suspicio è calculis subducitur.

## C A P U T U L T I M U M .

*De Telluris longitudine, ejusque à Sole  
distantia supputanda.*

574. **V**idimus hactenus quomodo ex idoneis observationibus erui possit tum apsidum positionem tempus, quo Tellus versabatur aliquando in aphelio; vidimusque etiam quemadmodum ellipsoes Terrestris magnitudo speciesq. determinari queat. Inquirendum nunc, quomodo investigetur locus verus Telluris ad tempus datum, atque ipsius à Sole distantia. Et primo quidem investigari debet locus aphelii ad datum tempus; nempe si tempus datum posterius sit tempore, ad quod aphelii locus fuit determinatus, ad longitudinem aphelii jam definitam addendus est apsidum motus interea factus; cuius motus quantitas annua quomodo definiatur, suo loco expositum est. At vero si tempus datum antecedat tempus, ad quod aphelii locus fuit definitus, ex supradicta aphelii longitudine subtrahendus est apsidum motus interea factus; utroque enim casu habebitur locus aphelii ad tempus datum.

575. Deinde quoniam datum supponitur tempus, quo tempore Terra aliquando aphelium tenuit, dataq;

que etiam est periodus Telluris anomalistica, ex comparatione temporis dati cum tempore, quo Tellus in aphelio versabatur, eruetur ratio inter tempus periodicum Telluris & tempus elapsum à proximo aphelio. Quocirca anomalia media Telluris ad tempus datum non ignorabitur. At vero ex datis anomalia media Telluris & orbitæ excentricitate facile est invenire anomaliam veram ASP per metodos supra explicatas; itaque ad datum tempus cognitus erit angulus anomaliae veræ ASP. Sed datur, uti vidimus, locus aplidis A ad tempus datum; ergo ad idem datum tempus dabitur longitudine Telluris.

576. Distantiam vero Telluris P (*Fig. 56.*) à Sole S ad tempus datum ita investigabimus. Quoniam datus est angulus anomaliae veræ PSA, dabitur etiam angulus QSA: quum tangens anguli QSA ad tangentem anguli PSA sit in ratione data QO ad PO, sive etiam EC ad DC. Itaque in triangulo QCS, in quo dantur adhuc latera QC, CS, invenire licebit basim QS. Et quoniam sumpto SO pro radio, sive sinu toto QS evadit secans anguli QSO, & PS secans anguli PSO, faciendo ut secans anguli dati QSO ad secantem anguli dati PSO, ita data QS ad PS, invenietur distantia Telluris à Sole ad tempus datum.

577. Sed locus Telluris sic inventus nulla eget correctione, si tempus datum medium est; in ista enim hypothesi locus inventus est verus. At si tempus datum sit verum, operæ pretium prius erit tempus verum in medium convertere. Et quoniam ad conversionem istam perficiendam necesse est prænoscere tum medianam Solis longitudinem ad tempus datum, quum ipsius ascensionem rectam, utemur hac in re loco Solis modo invento, qui etsi accuratissimus non sit, tamen idoneus erit ad temporis æquationem eruendam; ea enim ad sensum eadem manet sive locus Solis sit is, quem modo invenire docuimus, sive sit verus & correctissimus. Tempore vero in medium converso, queratur iterum locus Solis; is enim, qui invenitur, erit correctus & accuratus. Etenim, uti ad calcem superioris *Capitis* dictum est,

temp.

tempus medium solum aptum est ad usus astronomicos.  
Itaque quum ad tempus medium ex dato tempore vera  
eruendum locus Solis esset necessarius , ille præterpro-  
pter fuit prius inveniendus, supponendo tempus adpa-  
rens datum idem esse cum tempore medio .

## SECTIO QUINTA.

### *De reliquorum Planetarum Theoriis .*

578. **T**elluris theoria superiori Sectione explicata, sequitur modo ut reliquorum planetarum Saturni , Jovis , Martis , Veneris atque Mercurii theo- rias enodare hic adgrediamur . Planetæ autem , de quo- rum motu hac quinta Sectione est nobis differendum , in eo convenient cum Tellure, quod inæqualitatem ab orbitæ excentricitate, elliptica figura , atque velocita- tis continua mutatione oriundam & ipsi pariter expe- riantur : etenim ad instar Telluris moventur in orbi- bus ellipticis , atque areas continenter describunt circa Solem in communi orbitalium foco constitutum tem- poribus proportionales . Verum præter iltam inæqua- litatem , quam primam appellant astronomi, inæquali- tatem alteram patiuntur , quam secundam & opticam dicere solent ; cujus quidem inæqualitatis origo non ex ulla planetarum vicinitudine , aut perturbatione , sed ex motu Telluris circa Solem proficiscitur . Quum enim Tellus feratur continenter circa Solem , raro ac- cident ut planeta spectatus è Tellure adpareat in eodem loco , in quo videtur è Sole : id quod sic ostenditur.

579. Repræsentet ATBt (Fig.64.) orbem Telluris,in cuius foco altero S resideat Sol, itaq; planeta aliquis in P. Conjugatur recta PS , eaque protendatur usque ad B , & R , quorum punctorum primum pertinet ad orbem Telluris , alterum autem ad fasciam Zodiaci , sub quo planetæ moveri videntur . Quibus ita constructis ma- nifestum est, locum planetæ heliocentricum, sive visum ex Sole, eundem proorsus fore cum loco geocentrico, si-

ve

ve cum loco viso è Tellure, si Tellus sit vel in A, vel in B, scilicet si Sol ex Tellure visus vel jungatur planetæ, vel eidem sit oppositus: semper enim is conspicietur in puncto R. At vero si Tellus sit in T vel in z, eo casu locus geocentricus planetæ, qui adparebit in Q vel in q, longe diversus erit à loco heliocentrico ejusdem planetæ, ut pote qui è Sole referetur ad punctum R.

580. Quum autem in his planetis distinguantur loca *heliocentrica & geocentrica*, non sat est heliocentrica loca inveniendi methodum tradidisse, sed postquam loca ista reperta sunt, necessum est ad investigationem locorum geocentricorum gradum facere. Præterea quum planetæ isti moveantur in planis ad eclipticæ planum diversimode inclinatis, ut eorum positio respectu eclipticæ innotescat, cognoscenda est quum longitudo, tum latitudo uniuscujusque planetæ. Quapropter quum in Tellure quæri tantum soleat longitudo, ejusque à Sole distantia ad tempus datum, in planetis cæteris, prætes hæc, investigare item oportet latitudinem, sive eorum ab ecliptica distantiam.

## C A P U T P R I M U M.

*Qua ratione Planetarum tempora periodica possint determinari.*

581. ET primo quidem loco oportet planetarum periodos, sive tempora, quibus temporibus singuli suas circulationes absolvunt circa Solem mensuris, quam fieri potest accuratissimis, comprehendere. Id autem nullam difficultatem involveret, si nos in Sole essemus constituti: observando enim planetas singulos bis in eadem longitudine, dividendoque tempus eplum à prima observatione ad secundam per numerum revolutionum, obtineretur tempus unius revolutionis. Nunc autem quum nos haud quidem in Sole, sed in Tellure, quæ circa Solem continuo fertur, simus constituti, res aliquam difficultatem patitur: si enim obser-  
vemus

vemus ex Tellure planetam bis in eadem longitudine, tempus elapsum à prima observatione ad secundam haud quidem æquale erit temporis revolutionis periodicæ, sed vel majus erit vel minus; id quod sic ostenditur.

582. Esto S Sol (Fig. 64.), circa quem revolvatur Tellus T, & planeta P, itaq; primum Tellus in T, & planeta in P. Observator in Tellure constitutus conspiciet planetam sub loco firmamenti Q. Sed regresso planeta ad P, adeoque completa integra revolutione, sit Tellus in loco z: tunc idem planeta spectabitur à Telluris superficie sub loco firmamenti q longe diverso à priori loco Q: adeoque quamquam planeta integrum revolutionem compleverit, nihilominus videbitur ex Tellure vel multo ante, vel non adhuc eam explevisse.

583. Quum itaque per longitudines geocentricas determinari nequeant tempora periodica planetarum, videndum est quomodo ex locis geocentricis, quæ immediatis observationibus definiri possunt, erui queant loca heliocentrica, quæ observari immediate non possunt. Et quidem quod attinet ad planetas superiores, ipsi, quum ad oppositionem Solis venerunt, sive conspiciantur è Sole, sive conspiciantur è Tellure, semper ad idem eclipticæ punctum referuntur; adeoque in hoc situ heliocentrica loca à geocentricis non differunt, quibus observatis ea statim evident manifesta. Ad planetas vero inferiores quod attinet, quum ipsi Soli inferius conjungantur, inque ipso Solis disco cernuntur, tunc, si ex Sole spectari possent, ad punctum eclipticæ oppositum referrentur: itaque eo casu planetarum loca heliocentrica geocentricis ex diametro opponentur; atque adeo illis observatis hæc evident manifesta.

584. Præterea quando planetæ inferiores sunt in maximis à Sole elongationibus, eo tempore angulus ad Solem, quem comprehendunt rectæ lineaæ ad ipsum duæ à Tellure & planeta, æqualis est complemento elongationis ejusdem planetæ à Sole: etenim in orbibus quasi circularibus linea orbem contingens perpendicularis est ad rectam, quæ à Sole ducitur ad punctum contactus: at vero comparari per observationem potest angulus

gulus elongationis maximæ planetæ à Sole ; quare cognoscetur etiam prædictus angulus ad Solem, qui elongationem planetæ à Tellure è Sole visam metitur: atqui datur longitudo Telluris, sive distantia ipsius ab initio Arietis: quare dabitur quoque longitudo planetæ heliocentrica , sive ejus distantia ab eodem initio Arietis è Sole visa.

§85. Quibus positis facile nunc erit qualem quam temporum periodorum notitiam nobis comparare . Etenim si investigandum ex.gr. sit tempus periodicum Jovis , observandus is erit semel , atque iterum in oppositione cum Sole , temporaque utriusque observationis & loca sunt exscribenda : ex binis enim his observationibus dabitur arcus Zodiaci , quem Juppiter è Sole conspectus interea temporis descriplit : itaque faciendo ut arcus hicce ad integrā circumferentiam , ita tempus inter duas observationes elapsum ad quartum proportionalem , dabitur exinde quam proxime tempus planetæ periodicum . Dixi quam proxime: nam hæc in methodus supponit motus planetarum fieri per circumferentias circulorum, supponitque præterea planetas incedere motu æquabili, quorum neutrum verum est. Non dissimiliter colligentur planetarum inferiorum tempora periodica , si scilicet ipsi bis obseruentur vel in suis cum Sole inferioribus conjunctionibus , vel in elongationibus maximis.

§86. Quum autem per istam methodum nonnisi quam proxime planetarum tempora periodica conoscerre liceat , ad sequentem aliam methodum accuratissimam est configendum . Observetur quilibet planeta bis in eodem nodo , hoc est binæ fiant observationes planetæ, quando is ex eadem orbitæ parte nullam latitudinem habuerit ; id quod tunc tantum potest contingere , quum is versatur in nodo : aliis enim temporibus semper latitudinis aliquid habere debet . Tempus inter binas observationes elapsum procul dubio æquale erit tempori periodico . Nam quum planetæ moveantur in planis diversimode ad eclipticæ planum inclinatis , Sol autem in communī orbitalium omnium foco

refi-

resideat, orbitæ omnes, ut fusiùs alibi demon stratum est, secabunt eclipticæ planum in totidem lineis per Solem transeuntibus, quæ quidem lineæ ad eclipticam usque productæ nodis occurserent. Planeta autem in singulis revolutionibus nonnisi semel in nodo uno spectari potest: Itaque quum nodi vel quiescant, vel tardissime moveantur, adeoque una revolutione labente tamquam quiescentes haberi possint, quum planeta adpellit ad nodum, ad eamdem longitudinem heliocentricam redisse putandum est; atque adeo ex dato tempore inter duos continentes planetæ ad eundem nodum adpulsus, innotescet planetæ periodus.

587. Ut autem per methodum istam accuratius degantur tempora periodica planetarum, præstat observationes adhibere longo sæculorum intervallo inter se dissitas: ita enim si quis error admissus fuerit in observationibus, is divisione facta per magnum annorum numerum omnino evadet insensibilis. Sed quum id accidit motus nodorum interea factus negligendus non est: etenim quamquam nodi uno vel altero anno ad sensum stare videantur, tamen post plura sæcula sensibiliter discessisse è locis suis deprehenduntur: itaque ne in temporibus planetarum periodicis definiendis hac ex parte peccetur, habenda erit ratio motus nodorum, cuius motus quantitas quomodo investigetur, sequenti Capitulo docebitur.

588. Inventis temporibus periodicis planetarum, eorum motus medios diurnos investigare licet: fiat enim ut tempus periodicum cuiusvis planetæ ad diem usum, ita 360 gradus ad quartum proportionalem: is enim quantitatem motus medii diurnam designabit, Nempe si planeta aliis fictis moveri intelligatur per orbitam planetæ veri cum tali semper velocitate angulari, ut quotidie describat quantitatem supradictam, is eodem proflus tempore integrum orbitam peragrabit.

CA-

## CAPUT SECUNDUM.

*Quomodo situs motusque nodorum investigari possint, exponitur.*

589. **N**odorum situs investigatur observando planetam bis in eodem nodo, sive observando planetam bis ex eadem orbitæ parte tunc, quum nullam proorsus habet latitudinem: eo enim tempore ipsum in nodo versari necesse est. Esto (Fig. 65.)  $\text{N}$  linea nodorum,  $\text{T}$  orbita Terrestris,  $\text{Pp}$  orbita planetæ, cuius nodorum positio investiganda proponitur,  $\text{S}$  focus utriusque orbitæ communis, in quo residet Sol fixus immutusque, &  $\text{P}$  planeta bis conspectus in linea nodorum ex eadem parte Solis, semel quin Tellus versabatur in puncto  $\text{T}$ , iterum quum verlabatur in loco  $\text{t}$ . Ducantur rectæ  $\text{TS}$ ,  $\text{TP}$ ,  $\text{tS}$ ,  $\text{tP}$ , sique  $\text{X}$  punctum, in quo rectæ  $\text{tS}$ ,  $\text{tP}$  se se mutuo secant.

590. Quoniam Tellure existente in loco  $\text{T}$  datur ejus longitudo, sive ipsius distantia ab initio Arietis, daturque etiam longitudo Telluris progressæ ad locum  $\text{t}$ , ex duarum istarum longitudinum intervallo dabitur angulus  $\text{TSt}$ . Præterea quoniam data sunt loca Solis  $\text{S}$  & planetæ  $\text{P}$ , dum Tellus versatur in  $\text{T}$ , dabitur angulus  $\text{PTS}$ , qui elongationem unius ab altero metitur. Itaque in triangulo  $\text{STX}$  dati erunt omnes anguli; atqui datur insuper latus  $\text{TS}$ , distantia scilicet Telluris à Sole; quare inveniri poterit tum latus  $\text{SX}$ , quum angulus  $\text{SXT}$ : notum est enim in quovis triangulo ex tribus cognitis reliqua cognosci facile posse.

591. Rursus quoniam datur distantia  $\text{St}$  Telluris existentis in  $\text{t}$  à Sole  $\text{S}$ , daturque etiam latus  $\text{SX}$  modo inventum, dabitur eorum differentia  $\text{tX}$ : quapropter in triangulo  $\text{tXP}$  dabitur tum latus  $\text{tX}$  quum angulus  $\text{tXP}$ , quippe qui æqualis est angulo  $\text{SXT}$  jam cognito; sed datur etiam angulus  $\text{XtP}$ , qui elongationem planetæ à Sole in secunda observatione metitur: quare dabitur

288 PHILOSOPHIÆ NATURALIS  
tur distantia  $\angle$  Telluris à planeta in secunda observa-  
tione.

592. Denique in triangulo  $\triangle PS$  quum dentur bina  
latera  $\angle P$ ,  $\angle S$  jam inventa una cum angulo ab ipsis com-  
prehenso  $\angle PS$ , invenire licebit tum latus  $PS$ , quod di-  
stantiam planetæ à Sole adæquat, quum angulum  $\angle SP$ ,  
quem reæ ad Tellurem & planetam à Sole ductæ com-  
prehendunt. Atqui supponitur planeta versari in nodo;  
quare cognoscetur distantia heliocentrica Telluris à no-  
do N: datur autem longitudine Telluris  $\pm$ : nempe distan-  
tia ipsius ab initio Arietis: itaque dabitur etiam longi-  
tudo heliocentrica nodi. Et quoniam nodus alter  $\pm$   
priori N ex diametro opponitur, locus heliocentricus  
alterius nodi distabit à priori jam invento per gradus  
180, sive per signa sex.

593. Invento nodorum situ, ipsorum motus facile  
determinabitur: comparandus est enim locus unius  
nodi ex veterum observationibus erutus cum loco ejus-  
dem nodi ex novissimis observationibus deducto, atque  
differentia longitudinum dividenda est per tempus in-  
terjectum. Et ne quis error in observationibus admissus  
officiat huic determinationi, præstat observations lon-  
gissimo temporis intervallo dissitas adhibere: sic enim  
error ille in partes innumeras distributus prorsus eva-  
nescent.

594. Postquam autem motus nodorum annuus ex  
observationibus ad id utilibus erutus est, comparari is  
debet cum annua æquinoctiorum præcessione, quæ  
communiter statuit secundorum 51: etenim si motus  
annuus nodorum adæquet annuam præcessionem æqui-  
noctiorum, inditio id erit nodos quiescere, eorumque  
motum adparentem oriri ex punctorum æquinoctia-  
lium motu versus partem contrariam: at vero si motus  
nodorum superet annuam præcessionem æquinoctio-  
rum, eo casu nodos moveri necesse est ab occasu in or-  
tum; subtrahendo autem ex motu nodorum annuam  
æquinoctiorum præcessionem, id quod supereat annuum  
motum verum ipsorum nodorum adæquabit.

595. Ex isto nodorum motu sive reali, sive adpa-  
renti

renti fit ut planetæ serius adpellant ad nodum, ex quo profecti sunt, quam ad eamdem longitudinem, ut alibi demonstratum est: unde tempus planetæ periodicum nonnihil brevius est tempore illo, intra quod planeta digressus à nodo uno regreditur ad eundem nodum. Et quamquam discrimen istud contemni posse in uno vel altero anno, in pluribus tamen annis negligi minime potest. Itaque ut ex duplice planetæ observatione in eodem nodo habita eruatur accuratissime tempus periodicum planetæ, habenda est ratio motus nodorum; nempe ex ejus motu à prima observatione ad secundam detrahendus primo est motus nodorum eodem tempore factus, deinde vero residuum dividendum est per tempus interiectum; hac enim ratione accuratissime habebitur tempus periodicum.

### CAPUT TERTIUM.

*Quomodo quantitas inclinationis Orbitarum  
ad Eclipticæ planum definiri possit. Item  
de Orbitarum magnitudines possi-  
tionesque investigandi  
ratione.*

596. Inventis nodorum locis, nullo negotio investigabitur quantitas inclinationis orbitalium ad planum eclipticæ: sed quoniam observationes ad id idoneæ postulantur, expedienter erit tempus, quo tempore Terra versatur in linea nodorum orbis planetæ, de cuius inclinatione investiganda agitur. Neque sane id cognoscere difficile est: datur enim tum positio nodorum, quum theoria motus Telluris; atque adeo inniri poterit tempus, quo tempore Tellus versari debeat in data longitudine.

597. Referat itaque NB<sub>n</sub> (Fig. 66.) eclipticam, & NA<sub>n</sub> viam propositi planetæ à Sole visam inter fixas, S Solem, & NS<sub>n</sub> lineam nodorum, cuius positio quum

TOM. II.

T

data

data sit, dabitur arcus HN ab initio Arietis H ad nodum usque N in consequentia numeratus. Quando Tellus hanc nodorum lineam asequitur, quod bis quotannis contingit, observetur planetæ P locus geocentricus A, cuius longitudo (demissio ex puncto A ad eclipticæ planum perpendiculari circulo AB) erit arcus HB, latitudo autem erit angulus planus ANB rectis lineis NA, NB comprehensus. Observatione ergo datus eo tempore erit tum arcus HB, qui longitudinem planetæ referit, quem angulus ANB, qui ejusdem latitudinem designat: at datus est arcus HN: quare dabitur eorum differentia BN.

598. Ducantur nunc ex centro Solis S rectæ lineæ Sa, Sb, quarum prior parallelæ sit rectæ NA, altera vero parallelæ sit rectæ NB: eritque non modo angulus aSb æqualis angulo ANB, verum & planum aSb parallelum erit planum ANB: atqui planum istud ad eclipticam est perpendicularare: quare etiam planum aSb normale erit ad eclipticam: ducoque idcirco arcu ab, is perpendiculariter occurret eidem eclipticæ. Præterea quum rectæ NB, Sb parallelæ sint inter se, arcus eclipticæ Bb, per ea quæ initio hujus *Libri secundi* dictæ sunt, exiguis erit, nulliusque magnitudinis, si universam eclipticæ amplitudinem spectemus; adeoque arcus Nb, idem erit cum arcu NB. Quare in triangulo rectangulo sphærico Nba dabitur arcus Nb ut pote æqualis arcui NB, & arcus ba, qui metitur angulum bSa, sive ipsi æqualem BNA jam cognitum: unde cognoscetur angulus bNa, qui inclinationem orbis planetæ ad eclipticæ planum metitur.

599. Inventa semel hac inclinatione, inveniri poterunt quot libuerint loca planetæ heliocentrica datis locis geocentricis correspondentia, ejusque à Sole distantiae; quibus habitis facile deinde erit orbem ipsum planetæ definire: qua quidem in re duo casus distinguendi sunt. *Primus* casus est quando planeta Soli opponitur. *Alter* casus est quando planeta in quovis alio situ constituitur: priori casu referat ATB (Fig. 67.) orbitam Telluris, CPD orbitam planetæ, sitque planeta in P, Tellus in T, & Sol in S, per cujus centrum transeat linea

linea nodorum NS $\pi$ : jungatur recta TS, quæ erit in eclipticæ plano. Et quoniam planeta P est loli oppositus, ejus locus E ad eclipticam reductus mediante circulo latitudinis transcidente per planetam invenietur alio cubi in recta ST producta usque ad firmamentum: itaque angulus PTE referet latitudinem geocentricam, angulus vero PSE referet latitudinem heliocentricam, quorum angulorum uterque dabitur: nam prior cognoscetur per observationem latitudinis geocentricæ, alter vero indagabitur per solutionem trianguli rectanguli sphærici, in quo, præter angulum rectum, datur tum inclinatio orbis planetæ jam inventa, quum distantia planetæ à nodo, quæ etiam observatione innotescit. Quum enim data sit longitudo planetæ heliocentrica, quæ ex geocentrica jam observata habetur, deturque etiam nodi longitudo heliocentrica, ex utriusque latitudinis comparatione dabitur arcus inter planetam & nodum comprehensus: adeoque in triangulo rectangulo NBA (Fig. 66.) ex datis hypothenusa NA, & angulo ANB, inclinatione scilicet orbis planetæ ad planum eclipticæ, cognoscetur arcus AB, qui latitudinem heliocentricam refert.

600. Itaque in triangulo STP (Fig. 67.) dantur omnes anguli ad Solem S ad Tellurem T & ad planetam P: at vèro datur etiam distantia TS Telluris à Sole per theoriam motus Telluris: quare invenietur distantia PS planetæ à Sole ad tempus observationis. Longitudo autem planetæ heliocentrica in propria orbita ita invenietur: ex latitudine ejus heliocentrica data, atq; ex inclinatione orbitæ ipsius ad planum eclipticæ colligetur distantia planetæ à nodo in propria orbita, per solutionem scilicet trianguli rectanguli sphærici: atqui datur distantia nodi ab initio Arietis: quare dabitur etiam distantia planetæ ab initio Arietis in propria orbita; unde locus planetæ heliocentricus innotescit. Quod si aliæ duæ ejusdem planetæ observationes fiant, quando in ad Solis oppositionem iterum, deinde vero tertium rediit, dabuntur positione & magnitudine tres rectæ lineæ, quarum extremitas communis est in Sole ellipsois focum occu-

T 2 pante,

pante, extremitatem vero aliæ pertingunt ad eamdem ellipsem: unde ut determinetur planetæ orbita & situs aphidum, describenda est ellipsis, cuius focus datus est, perque tria data puncta transire debet; quod problema expedire docuimus *Sectione superiori.*

601. Ponamus secundo planetam versari extra oppositionem: hoc casu difficilior est investigatio loci heliocentrici, planetæq; à Sole distantia. Referat (Fig. 68.) PAE orbitam planetæ, TH orbitam Telluris, litque Tellus in T, planeta in P, & Sol in S, per quem transeat linea nodorum NAS. Jungatur recta ST, quæ erit in eclipticæ plano: deinde à centro planetæ P in eclipticæ planum cadat perpendicularis PB occurrens eidem piano in puncto B, quod locus planetæ *ad eclipticam reductus* solet adpellari, quemadmodum recta SB à Sole ad punctum B ducta dicitur *distantia curtata*. Jungatur puncta B, & T cum recta BT, quæ producta offendet ad lineam nodorum in aliquo puncto N: sunt enim rectæ AN, BT in eodem eclipticæ piano: jungaturque etiam PN. Et quoniam recta PB perpendicularis est ad eclipticæ planum, triangulum PBN etiam normale erit ad planum eclipticæ: itaque educta ex puncto T ad planum eclipticæ perpendiculari recta TC, occuret ea rectæ PN in aliquo puncto C. Denique ex Tellure T in lineam nodorum demittatur perpendicularis TD, jungaturque CD.

602. His ita constructis, quoniam punctum P est in piano orbis planetæ, & punctum N est in eodem piano, recta PN invenietur in eodem piano; unde quum recta TC perpendicularis sit ad planum eclipticæ, recta autem TD perpendicularis sit ad lineam nodorum, angulus TDC metietur inclinationem plani orbis planetæ ad eclipticæ planum: itaque quum detur inclinatio ista, dabitur angulus TDC. Observata autem latitudine geocentrica, innotescet pariter angulus PTB. Præterea observata longitudine planetæ, dabitur pariter angulus STB, qui elongationem planetæ ad eclipticam reducti à Sole metitur. Denique angulus TSN, qui distantiam Telluris à nodo designat, etiam dabitur: datur  
enim

enim tum locus nodi, quum locus Telluris ad tempus observationis.

603. Itaque quoniam in triangulo STN datur latus TS, distantia scilicet Telluris à Sole ad tempus observationis, danturque angulus TSN, distantia scilicet Telluris à nodo, & angulus STN, complementum scilicet ad duos rectos anguli dati STB, qui elongationem Solis à Planeta ad eclipticam reducti metitur, dabitur latus TN. Similiter quoniam in triangulo rectangle TSD datur latus TS una cum angulo TSD, dabitur latus TD: unde in triangulo rectangle TDC ex datis latere TD & angulo TDC, inclinatione scilicet orbis planetæ ad eclipticam, elicetur latus TC. Quare quum in triangulo rectangle TCN dentur latera TN, TC, dabitur angulus TNC: adeoque in triangulo NTP dabuntur omnes anguli (datus quippe est angulus latitudinis geocentricæ PTB) una cum latere TN: unde innotescet latus TP.

604. Et quoniam in triangulo rectangle TBP datur hypothenusa TP una cum angulo latitudinis geocentricæ PTB, invenientur latera TB, BP. In triangulo autem TSB ex datis lateribus TS, TB una cum angulo STB, invenietur distantia curtata SB. Denique in triangulo rectangle SBP ex datis lateribus SB, BP invenietur tum hypothenusa SP, quæ distantiam planetæ à Sole representat, quum angulus latitudinis heliocentricæ PSB. Data autem inclinatione orbitæ & latitudine heliocentrica, dabitur ejus distantia à nodo in propria orbita, cui addendo longitudinem nodi, conficit longitudine heliocentrica planetæ. Quod si consimili modo comparentur duo alia planetæ loca heliocentrica, eorumque à Sole distantiae, habebitur focus S ellipsois, in quo Sol refidet, & tria ejus puncta; cujus idcirco species & axeos positio determinabitur.

605. Sed alia adhuc methodo inveniri potest ad tempus datum planetæ locus heliocentricus una cum ipsius à Sole distantia, dummodo planetæ tempus periodicum habeatur præcognitum. Sit BLK (Fig. 69.) orbita Telluris, S Sol, P planeta, sive potius punctum, ubi

perpendiculæ à centro planetæ ad planum eclipticæ demissa occurrit eidem plano, quod punctum *locus planetæ ad eclipticam reductus* appellatur. Primo autem, quum Tellus est in K, obseruetur tum planetæ longitudo geocentrica, quum longitudo Solis: exinde enim dabitur angulus PKS, qui elongationem planetæ ad eclipticam reducet à Sole repræsentat. Absoluta integra planetæ periodo is rursus erit in P, quo tempore Tellus existat in L: ex quo loco obseruentur secundo loca Solis atque planetæ, ut elicatur angulus PLS, elongatio scilicet planetæ ad eclipticam reducet à Sole. Et quoniam ad tempus utriusque observationis dantur ex theoria Telluris tum loca K & L, quum Solis à Tellure distantæ, in triangulo SKL ex datis lateribus SK, SL & angulo KSL invenientur anguli SKL, SLK una cum latere KL: atqui dati sunt anguli SKP, SLP: quare dabuntur etiam anguli PKL, PLK: unde in triangulo PLK ex datis omnibus angulis & latere KL, invenientur latera PK, PL. Denique in triangulo PKS ex datis lateribus PK, KS una cum angulo PKS dabitur latus PS, distantia scilicet curtata, & angulus KSP.

606. Sit nunc X locus planetæ verus in recta PX, quæ normalis est ad planum eclipticæ, à quo ad punctum K ducatur XK. Et quoniam PX est perpendicularis ad planum eclipticæ, in quo plano sunt rectæ PK, PS, erunt anguli XPK, XPS recti: quare in triangulo rectangle KPX ex datis angulo PKX, latitudine scilicet geocentrica, & latere PK invenietur perpendicularum PX: deinde, juncta recta SX, in triangulo rectangle XPS ex datis latere PX, & distantia curtata PS, invenietur non modo angulus PSX, qui latitudinem heliocentricam repræsentat, verum etiam distantia SX planetæ à Sole: ex data autem latitudine heliocentrica, nullo negotio invenietur ejus longitudo heliocentrica, ut jam traditum est. Quod si hac ratione comparentur tria loca centrica planetæ, tresque correspondentes ejus à Sole distantiae, magnitudo speciesque ellipsoes apsidumque positio habebitur describendo ellipsem, cuius focus unus est in Sole, quæque transit per tria puncta data.

CA,

## CAPUT QUARTUM.

*Quomodo Planetarum loca heliocentrica, eorumque à Sole distantiae ad tempora data possint supputari.*

607. **H**AECENUS constituta sunt elementa, ex quibus motus planetarum cum heliocentrici, quum geocentrici dependent: oitenum est enim quomodo tempora planetarum periodica, motus medii, situs apsidum & nodorum, orbitaliumque species atque amplitudines idonearum observationum adminiculo possint definiri. Sequitur nunc ut ipsos motus sive heliocentricos sive geocentricos supputare doceamus. Et quoniam geocentrici motus elicuntur simul ex heliocentricis exque Telluris theoria, nisi prius heliocentricorum motuum ratio perspecta nobis sit, frustra geocentricos definire adgrediemur. Itaque hoc *Capite* de supputandis motibus heliocentricis, sequenti autem de motuum geocentricorum computandi ratione agemus.

608. Sed prius definitiones nonnullae præmittendæ sunt. Referat *Tt* (Fig. 70.) orbem Telluris, *AMN* orbem planetæ, *S* Solem in communi utriusque orbitæ foco collocatum, & *Nn* lineam nodorum per centrum Solis transeuntem. Intelligentur plana utriusque orbis produci usque ad firmamentum; signabitur ibi duplex circulus maximus, quorsū unus HOE eclipticam Telluris repræsentabit, alter ROV eclipticam planetæ referet, quorum circulorum communis sectio erit eadem nodorum linea *Nn* ad firmamentum usque producta, eaque nodos O, & o signabit in Cœlo. Denique sit AP linea apsidum planetæ, A apsis summa, P apsis ima, B locus apsidis summæ in firmamento, C locus apsidis imæ in eodem firmamento.

609. Jam si initium Arietis statuatur in H, & sumatur in ecliptica planetæ arcus OR æqualis arcui OH, erit punctum R initium Arietis in ecliptica planetæ,

T 4

atque

atque longitudo nodi O designabitur tum per arcum HO, quuni per arcum RO; longitudo autem aphelii A representabitur per arcum ROB. Quod si supponamus planetam versari in loco M, recta SM jungens centra Solis & planetæ producta signabit in orbita ejusdem planetæ punctum V, in quo ipse adparebit visus è Sole: ad oque arcus ROV dicetur *longitudo heliocentrica* planetæ in orbe suo, arcus vero BV *anomalia vera* planetæ: denique arcus OV inter nodum O & planetam comprehensus *distantia planetæ à nodo*, sive *argumentum latitudinis* adpellabitur.

610. Et quoniam planetæ in M est extra planum eclipticæ, si ex centro planetæ ad planum eclipticæ demissam intelligamus perpendicularē MQ, quæ occurrat eidem piano in punto Q, dicetur hoc punctum *locus planetæ reductus ad eclipticam*; recta vero SQ *distantia planetæ curtata*, quemadmodum recta SM *distantia vera* dicetur. Quumque recta MQ perpendicularis sit ad eclipticam, triangulum SMQ erit etiam ad eclipticam normale: ideoque planum hujus trianguli ad firmamentum usque productum signabit ibi circulum maximum per locum planetæ V transeuntem, qui eclipticam cœlestem ad angulos rectos secabit in punto E. Itaque arcus HOE erit *longitudo planetæ heliocentrica* in ecliptica Telluris, in qua revera computantur longitudines, arcus vero EV erit ejusdem planetæ *Intitudo heliocentrica*.

611. Sit nunc Tellus in punto T, à quo ad puncta M, & Q duæ intelligentur lineæ rectæ TM, TQ. Et quoniam recta MQ perpendicularis est ad planum eclipticæ, etiam triangulum TMQ normale erit ad idem planum: adeoque planum hujus trianguli ad firmamentum usque productum signabit ibi circulum ad sensum maximum GK, qui secabit eclipticam ad angulos rectos in punto K. Itaque quum G sit locus planetæ visus à Tellure, erit K locus ejusdem planetæ *reductus ad eclipticam*: adeoque arcus HOK erit *longitudo vera geocentrica* planetæ existentis in punto M, arcus KG erit *latitudo vera geocentrica* ejusdem planetæ.

612. His

612. His definitionibus præmissis, videamus mode quomodo inveniatur locus planetæ heliocentricus ad tempus datum, ejusq; à Sole distantia. Et *primo* quidem inveniendus est locus aphelii ad tempus datum: nempe si tempus datum posterior fit tempore, ad quod aphelii locus fuit jam determinatus, ad longitudinem aphelii jam inventam addendus est motus apsidum interea factus, cuius motus quantitas annua quomodo inveniatur, suo loco explicatum est. At vero si tempus datum præcedat tempus, ad quod aphelii locus fuit definitus, ex supradicta aphelii longitudine subtrahendus est apsidum motus interea factus: utroque enim casu habebitur locus aphelii ad tempus datum.

613. Deinde quoniam data est aphelii longitudo, dabitur tempus, quo tempore planeta novissime in aphelio versabatur: unde ex comparatione temporis dati cum tempore, in quo planeta versabatur in aphelio, eruetur ratio inter tempus unius revolutionis anomalisticae & tempus elapsum à proximo aphelio: adeoque anomalia media planetæ ad tempus datum non ignorabitur. Atqui ex datis anomalia media & eccentricitate orbitæ facile est invenire anomaliam veram per methodos traditas *Sectione superiori*: quare ad tempus datum cognoscetur angulus anomaliae veræ: unde quum detur aphelii longitudo ad tempus datum, dabitur ad idem tempus longitudo planetæ heliocentrica in ecliptica propria.

614. Distantiam vero planetæ P (*Fig. 56.*) à Sole S ita investigabimus. Quoniam datur angulus anomaliae veræ PSA, dabitur etiam angulus QSA: quum tangens anguli QSA ad tangentem anguli PSA sit in ratione data QO ad PO, sive etiam EC ad DC. Itaque in triangulo QCS, in quo dantur adhuc latera QC, CS invenire licebit basim QS. Et quoniam sumpta recta SO pro radio sive sinu toto, sit QS secans anguli QSO, & PS secans anguli PSO, si fiat ut secans anguli QSO ad secantem anguli PSO ita QS ad PS, invenietur distantia PS planetæ à Sole ad tempus datum.

615. Sed longitudo heliocentrica sic inventa numeratur

tur in orbita planetæ: ut vero inveniatur longitudo heliocentrica in ecliptica Telluris (in qua revera numerantur longitudines tum heliocentricæ, quum geocentricæ) investigandus erit ante omnia locus nodi O (Fig. 70.) ad tempus datum: nempe si tempus datum posterius sit tempore, ad quod nodi locus fuit olim determinatus, ad longitudinem nodi jam repartam addendus est motus nodorum interea factus; at vero si tempus datum antecedat tempus, ad quod nodi locus fuit determinatus, ex supradicta nodi longitudine subtrahendus est motus nodorum interea factus. Inventa nodi longitudine RO ad tempus datum, subtrahenda ipsa est ex longitudine heliocentrica planetæ ROV jam inventa; supererit enim argumentum latitudinis OV. Itaque in triangulo rectangulo OVE ex datis hypothenufa OV, & inclinatione orbis planetæ ad eclipticam, scilicet angulo VOE, invenietur tum latitudo heliocentrica VE, quum arcus OE; cui addendo arcum OH, habebitur longitudo planetæ heliocentrica HOE in ecliptica Telluris numerata.

616. Sed est hic advertendum, quod ut locus planetæ sic inventus sit accuratissimus, necesse prius sit tempus datum, si adparens fuerit, ad medium revocare: ut enim alibi demonstratum est, tempus medium solum aptum est ad astronomicos computus: itaque antequam inveniantur hujusmodi calculi, oportebit tempora data, si vera fuerint, in media convertere. Id autem obtinebitur si ad ea tempora querantur tum Solis longitudines mediae, quum adscensiones rectæ correspondentes: earum enim intervalla conversa in scrupula horaria seuationem temporis suppeditabunt: Sed de hac re fusse actum est *Capite VII. Sectionis superioris*, ubi de temporis aquandi causis, & regulis disputatum est.

CA:

## CAPUT ULTIMUM.

*Quomodo Planetarum loca geocentrica ad  
data tempora supputari possint ,  
ostenditur .*

617. Supereft ut expediamus quomodo ex locis heliocentricis jam inventis erui possint loca planetarum geocentrica ad tempora data . Sane si ad tempus datum supputari posset elongatio planetæ ad eclipticam reducti à Sole , locus geocentricus planetæ ad idem tempus minime ignoraretur . Sit enim in eodem schema 70 T Tellus, S Sol, & M planeta, à quo ad eclipticæ planum demittatur perpendicularis MQ : junctis rectis TS, SQ, TQ efficietur triangulum TQS in plano eclipticæ ad Tellurem scilicet, ad Solem, & ad planetam ad planū eclipticæ reductum ; in quo triangulo angulus ad Tellurem STQ, sive ITK metitur elongationem Solis à planeta ad eclipticam reducto: quod si hic angulus datus sit , eo ipso dabitur longitudo planetæ geocentrica HOK : nam dato angulo STQ dabitur arcus eclipticæ IK , qui angulum illum metitur : itaque quum per theoriam Telluris ad datum tempus detur longitudo Telluris , & consequenter longitudo Solis , quæ illi ex diametro opponitur , conferendo Solis longitudinem cum arcu eclipticæ jam cognito IK , cognoscetur arcus eclipticæ HOK ab initio Arietis usque ad planetam inconsequentia numeratus . Neque hic nos morari debet, quod arcus eclipticæ IK revera sit mensura anguli ISK , non autem anguli ITK: etenim angulus SKT, qui est differentia angulorum ISK , ITK insensibilis est , & contemnendus , propter enormem puncti K tum à Sole quum à Tellure distantiam .

618. Eo itaque res redit ut angulum ad Tellurem STQ invenire doceamus : Id autem fiet sequenti ratione . Quoniam datur latitudo heliocentrica planetæ , in triangulo rectangulo MSQ dabitur angulus MSQ , qui

lati-

latitudinem illam metitur: unde quum MS ad SQ sit ut radius ad cosinum anguli MSQ, dabitur ratio, quam habet MS ad SQ: atque adeo ex data distantia MS planetæ à Sole dabitur distantia curtata SQ. Atqui per theoriam Telluris datur ad datum tempus distantia TS Telluris à Sole: itaque in triangulo QST dabuntur latera duo QS, ST: sed datur etiam summa angulorum SQT, STQ ad basim QT: etenim quum cognoscatur locus planetæ heliocentricus E, locusque Telluris heliocentricus D, ex horum locorum collatione dabitur arcus eclipticæ DE, adeoque angulus QST, quem arcus ille metitur, cuius ad duos rectos complementum dabit summam angulorum ad basim Q, & T. Quum autem in triangulo QST cognoscantur latera QS, ST una cum summa angulorum ad basim QT, facile elicetur differentia eorumdem angulorum, faciendo scilicet ut *summa laterum QS, ST ad eorum differentiam, ita tangens semisumma angulorum ad basim ad tangentem sensidifferentia eorumdem angulorum.*

619. Et quoniam in planetis inferioribus angulus ad Tellurem T minor est angulo ad punctum Q, in quo scilicet perpendicularis à centro planetæ demissa eclipticam offendit, si ex semisumma angulorum ad basim subtrahatur eorumdem angulorum differentia, habebitur angulus ad Tellurem: vicissim quia in planetis superioribus angulus ad Tellurem major est angulo ad punctum Q, si ad semisummam angulorum ad basim addatur eorum semidifferentia, habebitur angulus ad Tellurem.

620. Verum enim vero quoniam in peragendo calculo loco distantiarum SQ, ST eorum logarithmi adhibentur, ad quos expositum theorema trigonometricum aptari non potest, idcirco ab astronomis excogitatum est aliud theorema, cuius beneficio ex datis duobus lateribus trianguli, sive potius ex datis logarithmis eorum laterum, & summa angulorum ad basim inveniri posset differentia eorumdem angulorum. Theorema autem præscribit ut fiant due sequentes analogiae; scilicet ut latus magius ad latus minus ita radius ad tangentem

tem anguli, quem *mysticum* vocant: quo angulo mystico subtracto ex gradibus 45, obtinetur angulus alias, qui in secunda analogia usum præstat: fieri enim debet ut radius ad tangentem hujus anguli, ita tangens semisummae angulorum ad basim ad tangentem semidifferentiæ eoruindem angulorum.

621. Cujus quidem theorematis pers facilis est demonstratio: sit enim triangulum BAC (Fig. 71.), in quo data sint latera AB, AC, (AB autem sit latus minus & AC sit latus majus) una cum summa angulorum ABC, ACB ad basim BC. Ex puncto A educatur ad AC perpendicularis AD, fiatque æqualis ipsi AC, jungaturque DC, cui ex puncto C erigatur perpendicularis CF occurrentis rectæ DA producetæ in puncto F: denique centro A intervallo AB describatur circulus secans rectam AC productam in punctis E, & G, ad quæ ex punctis D & F ducantur rectæ DEH, FG. Et quoniam isosceles est triangulum rectangulum DAC, uterque angulorum ad basim DC erit semirectus: est autem angulus DCF rectus: itaque angulus ACF erit semirectus; atque semirectus pariter erit angulus CFA: ex quo consequitur rectas DC, CF æquales esse inter se, ut & rectas DA, AF. Itaque quum triangula DAE, GAF habeant duo latera DA, AE æqualia duobus lateribus FA, AG & angulos ad verticem A oppositos æquales inter se, habebunt reliquos angulos reliquis angulis æquales, qui quum sint alterni, erunt lineæ DEH, GF inter se parallelæ.

622. Et quoniam est recta AD æqualis rectæ AC, & AE æqualis est rectæ AB, erit ut AD ad AE, ita AC ad AB: est autem, sumpto AD pro radio sine sinu toto, AD ad AE ut radius ad tangentem anguli mystici ADE, & AC ad AB est ut latus majus ad minus: quare erit ut latus majus ad minus ita radius ad tangentem anguli mystici ADE; quo angulo subtracto exungulo ADC graduum 45, supererit angulus EDC. Et quoniam est recta CD æqualis rectæ CF, erit ut CD ad CH ita CF ad CH: est autem (propter parallelas GF, EH) CF ad CH ita CG ad CE; quare erit quoque ut CD ad CH ita CG ad CE, sive ut summa laterum CA, AB ad diffe-

geo-

rentiam eorumdem laterum CA, AB: unde quia, sumpta recta CD pro radio sive sinu toto, est CD ad CH ut radius ad tangentem anguli residui CDH, erit ut radius ad tangentem anguli residui ita summa laterum CA, AB ad differentiam eorumdem laterum. Est autem in omni triangulo ut summa laterum CA, AB ad differentiam eorumdem laterum ita tangens semisummæ angulorum ad basim ad tangentem semidifferentiæ eoruindem angulorum: quare erit quoque ut radius ad tangentem anguli residui ita tangens semisummæ angulorum ad basim ad tangentem semidifferentiæ.

623. Inventa longitudine geocentrica, indaganda est denique latitudo geocentrica. Sed prius ostendendum est sequens theorem trigoometricum: nempe quod si duo triangula rectangula MTQ, MSQ (Fig. 72.) consistant circa commune latus MQ, tangens anguli MTQ sit ad tangentem anguli MSQ reciproce ut QT ad QS sive directe ut QS ad QT. Duxta enim per punctum M recta MO parallela ipsi QS, ducatur per punctum S recta OS parallela rectæ MQ, cui occurrat hypotenusa MT producta in puncto P. Et quoniam triangula duo MQT, MOP similia sunt, erit ut MQ ad QT, ita PO ad OM; & permutoando ut MQ, sive OS ad OP ita QT ad MO sive QS: est autem, sumpta recta MO pro radio, sive sinu toto, ut OS ad OP ita tangens anguli OMS sive MSQ ad tangentem anguli OMP, sive MTQ: quare erit quoque ut tangens anguli MSQ ad tangentem anguli MTQ ita QT ad QS.

624. Hoc lemmate premisso, facile erit ex longitudine heliocentrica jam data geocentricam eruere. Quum enim triangula duo SQM, TQM (Fig. 70.) rectangula sint, est enim recta MQ perpendicularis ad planum eclipticæ, in quo plano jacent rectæ SQ, TQ, eaque consistant circa commune latus MQ, erit tangens anguli MSQ ad tangentem anguli MTQ ita TQ ad SQ: est autem TQ ad SQ ut sinus anguli ad Solem QST, qui datus est, ad sinum anguli ad Tellurem QT, qui etiam est datus: quare erit ex æquali ut tangens anguli MSQ, qui latitudinem heliocentricam repræsentat, ad tangentem anguli

anguli MTQ , qui latitudinem geocentricam refert , ita sinus angulis ad Solem QST ad finum anguli ad Tellurem QTS . Quapropter faciendo ut sinus anguli ad Solem ad finum anguli ad Tellurem , qui duo anguli jam supra reperti sunt , ita tangens latitudinis heliocentricæ ad quartum proportionalem , habebitur tangens latitudinis geocentricæ quæ sit ; adeoque ipsa geocentrica latitudo minime ignorabitur.

## SECTIO SEXTA.

*De Motu Siderum inerrantium , eorumque annuis vicissitudinibus.*

625. **N**on hic repetenda esse arbitror , quæ supra memorata sunt de inerrantium siderum immobilitate , quam primus *Nicolaus Copernicus* subtiliter excogitavit . Est enim de ea suo loco uberrime pertractatum ; explicatumque est etiam qui fieri possit , ut inerrantia sidera videantur moveri ab occasu in ortum , quamquam ea fortasse immobiler consistant in firmamento : verum propositum nobis hic est pauca de ipso motu siderum sive adparenti sive vero ab occasu in ortum subnectere , nec non de annuis illis aberrationibus differere , quas in motu suo stellas fixas subire certissimis recentiorum experimentis compertum est . Hoc autem argumentum quamquam plurimi clarissimi Viri hac nostra ætate accuratissime persequuti sint , omnium tamen diligentiam longe superarit *Eustachius Manfredius* nostras , Vir omni literarum genere ornatus , editis duobus libellis elegantissimis , quorum alterum ad Eminentissimum *Joannem Antonium de Via* S. R. E. Cardinalem scriptum , alterum ad Illustriss. *Antoniun Leprotum* Archiatrum Pontificium , ex quibus duobus libellis desumpta est major pars eorum , quæ hac sectione continentur .

CA.

## C A P U T P R I M U M.

*De Motu Siderum inerrantium ab occasu in ortum. Item de longitudinum; adscensionum rectarum, declinationumque mutatione.*

626. **M**otus siderum inerrantium, sive si sit realis, sive tantum adparens, perficitur per totidem circulos eclipticæ parallelos; etque ipse adeo latus, ut singulis annis vix 51 minuta secunda emetisti videantur, adeo ut ad gradum unum conficiendum plus quam 70 annis indigeant. In quo quidem quantum à planetis cometisque ipsa distent, intelligere primum est. Primo enim planetæ, cometæque in circulorum maximorum circumferentiis progrediuntur; stellæ autem fixæ, si paucas illas excipiias, quæ sub ecliptica constitutæ sunt, omnes moventur in circumferentiis circulorum non maximorum. Secundo cometæ planetæque moventur in orbibus, quorum plana inæqualiter inclinantur ad planum eclipticæ; stellæ vero fixæ moventur in orbibus, quorum plana parallela sunt eclipticæ plano. Et tertio denique planetæ cometæque temporibus inæqualibus circulationes suas absolvunt; stellæ autem fixæ, quamquam tardissime, eodem tamen tempore gyros suos conficiunt. Quæ quidem omnia confirmare aliquo modo videntur opinionem Copernici docentis, motum fixarum ex lentissima quadam declinatione axos Telluris originem trahere. Si enim ea revera moverentur ab occasu in ortum, quis non demissaretur omnes tanta cum regularitate, quæ in Cœlo insolens sane est, moveri in circulis eclipticæ parallelis, omnesque uno tempore circulationes suas absolvere?

627. Quum autem stellæ moveantur in circulis eclipticæ parallelis palam *primo* est, eas longitudinem quidem continenter mutare, latitudinem vero semper *eamdem*

eamdem retinere; ubicumque enim progressæ sint, semper eodem intervallo distabunt ab ecliptica. Manifestum est secundo stellam fixam in eclipticæ polo constitutam motu proprio tardissime revolvæ circa se ipsam. Tertio manifestum est stellas illas, quæ sub ecliptica constitutæ sunt, ipsam eclipticam describere, nec umquam aliquid latitudinis adquisituras. Quarto liquet velocitate in stellarum eo esse majorem, quo minus distant ab ecliptica, eo vero esse minorem, quo magis distant ab eadem ecliptica: nam quo minus stellæ distante ab ecliptica, eo maius iter in dato tempore describunt. Denique illud manifestum est, sidera inerrantia ad integrum circulationem motu proprio ab occasu in ortum conficiendam egere annis fere 25000.

628. Motus stellarum ab occasu in ortum secundum circulos eclipticæ parallelos adpellatur *motus in longitudinem*. Est enim longitudo, uti suo loco explicatum est, distantia sideris (ad eclipticam reduciti mediante circulo latitudinis per idem fidus transiente) ab initio Arietis ab occasu ad ortum numerata: quare quum sidera ferantur continenter ab occasu versus ortum, longitudo ipsorum sensim augebitur. Extat præterea in stellis fixis duplex alius motus, qui ex motu in longitudinem originem trahit, *motus icilicet in declinationem, motusque in ascensionem rectam*. Quum enim sidera ferantur in circulis eclipticæ parallelis, ea modo ad æquatorem accedere, modo ab eo recedere debent; pleraque etiam nunc cis æquatorem, nunc ultra æquatorem debent transire; qui accessus, recessusque reciprocus motus in declinationem vocatur. Ad hæc quum siderum longitudines continenter mutentur, eorum ascensiones rectas quoque mutari necesse est; adeoque ex motu in longitudinem tertius descendit motus, qui in ascensionem rectam nominari potest.

629. Est tamen hic sedulo advertendum, quod quamquam in planetis universis augeantur continenter tum longitudines, quum ascensiones rectæ, tamen siderum inerrantium quædam sint, quorum longitudines quidem continenter augentur, ascensiones

TOM. II.

V

vero

vero rectæ augmentur & minuantur per vices. Hujusmodi sidera sunt quæ latitudinem majorem gradibus  $66\frac{1}{2}$  fortiuntur. Esto enim EQ (Fig. 72.) æquator, p. polus ipius, AC elliptica, B ejus polus, DFQC circellus eclipticæ parallelus descriptus à sidere, cujus latitudo aliquanto major est gradibus  $66\frac{1}{2}$ , adeoq; in eam polum Mundi P & polum eclipticæ B transiens. Ducentur à polo æquatoris P circuli tres declinationum FOG, FBC, & PDH, quorum primus & tertius contingant circulum in punctis Q, & D, secundus autem transeat per polum eclipticæ B.

630. His ita construatis manifestum est, sideris circulum DFQC ab occasu in ortum describentis longitudinem continenter augeri, usque donec universas tercentum sexaginta gradus proprio suo motu pertransierit: si enim supponamus sidus in tali situ constitutum esse, ut circulus latitudinis transiens per ipsum ad initium Arietis pertingat, quemadmodum postea sidus motu suo paulatim recedit in ortum, ita & circulus latitudinis transiens per sidus recedit paulatim ab initio Arietis versus ortum, & quot gradibus sidus à primo situ recedit, totidem gradibus latitudinis circulus ab initio Arietis removetur. Unde post quam sidus universam circulum sui periferiam pertransiit, etiam latitudinis circulus universos tercentum sexaginta gradus eclipticæ describere debuit: ex qua sequitur sideris longitudinem continenter augeri usque ad gradus tercentum sexaginta.

631. Verum res aliter se habet, si ad adscensionis rectæ mutationem animum referamus. Quum enim sidus à puncto contactus D progrederitur ad F, ejus adscensio recta augetur arcu HG; & similiter quum à puncto B progeritur ad alterum punctum contrarium Q, adscensio recta angetur arcu KG; adeo ut sidere à primo contactus puncto D ad oppositum Q transeunte universus motus adscensionis rectæ sit arcus HG; at vero sidere à secundo contactus puncto Q ad primum redeunte per viam C, adscensio recta minuitur eodem arcu GH, adeoque sensus obtinet prior adscensionis rectæ qualitas;

citas. Ex quo fit ut motus sideris in adscensionem re-  
ctam sit oscillationis ab H ad G, & à G ad H.

632. Neque vero difficile erit, data sideris latitu-  
dine, invenire quantitatem arcus HG, quo arcu adscensio  
recta augetur, minuiturque per vices. Ducto enim ar-  
cu BD circuli latitudinis, fiet triangulum rectangulum  
sphæricum ad polum Mundi P, ad polum eclipticæ B,  
& ad alterum ex duobus punctis contactus D, angulus  
que rectus erit PDB. Etenim quum arcus BD normalis  
sit ad circulum DFOC, circulus autem PDH contingat  
circellum in punto D, profecto idem arcus normalis  
erit ad circulum declinationis PDH. In eo autem trian-  
gulo, præter angulum rectum, datur tum arcus BD,  
complementum scilicet latitudinis datæ, quum arcus  
PB, nempe distantia poli mundani à polo eclipticæ: qua-  
re invenire licet angulum BPD ad mundi polum, cu-  
jus duplum dabit angulum OPD, sive GPH: unde quum  
hujus anguli mensura sit arcus eclipticæ GH, hoc est ar-  
cus ille, quo arcu adscensio sideris recta augetur minui-  
turque per vices, cognoscetur etiam arcus GH.

633. Et quoniam in triangulo rectangulo PBD, cu-  
jus hypothenusa PB manet semper ejusdem magnitudi-  
nis, quo major est arcus BD, eo major sit angulus BPD,  
adeoque eo major sit arcus adscensionis rectæ GH, sequi-  
tur in iis sideribus arcum GH esse majorem, quæ magis  
recedunt ab eclipticæ polo, in iis vero esse minorem,  
quæ minus absunt à polo eclipticæ; usque adeo ut in  
siderे polum ipsum eclipticæ B occupante arcus GH  
omnino evanescat.

## CAPUT SECUNDUM.

*De inerrantium Siderum parallaxibus, que  
ex motu annuo Telluris dependent;  
deque earum proprietatibus.*

634. **N**unc ut ad inerrantium siderum parallaxes  
deveniamus, quod erat præcipuum hujus  
V 2 Se.

*Sectionis* argumentum, referat EHI (Fig. 74.) sphæram cœlestem, ACIE eclipticam, S Solem in centro sphæra mundana constitutum, & ORT orbem Telluris. Ex centro Solis S educatur ad planum eclipticæ perpendicularis recta SP occurrentis sphæra cœlesti in puncto P, quod polum eclipticæ representabit, ex fidere autem F demittatur ad idem planum eclipticæ perpendicularis FL, perque puncta S, & L transeat recta BSLC occurrentis orbi Telluris in punctis R, & O. Denique sit A initium Arietis, & T locus Telluris, à quo exeat recta Ta parallela recte SA, quæ à Sole tendit ad initium Arietis: putabimus autem puncta ista A, & a in unum ad sensum coire in firmamento: quamquam enim nos à Copernico hæc in re recedentes diametrum orbis anni paullo majorem faciamus collatam cum sphæra mundana diametro (*Copernicus* enim tam exiguum eam censuit, ut instar meri puncti haberet); nihilominus proportionem alterius ad alteram maximæ inæqualitatis volumus: adeoque nihil vetat quia puncta duo A & a pro simplici puncto habeantur.

635. Jam autem sideris constituti in loco F longitudine heliocentrica est angulus LSA: punctum enim L eclipticæ subest directio sideri F; latitudo autem heliocentrica est angulus FSL; nam hic angulus distantiam sideris à piano eclipticæ notat. At vero longitudine geocentrica ejusdem sideris est angulus LT<sub>a</sub>; latitudo vero geocentrica est angulus LTF: adeoque differentia angularium LSA, LT<sub>a</sub>, quæ per angulum SLT representatur (est enim angulus LT<sub>a</sub> æqualis angulo LA, qui adæquat duos angulos LS<sub>i</sub>, SL<sub>i</sub>) erit *parallaxis longitudinis*: differentia vero angularium FSL, FTL erit *parallaxis latitudinis*. Et quamquam differentia ista nullo certo angulo in schemate designetur, tamen si centro L intervallo LS describatur arcus Sh occurrentes rectæ LT in puncto b, jungaturque bF (quam in schemate non duximus) erit angulus TAB ipsa parallaxis latitudinis. Quum enim triangula duo rectangula FLS, FLb habeant duo latera FL, LS æqualia duobus lateribus FL, Lb, habebunt & basim basi æqualem, & reliquos angu-

angulos reliquis angulis æquales : adeoque angulus  $FSL$   
æqualis erit angulo  $FbL$ : quare quum differentia angu-  
lorum  $FTL$ ,  $FbL$  sit angulus  $TFb$ , erit hic angulus pa-  
rallaxis latitudinis.

636. Sed parallaxes jam descriptæ, quarum altera  
est in longitudinem, altera vero in latitudinem, oriun-  
tut ex tertia alia parallaxi, quæ *absoluta* potest nuncu-  
pari. Oculo enim in Sole constituto sidus adparet in re-  
cta  $SF$ : at vero constituto oculo in Tellure idem sidus  
adparet in recta  $TF$ : quare angulus  $TFS$ , qui devia-  
tionem prioris linea à posteriori denotat, ostendet paral-  
laxim *absolutam*, sive simpliciter parallaxim: ea enim  
neque ad eclipticam, neque ad quemvis alium circu-  
lum sphæra mundanæ refertur, sed pendet tantum ex  
situ sideris  $F$ , Telluris  $T$ , & Solis  $S$ .

637. Visis præcipuis siderum parallaxibus, earum  
proprietates breviter sunt hic adnotandæ. Incipiems.  
Autem à parallaxibus *absolutis*, quas certum est conti-  
nenter ita mutari, ut tamen elapo anno ad pristinas  
magnitudines redeant. Quum enim parallaxis *absoluta*  
sideris  $F$  designetur per angulum  $TFS$ , quamquam Sol  
 $S$ , & sidus  $F$  iisdem in locis perpetuo maneant, tamen  
quia locus Telluris  $T$  continuam mutationem subit,  
inde fit ut angulus  $TFS$  varias subeat magnitudinis vi-  
ces, & modo incrementum modo decrementum patia-  
tur. Quod si supponamus orbeum  $ORT$ , in quo Tellus  
festur circa Solem, esse circulum Soli  $S$  concentricum  
(ex qua hypothesi nihil erroris imminere hoc in nego-  
tio, subtiliter ostendit *Manfredius*) facile erit demon-  
strare *parallaxes absolutas* siderum mutari in ratione fa-  
minus anguli  $FTS$  ad Tellurem, adeo scilicet ut quo mi-  
nus angulus  $FTS$  recedit ab angulo recto, eo major sit  
parallaxis *absoluta*  $TFS$ , quo magis autem ab eo rece-  
dit, eo minor sit parallaxis illa.

638. Etenim in triangulo  $FST$  ad sidus, ad Sol-  
em, & ad Tellurem latera  $FS$ ,  $ST$  manent semper  
ejusdem longitudinis: primum enim distantiam sideris  
à Sole, quæ semper eadem est, alterum vero distantiam  
Telluris ab eodem Sole, quæ in adsumpta hypothesi

numqueam mutatur, desighat: quare FS ad ST rationem habebit etiam: est autem FS ad ST. ut sinus anguli FTS ad sinum anguli SFT: quare etiam sinus anguli FTS ad sinum anguli SFT, sive ad ipsum angulum minimum SFT (nam quando angulū sunt minimi, ratio angularum eadem est cum ratione sinuum eorumdem angularum) rationem habebit datam. Ex quo consequitur parallaxim absolutam SFT mutari in ratione sinus anguli ad Tellurem STF.

639. Et quoniam Tellure existente in puncto R, quo in loco sidus Soli conjungitur angulus ad Tellurem FRS omnium est minimus; Tellure vero existente in puncto opposito O, quo in loco stella Soli ex adverso opponitur, angulus ad Tellurem FOS est vicius omnium maximus, sequitur utroque casu parallaxim absolutam RFS, aut SFO fore omnium minimum: nam utroque casu sinus anguli ad Tellurem fit minimus. Præterea quoniam parallaxis absoluta eo in loco maxima fit, ubi angulus ad Tellurem est rectus, videndum est quo in loco id contingat.

340. Et quidem si ex puncto L ducantur rectæ LQ, L<sub>q</sub> contingentes orbitam Telluris circularem in punctis Q & q, conjunganturque rectæ FQ, F<sub>q</sub>, facie erit ostendere utrumque angularum FQS, F<sub>q</sub>S rectum esse: juncta enim recta SQ ea perpendicularis erit ad contingentem QL: atqui recta QL est communis secundio plani triangularis FQL cum eclipticæ plano, estque præterea planum trianguli normale ad planum eclipticæ, quare recta SQ erit perpendicularis ad planum ejusdem trianguli; adeoque angulus SQF erit rectus. Ex quibus omnibus licet intelligere vices omnes parallaxum absolutarum sideris F. Tellure enim existente in loco conjunctionis R, parallaxis absoluta est minima omnium: deinde tendente Tellure ab R ad Q, parallaxis sensim augetur usque donec in loco Q fiat omnium maxima: tum rursus minuitur usque ad locum oppositionis O; deinde iterum augetur usque ad oppositum punctum q: quo in loco rursus fit maxima: denique a loco q ad R parallaxis iterum minuitur. Et quoniam

niam puncta Q, & quae quantumne distant à punctis mediariū longitudinum, scilicet à punctis illis, quae 90 gradibus distant à locis O & R, consequitur parallaxes minimas in coniunctionibus, parallaxes autem maximas in longitudinibus mediis contingere.

641. Ex eo autem quod parallaxis absoluta sideris tunc maxima fiat, quando angulus ad Tellurem est rectus, facile erit ostendere omnium stellarum in eadem sphera existentium aequales esse parallaxes absolutas maximas. Etenim in triangulis FQS rectangularis ad puncta Q latéra FS, QS manent semper ejusdem magnitudinēs: ponuntur enim sidera versari in eadem sphera, adeoque eamdem obtinent distantiam à Sole S: quare angulus SFQ, qui parallaxim maximam absolutam designat, semper prodibit ejusdem magnitudinis. Quapropter cognita parallaxi maxima absoluta unius sideris, cognoscetur simul parallaxes maximæ ceterorum in eadem sphera tamen constitutorum: quin & cognoscetur etiam ratio, quam habet semidiameter sphærae ad semidiametrum orbis terrestris: est enim FS ad SQ ut radius ad sinum parallaxeos maximæ: quemadmodum vice versa cognita ratione ista, nullo negotio cognoscetur parallaxis maxima absoluta.

642. Itaque quod attinet ad maximas parallaxes absolutas, earum magnitudo nihil prorsus dependet à siderum latitudine, sed tantum ab earum à Sole distantia: adeoque siderum ad majorem à Sole distantiam politorum parallaxes maximæ absolutæ minores sunt; eorum vero, quae minus distant à Sole, parallaxes maximæ absolutæ sunt minores: suntque priores ad posteriores reciprocè ut distancie posteriorum ad distantias priorum. Sed si ad parallaxes minimas respiciamus, ad eatum utique magnitudinem concurrit siderum latitudinem angulus ad Tellurem, à quo angulo, ut vidimus, parallaxiu[m] magnitudo dependet, abit tunc in latitudinem geocentricam. Quum enim parallaxes minimæ accidant quando Tellus versatur vel in coniunctione R, vel in oppositione O, in quarum priore angulus FRS designat cum angulum ad Tellurem, quum latitudinem

geocentricam , in posteriore autem angulus FOS designat tum angulum ad Tellurem , quum complementum latitudinis geocentricæ , liquet parallaxes absolutas minimas siderum in eadem sphæra existentium esse inter se ut sinus latitudinum geocentricarum , sive etiam ad sensum ut sinus latitudinum verarum : harum enim ab his insensibilis est differentia . Quod si autem bina sidera in diversis sphæris existant , eorum parallaxes absolutæ minimæ erunt inter se directe ut sinus latitudinum geocentricarum , aut etiam verarum , & inverse ut sphærarum semidiæmetri .

643. Sequuntur parallaxes latitudinis , quas in ipsa coniunctione , vel oppositione in absolutas parallaxes abire , vel ex schematis inspectione patet : constituta enim Tellure in puncto R , punctum b coit cum puncto S , adeoque angulus T Fb , qui parallaxim latitudinis refert , in ea hypothesi abibit in parallaxim absolutam RFS . Idem contingit si Tellus ponatur in puncto O ; angulus enim T Fb etiam abit in angulum SFO , qui parallaxim absolutam refert .

644. Quamquam autem parallaxis absoluta numquam evanescat , sunt tamen bina loca in orbe Telluris , in quibus ipsa existente evanescit parallaxis latitudinis . Demissa enim ex sidere F (Fig. 75.) ad planum eclipticæ perpendiculari recta FL , descriptoque centro L , radio LS arcu bH , facile ostendetur parallaxim latitudinis in locis H , & b omnino evanescere . Nam duos rectis FH , FS , Fb , triangula FLH , FLS , FLb quum habeant duo latera duobus lateribus æqualia , & angulos ad L rectos , habebunt reliquos angulos reliquis angulis æquales : adeoque anguli FHL , FSL , FbL æquales erunt inter se , nullaque idcirco existet parallaxis latitudinis in locis H , & b .

645. Et quoniam puncta H & b constituta sunt inter quadraturis Q , & q & longitudines medias M , & m , multo minus erit intervallum puncti H à media longitudine M , quam quadraturæ Q ab eadem media longitudine ; itaque quemadmodum quadratura ad sensum coit cum longitudine media , ita & punctum H cum eadem

**eadem** media longitudine ad sensum coibit. Ex quo consequitur in longitudinibus mediis M &  $\omega$ , in quibus parallaxes absolutæ maximæ sunt, latitudinis parallaxes prorsus evanescere. Sed facile est etiam intelligere maximas latitudinis parallaxes contingere quando Tellus versatur vel in coniunctione R, vel in oppositione O, in quibus locis ostensum est absolutas parallaxes minimas esse.

646. Unde modo facile erit vices parallaxium latitudinis annuas intelligere: in coniunctione enim R parallaxis latitudinis maxima est, atque adæquat parallaxim absolutam RFS. A coniunctione R ad medium longitudinem H parallaxis latitudinis paulatim minuitur, ita ut in eadem media longitudine prorsus evanescat. Ab hac ad oppositionem O rursus augetur, quo in loco parallaxis evadit iterum maxima, estque denuo æqualis parallaxi absolutæ SFO. Ab oppositione ad alteram longitudinem medium h iterum minuitur, ita ut ibi prorsus evanescat. Denique ex hoc loco ad coniunctionem R rursus parallaxis augetur.

647. Facile est etiam discrimen omne inter parallaxes absolutas, & latitudinis adnotare. Primo enim parallaxes absolutæ numquam evanescunt: at vero parallaxes latitudinis in quadraturis nullæ prorsus sunt. Secundo quando parallaxes absolutæ sunt maximæ, tunc parallaxes latitudinis evadunt nullæ: quando vero parallaxes absolutæ fiunt minimæ, tunc latitudinis parallaxes evadunt maximæ. Quo in loco advertendum est parallaxes absolutas minimas, & maximas latitudinis RFS, SFO ad sensum æquales esse inter se, quamquam revera parallaxis SFO non nihil major sit parallaxi RFS. Et tertio denique parallaxes maximæ absolutas in omnibus sideribus æquales esse inter se, minimas esse inæquales: vicissim vero minimas latitudinis, ut pote nullas, in omnibus sideribus æquales esse inter se, maximas autem esse inæquales. Cæterum quæ dicta sunt de minimis parallaxibus absolutis, eadem locum habent in maximis latitudinis parallaxibus; has enim illis æquales esse demonstratum est.

648. Seq

648. Superfunt parallaxes longitudinis. Et primo quidem id se se nobis offert ostendendū, parallaxes lor- gitudinis stellarū omnium in ecliptica existentium non differre à parallaxibus absolutis: Nam sideris constituti in loco L (Fig. 74.), scilicet in plano eclipticæ, paral- laxis absoluta est angulus SLT; parallaxis autem longi- tudinis est angulus SLb, qui idem prorsus est cum angu- lo SLT. Itaque quum maxime patallaxes absolutæ contingent in mediis longitudinibus, minime autem in syzygiis, sequitur stellarum in plano eclipticæ con- stitutarum maximas parallaxes longitudinis continga- re in longitudinibus mediis, minimas autem in syzy- giis. Sed manifestum est quoque minimas hanc paral- laxes nullas prorsus esse: id quod constat tum ex eis quod angulus ad Tellurem (cujus sinus rationem ser- vat parallaxis absoluta) in syzygiis evanescit, tum etiam ex eo, quod ibi linea TL coincidit cum linea SL.

649. Ex eo autem quod rectæ TL, SL in syzygiis coincidunt inter se, sequitur in omnibus sideribus, etiam in iis, quæ ab ecliptica longissime distant, paral- laxis longitudinis evanescere quando Tellus versatur in iisdem syzygiis. At vero quum in longitudinibus me- diis maxima sit deviatio rectæ TS à recta SL, sequitur ibi locorum parallaxis longitudinis omnino maxima esse. Unde modo facile erit vices parallaxium lon- gitudinis annuas intelligere: In conjunctione enim R parallaxis longitudinis omnino evanescit. A conjunc- tione R ad primam longitudinem medium H paralla- xis longitudinis paulatim augetur, ita ut ibi evanescat maxima. Ab hac ad oppositionem O rursus minuitur, quo in loco parallaxis iterum evanescit. Ab oppositio- ne ad longitudinem alteram mediari b rursus aug- tur, ita ut ibi iterum fiat maxima. Denique ab hac ad conjunctionem R rursus parallaxis minuitur.

650. Ex his manifestum est perpetuo mutari visam stellarum longitudinem, licet vera inrestiti immutata ponatur (juvat enim parviper abstrahere ab æquino- etiorum præcessione, à qua sit ut longitudine stellarum vera jugiter augeatur); & motu hunc quidem à con- jun-

junctione R ad medium longitudinem H esse directum; longitudo enim visa LT<sub>4</sub>, sive LSA & major est vera LSA & perpetuo augetur aucta parallaxi, hoc est aucta ejus differentia à vera longitudine: post longitudinem vero medium H, usque ad oppositionem O retrogradum, quoniam parallaxis longitudinis, hoc est excessus visæ supra veram, quotidie fit minor, ac proinde longitudo decrescit: deinde ab oppositione O ad sequentem aliam longitudinem medium b adhuc retrogradum esse motum; visa enim longitudo, quæ jam vera est minor, decrescit adhunc, quum crescat parallaxis, quæ est ejus differentia à longitudine vera. Denique à media longitudine b ad conjunctionem R iterum esse directum, quia parallaxis, hoc est defectus visæ à vera longitudine, perpetuo minuitur, ex quo visam longitudinem perpetuo augeri necesse est.

651. Cæterum stellarum æqualem latitudinem habentium & in eadem sphæra existentium æquales sunt longitudinis parallaxis in data à coniunctione, vel oppositione distantia: id quod ostendemus, si data sphæra semidiametro, latitudine sideris, ac Telluris ab oppositione distantia, invenire docuerimus parallaxim longitudinis: id quod fiet sequenti ratione. In triangulo rectangulo FSL ex datis hypothenusa FS, distantia scilicet sideris à Sole, sive etiam semidiametro sphærae, & angulo FSL, qui latitudinem sideris designat, dabitus latus SL, quod latus idcirco ejusdem magnitudinis prodibit in omnibus sideribus in eadem sphæra constitutis, & æqualem latitudinem habentibus. Deinde in triangulo LST ex datis latere modo invento LS, distantia Telluris à Sole TS, & angulo LST, qui distantiam Telluris ab oppositione designat, invenietur parallaxis longitudinis SLT, quæ ejusdem magnitudinis idcirco prodibit in omnibus sideribus æqualem latitudinem habentibus & in eadem sphæra constitutis.

Cap

## C A P U T T E R T I U M.

*De adparenti semita, quam in sphæra Universi fixæ propter annuam parallaxim describunt: ubi de siderum parallaxibus ad Mundi polos, & aquinoctialem circulum relatis.*

652. EX iis, que hactenus exposita sunt, nullo negotio definiri poterit adparentis semita, quam in sphæra Universi fixæ ob annuam parallaxim describere debent. Sumemus autem hic postulati loco dari immensam quendam superficiem Soli concentricam tantæ magnitudinis, ut præ illa firmamentum ipsum, hoc est quælibet sphæra Soli concentrica, per fixam quamvis descripta, instar puncti habeat: nam in hujus sphærae superficie curvam istam semitam contemplari placet, quæve ibi sit ejus in omnem plagam amplitudo examinabimus.

653. Esto itaque EHI (Fig. 76.) immensa hujusmodi sphæra Universum complectens, Solique S concentrica, & ehi una quædam ex fixarum sphæris, in cujus superficie puncto quovis posita sit stella fixa f. Esto etiam orbis annuus rro, cuius planum undequaque producendum sectionem efficiat in sphæra quidem fixæ circulum eci, in sphæra autem universi circulum ACI, qui propterea circuli harum sphærarum eclipticam exhibebunt: erethoque ex Sole s axe eclipticæ sp, qui in sphæra fixæ polum eclipticæ designet p, in sphæra autem universi P, ducatur per hunc axem stellamque f planum PFC in Universi sphæra circulum latitudinis stellæ designans PFC, atque in ipsa hujus sphæra circulum pfc; sitque hujus plani communis seccio cum plane eclipticæ recta rsoc, quæ propterea erit linea syzygiarum stellæ f, atque in ea linea punctum conjunctio-  
nis

nisi sit  $r$ , oppositionis autem  $o$ . Denique juncta  $rf$ , eaque quantum opus fuerit producta ad occursum supremæ sphæræ in  $R$ , cogitemus lineam  $rf$  ita rotari, ut immoto manente puncto  $f$  extreum alterum ejus rectæ circulum percurrat  $rso$ ; quo motu recta  $rf$  superficiem conicam intra sphærā fixæ, recta vero  $Rf$  superficiem aliam conicam priori oppositam describet.

654. Quibus constructis liquet, posterioris hujusce superficie communem sectionem cum superficie sphærica EHI, curvam nempe lineam RTO semitam esse, quam fixa  $f$  in hac sphæra annuo spatio describere videbitur nobis in Tellure degentibus. Posita enim Tellus in coniunctione  $r$  sidus adparebit in  $R$ , posita vero Tellus in oppositione  $o$  sidus adparebit in  $O$ : denique existente Tellure in quovis alio loco  $s$  orbis anni locus sideris visus erit  $T$ , qui invenietur ducendo rectam  $sf$ , eamque producendo usque ad supradictam semitam RTO: quamquam interim verus stellæ locus, qui sci-licet è Sole spectatur, sit punctum immobile  $S$  in circulo latitudinis PFC stellæ  $f$  constituti.

655. Inventa adparenti fixarum semita, facile erit ope eius singulas parallageon species haec tenus explicatas in sphæræ superficie distinguere. Esto enim Tellus in  $s$ , cui puncto respondeat in curva RTO punctum  $T$ , ducaturque  $st$ , & per  $S$  ac  $T$  describatur arcus circuli maximi ST. Hic arcus absolutam parallaxis sideris  $f$  metietur Tellure posita in  $s$ : est enim arcus ST mensura anguli  $SfT$ , eo quod punctum  $f$  in sphæra *ebi* acceptum à centro  $s$  sphæræ EHI nihil differat, quum tota sphæra *ebi* cum sphæra EHI comparata instar puncti habeat. Itaque quum angulus  $SfT$  aequalis sit angulo  $sfr$  ei ad verticem opposito, hoc est parallaxi sideris absolute existente Tellure in loco  $s$ , erit arcus ST mensura parallageos absolute sideris. Præterea quum verus sideris locus sit  $S$ , visus autem sit  $T$ , si ex polo eclipticæ P ducatur circulus latitudinis PT, & per  $T$  ex eodem polo describatur parallelus TK, manifestum est angulum TPK, sive arcum TK mensuram fore paralla-  
xeos

xeos longitudinis; verus enim circulus latitudinis est PSC, ad paraten autem PT. Denique arcus SK erit mensura parallaxeos latitudinis; et enim arcus SK differentia inter arcum PT & arcum PS, quorum illud complementum latitudinis viæ, hoc vero complementum latitudini in veræ designat.

656. Sed observandum hic est, licet punctum oppositionis O puncto o, punctum autem R conjunctionis puncto r, & denique punctum T puncto Telluris respondeat, angulum tamen OST minime angulo distantiam ab oppositione osr, neque angulum RST distantiam à conjunctione rsr aequalē esse, excepto si Tellus & in mediæ inter utramq; syzygiarum longitudinis punctum incidat: hoc enim casu anguli OST, RST recti erunt, angulisq; osr, rsr pariter rectis aequalibus. Id quod ut ostendamus, sit rmo (Fig. 77.) orbis annus, in cuius centro S resideat Sol, sitque rso linea syzygiarum, punctum conjunctionis r oppositionis o, fixa autem f. Centro S secundiametro orbis anni descripta intelligatur sphæra, in qua circulus rho sit maximus diametrum habens liniam syzygiarum ro, atque ad planum eclipticæ, sive orbis anni rmo rectus, ac propterea existens in plano trianguli rfi, quod pariter ad eclipticam rectum esse cogitabimus; juncta que in eodem erit piano, secet hæc circulum rho in puncto p, quo tamquam polo describatur circulus aliis maximus hgi secans circulum rho in b & i.

657. Quoniam ergo maximus circulus rho ad maximum circulum rmo est rectus, necesse est polum circuli rho esse tale punctum circuli rmo, quod aequæ à sectionibus r, & o distat, nempe punctum mediæ longitudinis m. Præterea quum circulus hgi polum habeat p, rectus is erit ad circulum rho, qui per p translat; quartus circulus hgi per circuli rho polum transibit. Posita jam Tellure in quovis puncto orbis anni r, si per puncta s, & p duætus intelligatur circulus maximus rgp secans circulum hgi in g, erunt anguli ad g recti: jungantur rectæ gs, ss, ms: angulus igitur planus rst, sive arcus rs distantia.

distantia est Telluris in  $\angle$  conjunctione  $r$ ; angulus vero  $hsg$ , sive arcus  $hg$  sive etiam angulus sphæricus  $hpg$  ex circulorum  $rbp$ ,  $tgp$  inclinatio.

658. Quoniam autem in triangulo sphærico  $tgp$  rectangulo ad  $g$  major est hypothenusa  $tgp$  latere  $gm$ , & quales autem sunt quadrantès  $mgh$ ,  $mtr$ , residuus arcus  $er$  residuo  $gh$  minime aequalis erit: distantia ergo Telluris à conjunctione  $tr$  inclinationi planorum  $rbp$ ,  $tgp$  minime erit aequalis. Est autem  $rbp$  planum circuli maximi ad eclipticum recti per fixam & Solem & duos, &  $tgp$  (juncta recta  $sf$ ) idem est cum piano trianguli  $efs$  ad Tellurem Solem, & fixam constituti, posita Tellus in  $\angle$ : quare angulus distantiae Telluris à conjunctione inclinationi horum planorum minime est aequalis, præterquam existente Tellure in ipso puncto media longitude  $m$ , quo in loco uterque angularium  $bsm$ ,  $rst$  evadit rectus. Atque inglemus RST (Fig. 76.) metitur inclinationem horum planorum, ut ipsum schema apertissime demonstrat; itaque is angulus minime aequalis erit argulo  $rst$ , nisi punctum  $r$ , in quo Tellus versatur, sit ipsum punctum medium longitudinis inter utramque syzygiam  $r$ , & o.

659. Dato tamen angulo  $rst$ , vel ost (Fig. 77.), Telluris nempe à conjunctione vel oppositione distantia, semper invenire licet angulum RST, quem angulum distantiam à conjunctione reduciam appellabimus, quemadmodum & ejus supplementum OST distantiam ab oppositione reduciam, & denique angulum MST (punctum M in curva illud est, quod medias elongationis puncto in orbe Telluris correspondet) distantiam à media elongatione reduciam. Etenim in triangulo sphærico (Fig. 77.) rectangulo  $gmr$  quem detur arcus  $mr$ , nempe distantia à puncto longitudinis medie, quæ complementum est distantiam jam cognitam Telluris & à conjunctione  $r$ , deturque etiam angulus  $gmr$ , sive etiam arcus  $rh$ , qui longitudinis tellae post complementum, elicetur trigonometricæ arcus  $gm$ , distantia scilicet à media longitudine reducta, cui respondeat angulus (Fig. 77.) MST, ex quo & anguli RST, OST innotescunt.

660. Vicissim autem data distantia reducta à coniunctione, vel oppositione, sive angulo RST, vel OST, ex quo datur & MST distantia reducta à media elongatione, elicetur distantia vera  $r_{st}$  à coniunctione, ejusque supplementum  $ost$  distantia vera ab oppositione: in eodem enim triangulo  $gms$  dantur, præter angulum  $restum$  ad  $g$ , angulus  $gms$  complementum latitudinis stellæ, & arcus  $gm$  distantia scilicet reducta à media elongatione: ex his ergo trigonometricæ elicetur arcus  $rs$ , & ex eo dabitur  $tr$ , sive angulus  $tsr$ , aut  $ost$  distantia vera à syzygia.

661. Et quoniam parallaxis absoluta cujusvis stellæ est ut sinus anguli ad Tellurem, angulus autem ad Tellurem quando parallaxis absoluta evadit maxima ( id quod accidit in mediis elongationibus ) est rectus, quando autem evadit minima ( id quod contingit in syzygiis ) est idem cum angulo latitudinis visæ, & ad sinum latitudinis veræ, erit maxima parallaxis absoluta ad minimam ut radius ad sinum latitudinis stellæ. Atqui ex regulis trigonometricis radius est ad cosinum anguli  $gms$ , nempe ad cosinum complementi latitudinis, sive ad ipsum sinum latitudinis ut tangens arcus  $rs$ , veræ nempe distantiae à puncto mediae elongationis  $m$ , ad tangentem arcus  $gm$ , distantiae scilicet ab eodem puncto reductæ; quare erit ex æquali ut maxima parallaxis absoluta ad minimam ita tangens veræ distantiae à puncto elongationis medie ad tangentem distantiae reductæ ab eodem puncto: Cujus quidem analogiae beneficio data sideris distantia vera à media elongatione elicetur distantia reducta, aut vicissim hac data illa supputabitur.

662. Quamquam autem semita curvilinea OMR<sub>ns</sub> existat in superficie sphærica, communisque sedio sic ejus superficie cum superficie coni scaleni cuius vertex est in fidere  $f$ , basis autem est orbis annuus  $rto$ , adeoque neque circulus revera fit, neque ulla ex vulgaris coni sectionibus; tamen si consideremus partem illam superficie sphæricæ, quæ ab eadem semita occupatur, esse admodum exiguum ( ob parallaxum scilicet parvi-

paritatem ) facile intelligemus, eam ad sensum haberi posse tamquam ellipsem factam à piano secante conum scalenum *f i r t o*. Quapropter in hoc de parallaxibus argumento existimabimus semitas OMR<sub>m</sub>, quas stellæ quotannis propter annuas parallaxes describere videntur, esse totidem ellipes, arcusque omnes circulares in iis contentos, ut pote exiguo, tamquam lineas rectas reputabimus.

663. Et quoniam ostensum est supra, parallaxes absolutas *r f*, *o f* in utraque syzygiarum ad sensum æquales esse inter se, arcus OS, SR ( sive potius rectæ lineæ OS, SR), qui hosce angulos metiuntur, æquales ad sensum erunt; adeoque punctum S ad sensum non discrepabit à puncto F, quod diametrum ellipseos OR bifariam dividit, angulique OST, MST, RST, distantiae scilicet reductæ ab oppositione, longitudine media, & coniunctione, iidem erunt cum angulis OFT, MFT, RFT: nam punctis F & S coeuntibus rectæ FM & MS, TF & TS coincidunt inter se.

664. Quum autem angulus OSM sit rectus, angulus OFM erit pariter rectus: itaque quum ex conicis elementis diameter OR sit axis ellipseos RTO, quippe quæ communis est sectio plani ellipseos cum piano trianguli per axem OfR ad basim reo recti, erit MF<sub>m</sub> axis huic conjugatus, & quidem principalis, seu major: majorem enim esse FM quam OF, vel RF consequitur ex parallaxium legibus supra traditis: quandoquidem OF, FR parallaxes sunt absolutæ in syzygiis, ubi sunt minimæ, FM vero & Fm parallaxes sunt absolutæ in mediis longitudinibus, ubi maximæ sunt.

665. Ex his porro sequitur, omnium ellipseon RMO, NDG, quæ in sphæra Univerli superficie à quibuslibet stellis in eadem sphæra existentibus describuntur, axes sive semiaxes maiores FM, BD æquales esse: incident enim in puncta medianarum longitudinum M & D, suntque mensura absolute parallaxium in iis punctis contingentia, nempe maximaria, quæ in omnibus fixis in eadem sphæra existentibus sunt æquales. Minores autem semiaxes FR vel FO, & BN vel RO, quæ pa-

parallaxes sunt absolutæ in coniunctione vel oppositione, sive minimæ absolutarum, eam ad sensum proportionem habere ad majores, quam habet sinus latitudinis stellæ ad radium; ac propterea si stellæ, quæ ellipses describunt, in eadem sphæra fuerint, earum semiaxes minores esse ut sinus latitudinum CF, CB, atque adeo posita æquali latitudine æquales. Ex quo facile est colligere, stellarum in ecliptica positarum minorem semiaxem in unum punctum, & ellipsem in lineam regam abire; stellæ vero in ipso eclipticæ polo existentis ellipsem in circulum facessere; & in iis stellis, quarum latitudinum sinus parum differunt à radio, à circulo ad sensum non aberrare, quales censeri possunt quæcumque latitudinem 75 gradibus majorem habent. Duarum porro ellipsis GDN, VQY, quæ à duabus stellis non in eadem sphæra existentibus, & æqualem latitudinem habentibus, describuntur, axes sive semiaxes majores BD, BQ esse reciproce ut sphærarum diametros, minores autem ut majores; ac propterea ellipses GDN, VQY inter se similes, &, si latitudo detur, specie datas.

666. His præmissis de adparenti fixarum semita, ex-pendendæ sunt modo earum parallaxes ad Mundi polos, & ad æquatorem relatae, sive etiam parallaxes declinationis, ad scensionisq; rectæ: hæ enim immediatis observationibus haberri possunt, ut modo dicetur. Esto itaq; EHI (Fig. 78.) sphæra Universi, cujus centrum Sol S, axis eclipticæ SP, in quo polus eclipticæ P, stella in f, verusq; ejus locus in sphæra Universi punctum F, per quod transeat circulus latitudinis PF, sitque colurus solititorum PLI, & I initium Cancri, vel Capricorni, polus autem Mundi L: descriptaque intelligatur elliptica semita RTO, quam stella f ad parenter describit annuo spatio; cujus propterea ellipseos centrum ad sensum erit punctum F, axis minor rectæ OR coincidens cum circulo PF, cujus extremum O polo P proprius oppositionis, reliquum autem R coniunctionis puncto respondebit; rectæ vero Mm rectæ OR perpendicularis axis major ellipseos erit, ejusque extrema M, & m mediis longitudinibus respondebunt. Per polum autem Mundi L &

cen-

centrum ellipsois F transeat circulus maximus LF sed cans illam inter F & L in X, ultra F vero in V; ac propterea VX erit una quædam ex ellipsois diametris.

667. Quum autem circulus maximus LXFV transeat per polum Mundi L, liquet ipsum fore aliquem ex declinationum circulis, & propriè eum, in quo sidus f spectatur è Sole S. Itaque quando Tellus versatur in ejus circuli plano ( id quod bis quotannis contingere necesse est, semel quum Sol & stella conjunguntur in adscensionem rectam, iterum quando opponuntur ) sidus f conspicietur vel in puncto X, vel etiam in punto V, scilicet in puncto X, quod proprius est polo Mundi L, quando stella & Sol opponuntur secundum adscensionem rectam, in punto autem V, quod a Mundi polo longius abest, quando stella & Sol in adscensionem rectam junguntur. Ex quo sequitur, utroque casu nullam fore parallaxim in adscensionem rectam: locus quippe verus & visus sideris in eodem declinationis circulo constituuntur: quamquam iisdem casibus obtineat parallaxis declinationis, quæ, quando sidus adpareat in X, repræsentatur per arcum, sive etiam per rectam FX, quando autem sidus adpareat in V, repræsentatur per arcum, aut etiam per rectam FV. Et quoniam rectæ lineæ FX, FV repræsentant etiam parallaxes absolutas sideris f, quando ipsum adpareat in X, vel V, manifestum est parallaxes absolutas abire in parallaxes declinationis, quando sidus Soli vel opponitur vel conjungitur.

668. Quod si Tellus sit extra planum supradiobi circuli, sic ut stella f adpareat alibi, quam vel in X, vel in V, puta in T, tunc duco circulo maximo LT, & arcu TB æquatori parallelo, erit quidem angulus BLT, sive etiam arcus BT *parallaxis adscensionis rectæ*, & arcus BF erit *parallaxis declinationis*: verus enim circulus declinationis, sive adscensionis rectæ est LF, visus autem est LT. Et similiter vera stellæ à polo Mundi distantia est arcus FL, visa autem LT, quarum differentia est arcus BF. Patet autem maximam fore parallaxim adscensionis rectæ eo in loco, in quo visus ad-

scensionis rectæ circulus tetigerit ellipsum, nempe in puncto N, vel n. Patetque etiam maximam fore parallaxim declinationis eo in loco, in quo circulus æquatori parallelus ellipsum tetigerit, puta in puncto G vel D; quemadmodum in locis Q, & q, in quibus circulus æquatori parallelus transit per centrum F ellipsoes, nulla est viciſſim parallaxis declinationis.

669. Et quibus omnibus facile est vices omnes parallaxium adscensionis rectæ & declinationis intelligere: in puncto enim X parallaxis adscensionis rectæ nulla est: à puncto X ad n continuo augetur, quo in loco evadit maxima: ab n ad V continuo minuitur per vices, usque donec in loco V iterum evanescat: ab V ad N rursus augetur, quo in loco fit iterum maxima: denique ab N ad G minuitur, inque loco G prorsus evanescit. Et similiter parallaxis declinationis in loco q est nulla: de q ad D augetur indefinenter, ita tamen ut declinatio visa vera sit major, inque loco D evadat maxima; à loco D ad Q indefinenter minuitur; ita ut in Q fiat iterum nulla: à puncto Q ad G rursus augetur, ita tamen ut declinatio vera visam excedat, inque loco G fiat iterum maxima: deniq; à loco G ad q denuo minuitur, inque ipso punto q prorsus evanescit. Cæterum Problemata de inveniendis locis, & temporibus maximarum minimarumque parallaxium adscensionis rectæ & declinationis brevitatis gratia hic omitto, ea que videri possunt apud laudatum *Eustachium Manfre- dium*, qui ea diligentissime persequitur.

670. Potius hic ostendemus, qua ratione data *distan-  
tia Telluris a conjunctione*, *dataque maxima absolute  
parallaxi sideris positione dati*, *inveniri possit parallaxis  
declinationis*, *atque adscensionis rectæ*. Id autem fieri poterit ratione sequenti: quoniam sidus positione datum est, dabitur tum ejus longitudo, quam ejus latitudo; itaque quam circulus maximus PF sit ille circulus latitudinis, in quo sidus constitutur, & PL sit colurus solstitiorum, dabitur angulus FPL, dabiturque etiam arcus FP, complementum scilicet latitudinis datae: quare in triangulo FPL ex datis angulo FPL, arcu PB, & arcu

& arcu PL, qui maximam eclipticæ obliquitatem adæquat, facile invenietur angulus PFL, sive ei ad verticem oppositus VFR.

671. Fræterea quoniam data est Telluris à conjunctione distantia, dabitur ejusdem distantia à puncto media elongationis, dabiturque eadem distantia reducta; latitudo enim sideris data est. Sit MFT hujusmodi distantia reducta: adparens ergo stellæ locus est punctum T, & parallaxis absoluta sideris eo tempore est arcus FT, quæ propterea dabitur, ex data latitudine & maxima parallaxi absoluta. Porro ex angulo VFR jam cognito, nec non ex dato RFT, qui complementum est inventi anguli MFT, dabitur, eorum additione vel subduktione angulus VFT, aut ejus supplementum LFT. In triangulo igitur sphærico TFL, in quo datur latus FT, atque angulus LFT, nec non FL complementum declinationis sideris, seu distantia vera à polo æquatoris, invenietur angulus FLT, parallaxis scilicet adscensionalis, & LT distantia viva ab eodem polo, cujus differentia à vera distantia LF erit parallaxis declinationis.

672. Sed brevius negotium istud totum transigetur, si consideremus arcum paralleli BT ad sensum non discrepare ab arcu circuli maximi transeuntis per punctum T, atque ad LF normalis, idque propter angustiam ellipsoïdum siderum GRDO; consideremusque etiam, propter eamdem rationem, nihil vetare, quin omnes arcus circulorum maximorum intra præfatam ellipsem contenti habeantur ut totidem lineaæ rectæ: inde enim sit ut in triangulo rectangulo rectilineo FBT ex datis hypothenuſa FT, quæ parallaxim absolutam designat, & angulo BFT, quem modo invenire docuimus, nullo negotio habeatur tum parallaxis declinationis BF, quam parallaxis adscensionis rectæ BT. Tantum advertendum est, quod quum BT portio sit circuli maximi, parallaxis autem adscensionalis revera designetur per arcum circuli, qui æquatori est parallelus, ad effundendum omne erroris periculum, necesse sit, scrupula contenta in arcu circuli maximi BT in scrupula par-

leli, quæ aliquanto plura fortasse erunt, redigere: id quod obtinebitur si fiat, ut parallelī semidiameter, sive ut sinus visæ distantia:  $L T$  stellæ à polo (hæc distantia habetur si parallaxis declinationis inventa  $FB$  addatur vel dematur, prout opus est, veræ distantia: à polo  $LF$ ) ad radium, ita numerus partium circuli maximi in  $BT$  inventus ad quæsumum numerum partium parallelī, quas eadem  $BT$  continet considerata, ut arcus parallelī: Quamquam, subductis rationibus, proclive sit cognoscere, nihil fere ad sensum errari, si quis reductionem istam prætererit.

## C A P U T Q U A R T U M.

*An parallaxes siderum annua cum Telluris motu periodico conspirent.*

673. **H**is jaētis fundamentis videndum modo est, han siderum vicissitudines annuae tum in declinationem, quum in adscensionem rectam, quæ his præteritis annis observatae sunt, cum anno Telluris motu conspirent. *Joannes enim Flamsteadius*, & post eum *Petrus Horrebowius* nullum prorūs dissensum se inter ea invenisse deprædicarunt, usque sunt hoc consensu, tamquam validissimo arguento, ad Telluris motum confirmandum; præcipue vero *Horreborius*, qui opus ea de re edidit sub titulo *Copernici triumphatis*: an autem is consensus revera obtineat, ita facilius explorabimus.

674. Nempe describatur ellipsis *RMOm* (Fig. 79.) cuius semiaxis primarius  $MF$  ad secundarium  $RF$  eam rationem habeat, quam radius ad sinum latitudinis ejus stellæ, in cuius parallaxes inquirendum nobis est: ita enim ellipsis ista semitam exhibebit, quam stella, juxta *Copernici* hypothesis, annuo motu in supraēma sphæra peragrare videbitur. Hujus ellipsoes superiorē medietatem, quam ab inferiori dirimit axis major  $Mm$ , ad septentriones speatate cogitabimus, inferiorem ad meridi-

meridiem; ac pariter dextram medietatem, quam secundarius axis OR à sinistra disternat, orientalem esse, sinistram occiduam; nempe eodem positu, quo partes hæ singulæ adparerent spectatori Cœlestem sphæram exterius intuenti, atque ad Boream converso. Porro extremum R axeos minoris puncto conjunctionis, extremum vero O puncto oppositionis respondere cogitabimus, quemadmodum puncta M, & m, quæ sunt extrema axeos majoris, mediis longitudinibus respondare putabimus.

675. Deinde supputabimus angulum, quem circulus declinationis cum latitudinis circulo in stella efficit: tum, quoniam secundarius axis OR cum circulo latitudinis congruit, ellipsoes diametrum duceimus VX ejus anguli quantitate ad OR inclinatum, atque ex ea parte ejusdem axeos OR, ut hoc patet ipsa VX declinationis circulo respondeat, atque ad æquatoris polos dirigatur. Denique ad singularium observationum tempora subdiaeta stellæ longitudine ex longitudine Solis, habebimus distantiam Telluris à coniunctione in longitudinem; ex qua facile colligetur, quæ sit distantia ejusdem Telluris à puncto propioris elongationis mediae. Si ergo fiat ut maxima parallaxis absoluta ab minimam, sive etiam ut MF ad RF, ita tangens hujusca distantiarum ad quartum numerum, habebitur distantia reducta ab eodem elongationis mediae puncto. Ex hac autem adparens stellæ locus T vel t in unaquaq; observationum invenietur, si nempe ducatur ellipsoes diameter FT vel Ff angulum efficiens cum semiaaxe MF, aut cum mF distantiarum huic reductarum æqualem, & in eo quidem ellipsoes quadrante, in quo eam semidiametrum ducendam esse supputatio ipsa docebit.

676. Nunc ergo ex singulis punctis T, & t, ad singula observationum tempora definitis, in diametrum VX productam, ubi opus fuerit, perpendiculares demittantur TN, tn; ita enim diametri portio Nn ad sensum declinationum differentiam ostendet, quæ inter duas observationes obtinet. Itaque si declinationum

differentia ex duabus observationibus eruta congruat cum differentia ita ope schematis definita, aut potius ei sit proportionalis, exinde colligi poterit annuas siderum in declinationem parallaxes ab anno motu Telluris proficiisci: si discrimen aliquod intercedere comperiat, indicio id erit praefatas parallaxes aliunde, quam ab anno motu Telluris proficiisci. Captis autem complurimis hujusmodi experimentis invenit *Manfredius*, parallaxes annuas siderum cum anno motu Telluris minime conspirare, contra quam viri cæteroquin erudissimi, de quibus modo mentionem habuimus, existimaverant.

677. Non dissimili methodo explorare licet, an annuas siderum parallaxes in adscensionem rectam cum anno motu Telluris conspirent; nec ne. Descipta enim eodem modo ellipsi stellæ RMOm, duetaque ejus diametro VX, quæ declinationis circulo congruat, agatur per centrum ellipsoꝝ & recta Qq diametro VX normalis. Deinde ad singularium observationum tempora querantur ea methodo, quam modo tradidimus, adpartentia stellæ loca T, & z, exque his singulis in rectam Qq (si sit opus productam) perpendicularia demittantur TI, ti: ita enim portio li (cujus mensuram vel ex datis punctis T & z, anguloque OFX, ac specie ellipsoꝝ computo investigare licet, vel circino ipso statim definire) aberrationis adscensionalis plagam, & quantitatem designabit, ut ex supra demonstratis colligitur: quo paſto adparebit, conveniat ne observationibus cum hypothesi an secus. Atque hic etiam, captis complurimis experimentis, comperit *Manfredius*, annuas hujusmodi parallaxes nequaquam cum anno motu Telluris conspirare.

CAG

## CAPUT QUINTUM.

*De Novis aberrationum annuarum causis  
à Jacobo Bradley novissime  
propositis.*

678. Sed hic aberrationum siderearum dissensus ab anno motu Telluris quum innotuisset etiam Jacobo Bradley astronomo Anglo, cœpit vir nobilissimus cogitare, an nova iniiri posset ad eas aberrationes explicandas ratio: itaque quum ad rem istam sedulo animum adpulisset, in hanc, quam *hoc Capite* proponimus, sive causam, sive hypothesim meditando de- lapsus est.

679. Duobus videlicet principiis totum aberrationum negotium inniti censuit *Jacobus Bradley*, anno Telluris motu, & luminis propagatione successiva, quorum alterum loco hypotheses haberi posse innuimus principio hujus *Libri II*; alterum autem, ut sem processus compertam & exploratam, *Libro I* tradidimus. Bina isthaec principia si seorsim spectentur, nihil quidquam ad aberrationum phænomena facere profitetur; si autem alterum cum altero conjugatur, rem totam percommode intelligi atque explicari arbitratur. Si enim & Tellus & cum ipsa spectatoris oculus moveatur, & lumen à stella ad oculum ea celeritate feratur, quæ ad celeritatem oculi rationem habeat non prorsus infinitam, necessario inde consequi docet, ut stella minime in ea recta linea, quæ ipsam cum oculo jungit, sed perpetuo extra hanc rectam adpareat. Adparituram vero ait & in eo piano, quod per stellam & per oculi semitam ductum intelligimus, & ex ea parte rectæ lineæ oculum cum stella jungentis, versus quam partem oculi motus dirigitur. Denique aberrationis angulum, quem scilicet veri, atque adparentis loci directiones duas in oculo comprehendunt, eam mensuram servaturum, ut quemadmodum celeritas luminis ad celeritatem

tatem oculi, ita perpetuo esse debeat sinus anguli, quem semita oculi comprehendit cum linea ad adparentem stellæ locum ducta ad sinum anguli ipsius aberrationis.

680. Veluti si oculi semita fuerit BD (*Fig. 80.*) atque in ea progrediatur oculus ex B versus D, stella vero quæpiam sit in S, & quo temporis momento per-venit oculus ad punctum quodvis ejus semitez A duca-tur recta AS, statuit minime stellam visum iri in direc-tione AS, nisi si infinita fuerit præ oculi celeritate luminis celeritas, nempe si lumen in instanti à stella ad oculum feratur: nam ubi finita sit celeritatum propor-tio, puta ubi lumen successive propagetur, quemad-modum propagari ipse ponit, futurum ait, ut stella ad-pareat extra rectam AS in directione alia, veluti AR, quæ quidem & existat in plano per BDS ducto, & de-clinet à recta AS ex parte D ( quando oculi motum ex B versus D dirigi posuimus) ea lege, ut quam rationem habeat celeritas luminis ad celeritatem oculi, eamdem perpetuo servet sinus anguli RAD ad sinum aberratio-nis SAR: ubi notandum, quum angulus aberrationis sit quamminimus (maxima enim est celeritas luminis præ annua Telluris, sive oculi celeritate) nihil ad sentum errari posse, si in hac, quam diximus, analogia pro-sina anguli RAD substituatur sinus anguli ipsius SAD: que subtitutio percommoda est, ut eo facilius aberrationum mensuras in casibus singulis definiamus. Hoc ergo nos deinceps præstabilimus, angulumque SAD *inclinationis*, vocabuli gratia, nominabimus.

681. Cæterum Theorematis hujus plane novi, Physi-cisque inauditi veritatem sic ostendit laudatus Bradley. Cogitabam inquit CA (*Fig. 81.*) radium esse luminis in rectam DB perpendiculariter incidentem. Jam si oculus immotus maneat in A, adparebit illi objectum iuxta di-rectionem AC, sive lumen in instanti, sive in tempore pro-pagetur; hoc tantum cum discrimine quod, si lumen diffunditur in instanti, sidus semper contueatur eo in loco, in quo actu reperitur; si vero in tempore propa-gatur, eo casu sidus in eo loco, in quo actu est, post tem-pus aliquod adpareat, post tantum scilicet tempus, quan-

quantum postulatur ut à fidere ad nos perveniat. At vero si oculus ex B versus A moveatur, lux autem ea' celeritate feratur, qua ad celeritatem oculi rationem habeas CA ad BA, tunc sane quo tempore oculus ex B à A transfertur, lumen ex C in A progeditur. Particula ergo illa luminis, cuius actione, quum oculus in A pervenerit, obiectum videbitur, ea ipsa erit in C, quo tempore oculus in B existet.

682. Jungantur puncta B & C, & ponamus lineam CB tubum aliquem esse ad lineam DB inclinatum in angulo DBC, ac tam exiguum fingamus ejus tubi diametrum, ut unicam lucis particulam admittat. Facile intelligebam futurum, ut particula lucis in C posita, cuius particula actione obiectum videndum est, quum oculus motu suo in A pervenerit, transfret per tubum BC, si hic ad rectam DB in angulo DBC perpetuo inclinaretur, neque fieri posse, ut umquam ad oculum ejusmodi tubo applicatum perveniret, si alia qualibet tubi inclinatio foret ad BD. Item si CB non ut tubis angustis, verum ut amplioris tubi axis spectetur, nusquam tamen fieri poterit, ut particula luminis C per axem illum transeat, nisi hic axis ad rectam BD in angulo illo CBD inclinatus sit. Eodem pacto si oculus opposita directione, nempe ex D versus A eadem, atque antea celeritate moveatur, necesse erit tubum inclinari ad rectam DB in angulo CDB. Quamquam igitur vera directio obiecti normalis sit ad rectam, in qua oculus fertur, adparens tamen obiecti locus minime in hac recta, sed in ipsa tubi directione procul dubio factus erit, eritque veri atque adparentis loci major, aut minor differentia, pro eo ac alia fuerit celeritatum luminis oculique proportio.

683. Quod si fingere liceat lumen punto temporis propagari, tametsi oculus moveretur, nullum discrimen inter verum & adparentem obiecti locum intercederet; sunc enim AC præ AB esset infinita, angulusque ACB veri scilicet adparentisque loci differentia evanesceret. Sin autem lumen in tempore propagetur (quod à plerisque hujus faculi philosophi's facile concessum iri mihi persuaderem) tunc sane ex his, quae diximus, sequitur aliquam esse debere

debere inter verum & adparentem objecti locum differentiam, modo oculi motus versus objectum ipsum recta non tendat, vel recta ab eo non recedat: eritque semper sinus differentia inter verum & adparentem locum ad sinum inclinationis linea, per quam objectum videbitur, cum oculi semita, ut celeritas oculi ad celeritatem lumenis.

684. Hæc sunt, quæ habet clarissimus Bradley, quæque quum obscuritate aliqua laborent, theorematis veritatem subdubiam faciunt. Sed nos, ut ab omni obscuritatis labe expositum theorema vindicetur, sedulo operam dabitur. Esto S sidus (Fig. 82.) O oculus, O<sub>o</sub> via ab oculo quam minimo tempore descripta, dum Tellus in eclipticæ plano fertur circa Solem, S<sub>o</sub> via eodem tempore à particula illa luminis descripta, quæ oculum ingreditur, quando ad locum o progressus est. Ducatur per sidus S recta a S<sub>o</sub> parallela rectæ O<sub>o</sub>, deinde vero per puncta O, & o ducantur rectæ O<sub>a</sub>, os parallelae rectis oS, OS.

685. Et quoniam motus communis æqualis & rectilineus, quemadmodum Libro I. demonstratum est, nihil officit propriis motibus corporum, si particulae luminis, quæ movetur secundum directionem S<sub>o</sub> cum velocitate S<sub>o</sub>, & oculo, qui movetur secundum directionem O<sub>o</sub> cum velocitate O<sub>o</sub>, tribuamus motum alium communem & rectilineum, nihil inde relativis motibus luminis & oculi detrimenti obveniet. Esto motus iste oculo inditus secundum oO, sideri autem secundum Sa, ejusque quantitas sit oO, sine etiam Sa, quæ æquales sunt inter se.

686. Quia igitur oculus O movetur motu duplo, quorum alter est ab O ad o, ejusque quantitas est O<sub>o</sub>, alter autem est vicissim ab o ad O, ejusque quantitas est eadem oO, dubitari nequit quin oculus maneat immotus in loco O. Præterea quum particula luminis à sidere S egrediens agitetur eodem tempore motibus duobus, quorum directiones & quantitates sunt S<sub>o</sub>, Sa, notum est eam motum iti secundum semitam obliquam S<sub>o</sub>, atque perventuram ad O eodem prorsus tempore, quo per-

perveniet ad o. Quapropter in hac hypothesi particula luminis illabetur in oculum immotum secundum directionem SO, inque ea directione sidus adparebit. Atqui motus communis sideri oculoque inditus nihil adfert detrimenti propriis motibus eorum; ergo etiam quem oculus movetur ab O ad o, lumen autem ab S ad o, particula luminis percutiet oculum secundum directionem so, quæ parallela est directioni SO, sidusque, quod revera est in S, adparebit in s.

687. Unde modo patet, quid sibi velit clarissimus Bradley, dum, ad theorematis veritatem ostendendam, utitur tubo fictilio OS ab oculo O ad sidus usque S producto, unaque cum oculo O translato ab OS ad os. Hic enim tubus excipiens particulam luminis elapsam & Sole secundum directionem SO largitur ei motum secundum directionem Ss: adeoque particula luminis à tubo delata revera fertur secundum directionem So: sed tamen oculus in o conspicit sidus per tubum OS delatum in os, illudque refert ad punctum s.

688. Nunc ut parallaxium varietatem secundum expositam luminis legem indagare satagamus, cogitemus orbem Telluris annum esse circulum CNO' (Fig. 82.) circa Solem S, tamquam centrum, in eclipticæ plano descriptum, perque hujus circuli periferiam Telluris centrum moveri secundum seriem signorum ex C per N ad O. Esto autem SP axis eclipticæ, stella quævis in F, circulus latitudinis hujus stellarum PFB ad eclipticam perpendicularis. Ducatur recta SF, ac primum ponatur Tellus in C, ubi stella Soli juncta adparet. Jam si agatur recta Cf parallela rectæ SF, manifestum est ipsam ad sensum dirigi in stellam F, præ immensa Firmamenti amplitudine respectu semidiæmetri Telluris CS; ac propterea si Tellus maneret immota in loco C, stella contueretur in ipsa recta Cf. At vero quum oculus in C minime quiescat, oportet aberrationem aliquā contingere vi theorematis Bradleyani modo expoliti.

689. Hujus autem aberrationis mensuram & placitum definiemus, si consideremus oculum sive Tellurem, dum est in punto C, ita moveri, ut minimo tempore

pore describat portiunculam tangentis  $dCK$ , ejusque motus directionem tendere à  $d$  versus  $K$ , nempe ad occasu ad ortum: itaque faciendum est ut luminis celeritas à stella  $F$  propagati ad oculi celeritatem, sive etiam ad celeritatem Telluris, ita sinus anguli inclinationis  $fCK$ , qui angulus in puncto conjunctionis rectus est, ad sinus anguli aberrationis  $fCm$ ; hicque angulus statuendus est in plano per rectas  $dk$  &  $fC$  ducto ex parte  $K$ , versus quam partem oculi motus dirigitur: eritque  $Cm$  directio loci adparentis stellæ  $F$ , quum ea Soli conjungitur. Quapropter si denique agatur recta  $SM$  rectæ  $Cm$  parallela, & usque ad Firmamentum producatur in  $M$ , adparentis ad sensum stellæ locus erit punctum  $M$ , atque aberratio stellæ erit arcus circuli maximi per puncta  $F$  &  $M$  ductus, quem arcum angulus  $MSF$ , sive ei æqualis  $mCf$  metitur.

690. Ex hac autem constructione facile est colligere, aberrationis plagam hoc casu, quum scilicet stella Soli conjungitur, occidentalem fore: nempe locum stellæ adparentem  $M$ , si ad verum locum  $F$  referatur, in occasum vergere, angulumque  $MFP$ , quem aberrationis arcus  $MF$  cum circulo latitudinis  $PFB$  comprehendit, rectum esse, & propterea puncta  $M$  &  $F$ , verum scilicet & adparentem locum, versari in eodem præterpropter circulo eclipticæ parallelo, sive in eadem distantia à polo eclipticæ  $P$ . Ex quibus colligitur in conjunctione nullam esse latitudinis parallaxim, sed eam omnem in longitudinem abire, & quidem occasum versus; id quod cum observationibus convenire videtur.

691. Interim adnotare hic libet discrimen inter *Bredleyanam* & communem hypothesim circa aberrationes siderum, quæ Soli conjunctione sunt. Secundum hypothesisim enim communem sideris Soli iunctu eti nulla est parallaxis longitudinis, parallaxis vero latitudinis omnium maxima est: at vero secundum *Bredleyanam* hypothesisim vicissim parallaxis latitudinis nulla est, parallaxis vero longitudinis aliqua: & quum observationes magis faveant huic quam illi hypothesisi, sequitur hanc illi esse anteferendam.

692. Ponamus nunc Tellurem translatam esse ad punctum orbitæ suæ N, quod à coniunctione C quadrante distat, ut scilicet stella in quadrato Solis adspexitur versetur: ducatur etiam linea Ng rectæ SF parallela, quæ in stellam F ad sensum dirigi pariter censenda est; tum per N agatur tangens QNr, quæ directionem motus oculi referet & quidem à Q versus r: denique fiat ut velocitas luminis à sidere F propagati ad annuam Telluris velocitatem, ita sinus inclinationis gNr (qui angulus in hoc Telluris positu æquatur angulo latitudinis stellæ FSB) ad sinum aberrationis gNO. Adparebit igitur stella in directione No, cui si agatur parallela Sit Firmamenti sphæræ occurrentis in puncto I, erit I ad sensum locus, in quo stella videbitur ē Tellure, & arcus circuli maximi FI, vel angulus FSI, angulo gNo æqualis, evagationis mensuram determinabit.

693. Patet autem planum FSI, quippe piano gNo parallelum, coincidere cum ipso piano circuli latitudinis PFB: adeoque nullam esse in hoc positu, puta in prima à coniunctione quadratura, stellæ evagationem in longitudinem, sed eam, quanta est, in latitudinem absumi, & quidem ad partes polo eclipticæ P oppositas, hoc est in stellis borealibus ad austrum, ad boream vero in australibus. Ad hæc sinum aberrationis FI in quadratura sinu aberrationis FM in coniunctione eadem proportione minorem esse, qua sinus inclinationis gNr, sive ipse sinus latitudinis FSB, sinu inclinationis fCK, sive radio, minor est: atque adeo ipsos aberrationum arcus FI, FM eamdem proportionem sequi, utpote per exiguos, sinibusque suis ad sensum proportionales.

694. Atque hic etiam adnotare libet discrimen inter communem & Bradleyanam hypothesim circa parallaxes siderum in prima à coniunctione quadratura. Secundum hypothesim enim communem parallaxis longitudinis est maxima in quadraturis, parallaxis vero latitudinis eodem loci est nulla: at vicissim in Bradleyana hypothesi parallaxis longitudinis nulla est in prima à coniunctione quadratura, parallaxis latitudinis aliqua: quumque observationes huic magis faveant quam

336 PHILOSOPHIÆ NATURALIS  
quam illi, adparet hypothesim Bradleyanam veritati  
magis consonam esse.

695. Haud secus demonstrabitur, quum Tellus ad oppositionis punctum O perreixerit, aberrationem stellæ fore arcum FR arcui FM æqualem, sed in plagam oppositam, hoc est ad ortum; quum vero ad quadraturam, quæ oppositioni succedit, aberrationem FT æqualem fore aberrationi FI prioris quadraturæ, atque illi aversam. Ex quibus denique omnibus intelligi potest annuo spatio curvam quamdam semitam MIRT à stella ad parenter descriptum iri, quæ semita in quadrantes quatuor æquales MI, IR, RT, TM ab arcibus duobus TI & MR discriminatur, quorum arcuum TI ad circulum latitudinis pertinet, MR vero cum parallelo eclipticæ ad sensum coincidit; atque eam fore hujusc motus legem, ut stella ex punto maxime occidentali M, ubi in coniunctione reperitur, digressa, quadrantem illum è duobus occiduis primum peragrare incipiat, qui ad polum oppositi stellæ hemisphærii pertinet, nempe MI, ac deinde reliquos ordine percurrat, singulos absolvens eo temporis intervallo, quod à syzygia ad quadraturam, vel ab hac ad syzygiam proximam elabitur.

696. Ad inveniendam porro naturam curvæ lineæ MIRT ( quæ tametsi in superficie sphærica à stella describitur, ad sensum tamen veluti figura plana spectari potest ) attendendæ sunt præterea intermediæ Telluris positiones, quæ scilicet neque in syzygias incident, neque in quadraturas, inque in his perpendenda est tum aberrationis plaga, quum quantitas ipsius. Esto igitur Tellus in punto orbitæ Z inter C & N, & duæ semper intelligatur per punctum istud recta orbitam contingens, rectaq; alia ipsi FS parallelæ; plano autem per duas hasce rectas transeunti aliud ducatur parallelum per ipsam FS, nempe LSF, hocque ad Firmamenti sphæram productum intelligatur; & communis sectio plani hujuscum plano curvæ MIRT aberrationis plagam, ut facile adparet, directione sua designabit.

697. Sed angulus quem communis hæc sectio cum arcu meridiani TI, vel paralleli eclipticæ MR comprehendit

hendit (quem angulum distantiam à puncto elongationis mediæ vel coniunctionis reductam appellari diximus *Capite III.*) iavenietur, si fiat ut radius ad finum latitudinis stellæ, sive ut FM ad FI, ita tangens anguli CSZ, nempe Telluris à coniunctione distantia, ad tangentem distantia reductæ. Describatur ergo centro F radio FM circulus MDR, fiatque angulus MFD æqualis angulo CSZ, & demittatur ex puncto D perpendicularis Dq ad diametrum RM: tuin fiat ut FM ad FI ita Dq ad Aq, sive ut tangens anguli DFq ad tangentem anguli AFq: quum enim DFq sit distantia Telluris à coniunctione, erit angulus AFq distantia ejusdem reducta ab eadem coniunctione: igitur directio FA erit ea, quæ aberrationis plagam ostendit, & quæ rendunt tantum supererit punctum ipsum hujuscce rectæ FA, in quo puncto adpares stellæ locus versabitur.

698. Ad hoc autem punctum determinandum, prænoscendus est inclinationis angulus positioni Telluris Z respondens, quem videlicet angulum rectæ linea orbitam tangens in Z cum recta alia ex Z ad stellam ducta, quæ quidem ad sensum rectæ FS est parallela, comprehendit: scilicet cognoscendus est angulus (*Fig. 84.*) fZK. Ducatur SL parallela tangentи ZK: & quum sint rectæ FS, SL parallelæ rectis fZ, ZK; erunt plana FSL, fZK æquidistantia, anguli vero FSL, fZK æquales erunt. Sumatur in recta SF quodvis punctum V, à quo in eclipticæ planum cadat perpendicularis VP: ea incidet in lineam syzygiarum CO; tum à puncto P ducatur perpendicularis PG ad rectam SL, & jungatur VG.

699. Et quoniam radius SZ est perpendicularis ad tangentem ZK, erit idem radius perpendicularis ad rectam SL, quæ tangenti est parallela: atqui etiam PG est perpendicularis ad SL: quare rectæ SZ, PG erunt parallela, eritque angulus CSZ æqualis angulo SPG. Præterea quum recta VP sit normalis ad planum eclipticæ, erit planum VPG normale ad idem planum; adeoque quum recta SG, quæ est in plano eclipticæ, sit perpendicularis ad communem sectionem PG plani VPG cum piano eclipticæ, erit SG perpendicularis ad

Tom. II.

Y

idem

idem planum VPG, adeoque angulus VGS erit rectus.

700. Et quoniam in triangulo SPG, ut est SP ad SG, ita est radius ad sinum anguli SPG, estque hic angulus SPG ~~equalis~~ angulo CSZ, erit ut radius ad sinum anguli CSZ, ita PS ad SG: unde quia, sumpta recta SV pro radio, est SP sinus complementi latitudinis stellæ VSP, & SQ sinus complementi VSG, sive fZK, qui est angulus inclinationis, erit quoq; ut radius ad sinum angeli CSZ, ita sinus complementi latitudinis stellæ (quæ tria semper data sunt) ad sinus complementi inclinationis quæ sit.

701. Hoc posito, si radius dicatur  $r$ , sinus latitudinis  $b$ , atque adeo sinus complementi latitudinis  $\sqrt{rr-bb}$ , ac denique sinus anguli CSZ vocetur  $a$ , erit sinus anguli inclinationis, quem prænoscendum diximus  $a\sqrt{rr-bb}$ : unde ipse sinus rectus anguli in-  
clinationis sit  $\sqrt{rr-a^2+abb}$ . Huic sinui propor-

tionalis esse debet, ex Bradleyana lege, sinus aberrationis stellæ, sive aberratio ipsa: nam aberrationum exiguorum eadem est proportio, atque eorum sinus: ergo si aberratio stellæ, quum Tellus est in coniunctione, dicatur  $r$ , potius nunc Tellure in Z, aberratio erit  $\sqrt{rr-a^2+abb}$ ; atque hæc quantitas ex punto F in

recta FA (Fig. 82.) sumenda erit versus A, ut adprens stellæ locus habeatur.

702. Facile autem ostenditur mensuram istam aberrationis in ipso punto A terminari, in quo perpendicularum Dg rectam FA intersecat: est enim ex constructione angulus MFD angulo CSZ ~~equalis~~, ac propterea ejus sinus, hoc est recta Dg (in circulo scilicet MDR cuius radius MF est  $r$ ) erit  $=a$ , & FQ  $=\sqrt{rr-a^2}$ . Pariter ex constructione est MF sive FE ad FI, ut radius ad sinus latitudinis, sive ut  $r$  ad  $b$ : propterea quippe sit MF  $=r$ , erit FI  $=b$ ; ac denique ut FE ad FI, ita

ita facta est  $Dq$  ad  $Aq$ : ergo  $Aq = \frac{r}{\sqrt{rr - aa + \frac{ab^2}{rr}}}$ . Quum igitur quadrata duo  $Aq$ ,  $Fq$  simul sumpta adæquent quadratum  $FA$ , erit hæc recta  $= \sqrt{rr - aa + \frac{ab^2}{rr}}$ , quæ est ipsa quantitas aberrationis supra inventa.

703. Aberratio ergo qualiter tam positione, quam magnitudine est ipsa  $FA$ , & punctum  $A$  est ad lineam curvam ex Bradleyana aberrationum lege descriptam. Hæc autem curva non alia sane est, quam ellipsis, cuius axis transversus  $MR$  conjugatus autem  $TI$ ; hujuscemodum enim curva hæc ipsa notissima est proprietas, quæ puncto  $A$  ex constructione competit, ut scilicet ordinatas  $qA$  ad ordinatas  $qD$  circuli  $MER$  axe transverso  $MR$ , tamquam diametro, descripti eamdem rationem habeant, quam conjugatus axis ad transversum, neinpe quam  $FI$  ad  $FE$  seu  $FM$ .

704. Quæ omnia si quis sedulo contemplates, facile intelliget quid Bradleyana hypothesis cum parallaxeon hypothesi commune habeat, quid etiam inter utramque intersit. Nimirum in utraque hypotheti singulæ stellæ annuo spatio ellipsem, & quidem specie eamdem, describunt, cuius ellipseos axis transversus juxta circumflexum eclipticæ parallelum extenditur, conjugatus circulo latitudinis congruit, centrum vero immobili stellæ centro respondet, estque axium proportio eadem, quæ radii ad sinum latitudinis stellæ: unde oportet, si stellæ in polo eclipticæ collocetur, ellipsem in circulum faceſſere; si autem in ipso eclipticæ plano, in rectam linéam. Præterea quemadmodum in hypotheti parallaxeon si stellæ omnes æqualem a Sole distantiam habere ponantur, omnium ellipſeon axes transversi æquales sunt, ſin autem inæqualem, axium magnitudines ſunt in reciprocâ ratione distantiarum à Sole; ita in nova hypotheti ſi omnium lumen eadem celeritate moveantur, æquales ſunt axes primarii; ſin aliarum alia, proportionem ſequuntur celeritatum inversam. Itaque ex data à Sole distantia aberrationes, & vicissim ex aberratione

tionibus dilitantia in illa hypothesi deducitur ; in haec vero ex data celeritatum ratione aberrationes , contra ex aberrationibus celeritatu n ratio investigatur.

705. Sed in eo discrepant hypotheses, quod parallaxeon leges adparentem stellæ locum syzygiarum tempore in extremis axis conjugati statuant , ita quidem ut in coniunctione extremum ejus à polo stellæ cognomine aversum occupet, atque ex eo puncto ortum versus revolutionem annuam inchoet ; Bradleyana autem suppositio coniunctionis tempore stellam in extremo occiduo axis transversi collocet , ex quo puncto per quadrantem ellipsoes à polo remotiore annuum iter ingrediatur. Unde oportet aberrationes ejusdem generis ( in longitudinem videlicet & latitudinem ) maximas in altera hypothesi inveniri, quo tempore in altera nullæ sunt , nullas vero, quum maximæ . Eadem itaque ellipsis in charta descripta , atque eadem geometrica constructione ad inveniendum in periferia ellipsoes stellæ locum utrius hypothesi accommodatur ; tantum in eo dissident , quod idem stellæ cum Sole adspectus minime ad eadem periferiae puncta referuntur.

706. Quod attinet aberrationes secundum declinationem adlectionemque rectam, nihil addam ; satis enim intelligitur ad ejusmodi evagationes in ellipsi stellæ definiendas constructionem eamdem , quam *superiori Capite* tradidi , utrius hypothesi communem esse , licet maximarum & minimarum tempora longe alia reperienda sint; atq; hic etiam contingat, ut quo ferme tempore stella in altera hypotheseon maxime ad ortum vel occasum aberrat , in altera nihil quidquam secundum eas plagas evagetur ; idemque in declinationum erroribus contingat.

707. Quod si vicissitudines siderum annuae ad hanc Bradleyanam hypothesim expendantur, mirus inter illas & hanc adparebit consensus : id quod quum constaret Bradley, confidenter afferuit se germanam aberrationem non modo legem , sed & causam affectum esse ; neque nos iniciaremur , si per Telluris motum liceret, nam de successiva luminis propagatione non ambigimus.

mus. Celeritatem autem lumiuis, que à Romero aliisque astronomis per eclipses Jovialium comitum quæsita fuerat, ex iplis aberrationibus eruendam sibi proposuit Bradleyus; subductisque calculis eandem in omnibus, quas ipse observavit, stellis deprehendit, tantam scilicet, que ad Telluris annuam celeritatem eam rationem habet, quam radius ad sinum scrupolorum secundorum viginti; tot enim secundis aberrationes maximas (quum scilicet angulus inclinationis est rectus) in omnibus stellis definiri, observationum ab ipso habitarum consensus confirmat.

708. Ex eo autem sequitur, omnium ellipson à stellis descriptarum axes transversos secundorum esse proxime quadraginta, neque majorem minoremque luminis intensionem quidquam diversitatis efficere, quando eadem lucis celeritas in stellis secundæ aut tertiae magnitudinis se prodit, atque in illis, que ad quintam vel sextam classem pertinent. Atque hinc intelligi potest, quantum temporis requiratur ut lumen certum spatiū, ut puta lineam rectam semidiometro orbis anniū æqualem, pertranseat. Ut enim sinus secundorum scrupulorum 20 ad radium, ita celeritas Telluris ad celeritatem luminis: eodem igitur tempore & lux semidiometrum cuiuslibet circuli, & Tellus sinus secundorum 20 in eodem circulo ea, qua praedita est celeritate, percurrere potest. Atqui Tellus sinus, seu arcum ipsum secundorum 20 in circulo orbis anniū medio mota peragrat spatio minutorum temporiorum circiter octo (neque vero neceſſe hic est veram ejus velocitatem à media subtilius distinguere); ergo eodem tempore, minutorum scilicet octo, lumen semidiometrum orbis anniū trajicit: id quod à Romeri aliorumque rationibus haud multum ab ludit; medium enim inter eorum determinaciones locum obtinet, quum alii minuta undeci m, alii septem in illo spatio peragendo impendi statuerint.

## SECTIO SEPTIMA.

*De Causis Physicis Motuum Cœlestium.*

709. **E**xpositis motibus cœlestibus, veniendum modo est ad causas eorum, quæ juris præcipue phylici sunt. Per causas autem phylicas, de quibus hic est sermo, non intelligimus ultimas illas, quarum nullæ prorsus sunt causæ, sed quales in Phylicis sperari possunt. Itaque quamquam nos motus omnes cœlestes à gravitate ipsorum corporum, quæ per spatio cœlestia moventur, derivare hic admittamus, tamen longe abest, ut agnoscamus gravitatem pro ultima eorum motuum causa, sed tantum pro proxima: neque inficiatur ipsius gravitatis originem tantis dumis obseptam esse, ut beatus reputandus sit, qui ad ejus fontem vel digitum possit intendere.

## C A P U T P R I M U M.

*De Motu Corporum Cœlestium Curvilineo.*

710. **E**t primo quidem loco videndum est, unde accidat ut planetæ primarii cometæque cursibus suis curvilineis Solem ambiant, planetæ vero secundarii circa primarios suos rotentur: nam id primum se se nobis offert expendendum. Videtur autem mihi id commodissime explicari posse, si cœlestia corpora habeantur tamquam projecta; sic tamen ut planetarum primariorum cometarumque gravitas dirigatur ad Solem, planetarum vero secundariorum ad suos primarios. Quemadmodum enim corpus aliquod terrestre gravitate sua ad centrum Telluris tendens ex punto extra Telluris superficiem, veluti ex præaltissimi montis cacumine, tali vi projici potest secundum directionem

nem horizontalem, ut orbem circa ipsam Tellurem describat, Terraque intacta, eq; redeat unde discesserat; ita & planetæ cometæque primarii, quosvis vis ad Solem diriguntur, sicut & secundarii, quorum vis directa est ad suos primarios, tali vi projici potuerunt, ut curribus suis perpetuo circumirent Solem primariosque planetas respective.

711. Representet ABCD (Fig. 85.) globum Telluris, cuius centrum T, sitque Q cacumen alicujus montis præaltissimi, ex quo secundum directionem horizontalem GH projiciatur corpus aliquod grave. Et quidem si corpus hocce minima aut nulla vi projiciatur, hoc esse si libere demittatur, cadet illud ad A directe infra Q: si vero aliqua vi projectum sit, grave occurset Telluri in loco B, qui locus abest aliquo intervallo à loco A. Quod si dupla vi impellatur, corpus impinget in Tellurem quasi ad duplam distantiam, & quasi ad triplam si cum tripla vi projiciatur, & quasi ad decuplam si cum decupla. Quapropter augeri potest eo usque vis projiciens, ut grave Terram non attingat, perveniatque tandem ad E, quod punctum ipsi A est oppositum; tum enim ascendens rursus redibit ad A, conficiens integrum revolutionem circa Tellurem, qua completa aliam ordietur, deinde & tertiam, atque ita ritu planetæ secundarii Tellurem continuo circumibit, saltem si actis resistentiam nullum ejus motui impedimentum adferre supponamus.

712. Quo autem altius est punctum G, ex quo dejectus grave, eo minori opus est vi ad projectum in planetam mutandum, & quo humilius, eo majori, quemadmodum experientia ipsa plenissime demonstrat: ut enim lapis ad datam à loco jaecus distantiam perveniat, multo major vis postulatur, si locus jaecus humilius sic, quam si sublimior. Tanta autem vis postulatur, ob Telluris magnitudinem: Si enim, eadem manente gravitatis actione, Terra annihilaretur, projecta omnia, quamvis minima vi impulsâ, circa Telluris centrum, à quo gravitatis actionem omnem, quæ nunc à Telluris corpore manat, profluere fingimus, rotarentur.

713. Sit nunc  $P$  planeta quivis (Fig.86.) sive primarius, sive secundarius, sive cometa, &  $S$  locus Solis aut planetæ primarii, ad quem vis corporis  $P$  dirigitur: & iam si ipsum vel sibi relinquatur, vel dejiciatur secundum rectam  $PS$ , statim ruet versus centrum virium  $S$ , ultra quod ab ipso impetu inter decidendum acquifito deferetur, pervenietque ad  $p$ , ita ut adscensus  $Sp$  vel æqualis sit vel paullo major adscensu  $PS$ ; æqualis nempe, si sibi relatum fuerit, at vero paullo major, si fuerit vi aliqua projectum; deinde vero iterum descendet versus  $S$ . adscendetque iterum ad  $P$ , vel paullo supra, tum denuo descendet, atque ita redituque penduli instar describet rectam lineam  $PSp$  transeuntem per centrum virium. At si corpus projiciatur secundum rectam  $PH$ , quæ datum angulum contineat cum recta  $PS$ , tunc ipsum neque descendet recta versus centrum virium, neque recta perget moveri secundum directionem jactus  $PH$ , sed ad instar projecti terrestris circumibit centrum virium  $S$ .

714. Quapropter ad explicandum motum planetarum primariorum & cometarum circa Solem, secundariorum vero circa suos primarios sat est supponere planetas primarios atque cometas rapi indelinenter à quadam vi, sive gravitatis, sive attractionis versus Solem, planetas vero secundarios versus suos primarios; & vero Deum principio rerum projectisse ea corpora aliqua vi (cujus quantitas inferius excutietur) secundum directiones, quæ datum angulum continerent cum rectis lineis duabus à planetarum vel cometarum centris ad centra virium.

715. Cæterum ut hæc habeant locum, haud quidem necesse est, virium centra manere immobilia: possunt enim quovis modo moveri, manente interea motu corporis circa ipsa: quod ut demonstretur, supponamus planetam  $P$  (Fig.87.) gravitate sua tendere ad centrum  $S$ , quod moveatur motu rectilineo uniformi  $Ss$ , supponamusque etiam eumdem planetam projectum esse secundum directionem  $PH$  ea velocitate, quæ sit ad velocitatem centri  $S$ , ut se habet  $PH$  ad  $Ss$ . Quoniam

niam motus communis rectilineus iaditus secundum rectas lineas parallelas corporibus, utcumque motis, nihil officit motui relativo ipsorum corporum; si centro S planetæque P tribuamus motum communem secundum lineas parallelas PI, sS, cuius quantitas tanta sit, quantus est motus centri S versus s, scilicet tribuamus motum sS, omnia in eodem statu perseverabunt. Atqui centrum S quiescit, planeta vero P actus duobus motibus rectilineis PH, PI tendere nititur secundum diagonalem PQ; adeoque tendens quoque gravitate sua ad centrum immotum S moveri debet circa ipsum, ergo planeta P etiam motu suo circumibit centrum S, quem ipsum centrum movetur motu rectilineo sS, planeta vero jactus est secundum directionem PH. Neque dissimiliter procedet demonstratio, si centro S tribuatur motus rectilineus variabilis, vel etiam tribuatur motus aliquis curvilineus.

## CAPUT SECUNDUM.

*De aquabili arearum descriptione:*

716. **V**idendum proxime fiat, ut planetæ tum primarii quum secundarii cometæque radiis ad Solem vel ad primarios ductis areas describant temporibus proportionales: quod in *Kepleriana* astronomia præcipuum est. Esto itaque S (Fig. 88.) Sol, & ABCD linea curva quævis (placet enim rem generaliter ostendere; neque enim adhuc demonstratum est corpora cœlestia moveri in orbibus ellipticis) quam planeta vel cometa quivis describit circa Solem, atque ipsam divisam supponamus in partes minimas AB, BC, CD, ita ut ductis radiis SA, SB, SC, SD, triangula exigua sive potius sectores minimi SAB, SBC, SCD æquales sint inter se. Et quoniam constat planetam vel cometam, ita circumferri circa Solem, ut radiis ad ipsum ductis areas describant temporibus proportionales; erunt tempora per exiguos arcus AB, BC, CD æqualia inter se.

Pro-

Producatur arcus AB, qui à recta linea ad sensum non differt, usque ad c, ita ut sit Bc æqualis AB, ducaturque cc : & similiter producatur BC usque ad d, ita ut sit Cd æqualis BC, ducaturque dd ; tum vero jungantur rectæ Sc, Sd.

717. Et quoniam bases AB, Bc æquales sunt inter se, triangula æque alta SAB, SBC æqualia erunt ; atqui triangula SAB, SBC ex hypothesi æqualia sunt : quare triangula SBC, SBC in eadem basi SB constituta æqualia erunt, eritque ideo rectula Cc parallela radio SB . Similiter quoniam bases BC, Cd æquales ponuntur, triangula æque alta SBC, SCd æqualia erunt : atqui triangula SBC, SCD ex hypothesi sunt æqualia : quare triangula SCd, SCD in eadem basi SC constituta æqualia erunt ; ideoque rectula Dd parallela erit radio SC.

718. Præterea quoniam planeta vel cometa describit orbitam ABCD propter aliquam vim centripetam retrahentem illos indefinenter de cursu rectilineo versus partes Solis S; si supponamus vim istam centripetam in punto B ab agendo desistere , pergeret planeta vel cometa ire in recta ABc , describeretque æquali tempore , quo descriperat arcum AB , rectulam Bc æqualem ipsi AB , modo omne medii impedimentum de Cælo sublatum supponamus . Atqui vi centripeta agente planeta vel cometa eodem tempore reperitur in C ; quare directio vis centripetas agentis in loco B est secundum rectam Cc , tive potius secundum rectam BS parallelam ipsi Cc , adeoque ad Solem tendit tamquam ad centrum.

719. Eadem ratione si supponamus vim centripetam , cuius actione planeta vel cometa deflestitur à cursu rectilineo BCd in arcum CD,in loco C ab agendo cessare , pergeret is ire in recta BCd , describeretque æquali tempore , quo descriperat seorsim arcus AB,BC , rectulam Cd æqualem ipsi BC , modo etiam omnem de Cælo relinquantiam remotam supponamus . Atqui vi centripeta agente reperitur in loco D : quare directio vis centripetas agentis in loco C est secundum rectam CS parallelam ipsi dD , adeoque ad Solem quoque dirigitur quoniamque eadem sit demonstratio de aliis locis , sequitur

tur vim, quæ cogit planetam ire per semitam ABCD ea lege, ut areas describat temporibus proportionales, ad Solem S tamquam ad centrum perpetuo dirigi.

720. Sed adnotandum est, id tunc verum esse, quando spatio cœlestia neque facient neque adversantur motibus corporum, quæ errant per ea: Nam si supponamus planetam vel cometam nonnihil retardari propter resistentiam materiae cœlestis, tunc vis centripeta alibi quam ad Solem dirigetur, & quidem in consequentia; quod si vicissim fingamus planetam vel cometam nonnihil accelerari, quæ tamen hypothesis à ratione videtur quam longissime aliena, eo casu vis centripeta diverget pariter à Sole, sed in antecedentia signorum. Nam primo, sublata vi centripeta in loco B, (Fig. 89.) supponamus corpus cœleste æquali tempore devenisse ad X, descripsisseq; rectam BX minorem arcu AB vel BC, propter resistentiam mediæ cœlestis: manifestū est vim centripetam, quæ facit ut planeta vel cometa in fine ejusdem temporis reperiatur in loco C, dirigi secundum rectam BC parallelam rectulæ XC, adeoq; divergentem à Sole in consequentia signorum. Et secundo, sublata vi centripeta in loco C, supponamus corpus cœleste æquali tempore devenisse ad x, descripsisseq; rectam Cx majorem arcu BC vel Cd, manifestū est vim centripetam, quæ facit ut planeta in fine ejusdem temporis reperiatur in loco D, dirigi secundum rectam Cx parallelam rectulæ xD, adeoque divergentem à Sole in antecedentia signorum.

721. Itaque æquabilis arearum descriptio, quæ obtinet in motibus corporum cœlestium circa Solem, dupli ratione explicari potest. Primo supponendo cum magno geometra Isaac Newtono planetas & cometas gravitate in Solem, spatio autem ætherea nullum cœlestibus motibus impedimentum adferre. Secundo supponendo gravitatem planetarum & cometarum alibi tendere, quam ad Solem, spatio autem ætherea prodesse vel obesse cœlestibus motibus. Et quidem si spatio cœlestia obesse quis velit motibus cœlestibus, poterit is debet centrum virium in consequentia signorum; sin velle prodesse (id quod tamen omnino est à rati one alienum) statuas

Satuit oportet centrum virium in antecedentia signorum. Sed verisimilius est spatia ætherea nullum cœlestibus motibus adferre impedimentum, atque adeo planetas & cometas gravitate sua ad Solem, tamquam ad centrum tendere.

722. Quin immo si adsumere libeat hanc hypothesim, quæ simplicissima & fortasse à veritate aliena non est, scilicet gravitatem uniuscujusque planetæ, vel cometæ vagam non esse, sed temper unum idemque centrum respicere, facile erit ostendere, centrum istud esse Solem, adeoque planetas & cometas inter progrediendum nullam à medio cœlesti pati retardationem. Esto enim S Sol (Fig. 90) & A planeta quivis vel cometa describens ab occasu in ortum orbem ABCD circa Solem S; litque O centrum, ad quod dirigitur perpetuo gravitas planetæ vel cometæ. Ducatur recta OS, eaque producatur usque ad puncta A & C: manifestum est vim planetæ vel cometæ describentis partem inferiorem ABC sui orbis divergere à Sole in antecedentia signorum; at vero vim ejusdem planetæ vel cometæ describentis reliquam partem CDA sui orbis divergere à Sole in consequentia signorum. Quapropter medium cœleste davebit cometæ vel planetæ, dum describit inferiorem sui orbis partem, adversabitur vero, dum superiorem pererrat; quod quoniam absurdum sit, liquet vim planetæ vel cometæ dirigi debere in ipsum Solem, ideoque medium cœleste nullum corporibus, quæ errant per illa spatia, impedimentum adferre.

723. Interim adnotare. hic oportet, in spatiis five mediis non resistentibus virium centrum recedere ab arearum centro in consequentia, si earum descriptio acceleretur, recedere vero in antecedentia, si retardetur. Nam in schema 88, si arearum descriptio acceleretur, planeta in tempore, quo descripsit areolam SAB, describet areolam SAO aliquanto majorem; adeoque vis centripetæ actio exercebitur secundum rectam CO; five etiam secundum rectam BQ ei parallelam, quam liquet declinare à centro arearum S in consequentia: id quod

quod eo magis verum erit, si medium obsertere ponat us  
motui planetæ. At si arearum descriptio retardetur,  
planeta in tempore, quo describit areolam  $SAB$ , de-  
scribet areolam  $SAo$  aliquanto minorem; adeoque vis  
centripetæ actio exercebitur secundum rectam  $co$ , sive  
etiam secundum rectam  $Bq$  ei parallelam; quam liquet  
declinare à centro arearum  $S$  in antecedentia.

724. Videamus modo unde accidat, ut planetæ se-  
cundarij describant pariter areas fere temporibus pro-  
portionales circa primarios suos, interea ac cum ipsis  
primariis Solem circumveunt; hoc est expendamus, unde  
accidat ut Luna (*Fig. 91*) circa Tellurem  $T$  areas descri-  
bat temporibus quam proxime proportionales, interea ac  
cum ea fessur circa Solem  $S$ ; nam quod de Luna dicitur,  
idem de Jovis Saturnique comitibus erit intelligendum.  
Et quidem si Tellus  $T$  quiescat, Luna autem  $L$  describat  
circa ipsam areas temporibus proportionales, vis Lunæ  
 $L$  respiciet Tellurem  $T$ , modo nullam à cœlesti medio  
retardationem patiatur, ut supponimus: Pariter si Tel-  
lus  $T$  moveatur motu æquabili in recta  $TO$ , Lunæ au-  
tem, prater motum in orbe  $LBA$ , accedat tantudem  
motus rectilinei secundum rectam  $Lo$  parallelam ipsi  
 $TO$ , pergitq; Luna describere areas temporibus propor-  
tionales circa Tellurem  $T$ , ejus vis dirigetur quoque ad  
Tellurem: quum motus communis & rectilineos nihil  
officiat relativo corporum motui, quemadmodum *Libro*  
*primo* demonstratum est.

725. Finge igitur Lunam  $L$  describere circa Tellurem  
 $T$  areas temporibus proportionales in orbe  $LBA$ , & fin-  
ge pariter tam Lunam quam Tellurem urgeri ad latut  
motu æquali rectilineo secundum rectas lineas parallelas  
 $TO, Lo$ : jam vis Lunæ tendet ad Tellurem  $T$  tamquam  
ad centrum. Quod si tam Tellus quam Luna gravitare  
ponantur versus Solem  $S$  secundum rectas  $TS, LS$  (qua  
ob immensam Solis  $S$  distantiam respectu distantiae Tel-  
luris à Luna haberi quodammodo possunt ut parallelæ,  
sicuti considerari quoq; possunt æquales vires accelera-  
trices, quibus urguntur Tellus & Luna versus Solem  $S$ ),  
tunc Tellus, una cum Lupa incipiet ire circum Solem:  
descri-

350 PHILOSOPHIE NATURALIS  
describendo areas temporibus proportionales, sed Luna  
perget describere interea temporis circa Tellurem ,  
areas temporibus proportionales, quamproxime tamen ;  
neque vis nova ei superaddita arearum descriptionem  
magnopere turbabit : nam vis isthac tanta est , ut vi-  
dimus , quanta est quamproxime illa, qua Tellus urge-  
tur ; & præterea quamquam tendant ambae ad Solem ,  
haberi tamen possunt ut parallelae.

726. Verum vis tota, qua in hac hypothesi Luna  
urgetur neque tendit proprie ad Tellurem, neque tendit  
ad Solem , sed alibi dirigitur . Neque vero datis locis  
Telluris & Lunæ difficile erit invenire directionem ,  
quantitatemque vis, qua Luna tunc urgetur . Sit enim  
Tellus in T , Luna in L , & S Sol . Ducantur LT , LS,  
atque vis acceleratrix Lunæ versus Tellurem designe-  
tur per LT : tum fiat ut LS quadratum ad LT quadra-  
tum & materia terrestris ad materiam solarem conjun-  
ctim ita LT ad LQ , quæ absindatur ex recta LS : &  
designabit LQ vim acceleratricem Lunæ in Solem ; sunt  
enim vires acceleratrices reciproce ut quadrata distan-  
tiarum & directe ut corpora trahentia : quo circa Luna  
in loco L urgetur viribus duabus , quarum directio-  
& quantitates sunt LT , LQ : adeoque , completo paral-  
lelogrammo LQRT , designabit diagonalis LR directio-  
nem quantitatemque vis , qua Luna urgetur in loco L ,  
quæque facit ut & ipsa describat quamproxime areas  
circa Tellurem temporibus proportionales & subsequan-  
tur ipsam Tellurem , quæ movetur circa Solem S.

727. Vis autem isthac composita LR aliquanto  
major est vel minor vi acceleratrice LT , qua Luna  
urgetur versus Tellurem , si circa eam immotam  
areas describeret temporibus proportionales , longius-  
que divergit ab ipsa Luna T: quoniam enim distantia Tel-  
luris sive etiam Lunæ à Sole sit diametrorum terre-  
strium bis sex milliones; distantia autem Lunæ à Tellure  
sit diametrorum terrestrium triginta cum quadrante,  
erit LS ad LT ut 12000 ad 30  $\frac{1}{4}$  , sive etiam ut 398  
ad 1 fere: adeoque LS quadratum erit ad LT quadra-  
tum ut 158404 ad 1 ; unde quoniam ex constructione sic  
LT ad

LT ad LQ ut LS quadratum ad LT quadratum, & materia terrestris ad materiam solarem conjunctim, erit quoque LT ad LQ, ita 158404 ad 1 & materia terrestris ad materiam solarem; Atqui haec posterior ratio inversa major fortasse est ratione 158404 ad 1: quare latus LQ parallelogrammi LQRT majus erit latere LT; ex quo nullo negotio colligitur diagonalem LR, aliquanto majorem esse, vel aliquanto minorem latere LT, & præterea angulum TLR esse alicujus magnitudinis, adeoque vim, qua Luna urgetur, longius à Sole divergere.

## CAPUT TERTIUM.

*De Motu Planetarum & Cometarum  
inæquabili.*

728. Expendendum est tertio loco unde fiat, ut planetæ tum primarii quum secundarii cometæque modo intendant cursum, modo vero remittant; hoc est nunc velocius ferantur, nunc fegnius, atque in aperte quidem summa incedant tardissime in ima velocissime, adeoque in descensu ab aperte summa ad imam jugiter accelerentur, contra vero in ascensu ab ima ad summam continentur retardentur: id quod ab antiquissimis usque temporibus Astronomis iannuit, quamquam iidemmet mutationis velocitatum veram legem & causam asequuti minime sint.

729. Hujus autem mutationis velocitatum sola ac vera causa est æquabilis arearum descripção: quum enim planetæ primarii & cometæ circa Solem, secundarii vero circa suos primarios areas describant temporibus proportionales, quemadmodum iam demonstratum est, adeoque in æqualibus temporibus æquales areas verrant: areæ autem eo longiores evadant, quo longius planeta vel cometa recedit à centro motus; protecto ad æqualitatem arearum servandam necesse est, ut eam arearum in eodem tempore descriptarum maior sit

fit basis, quæ sunt prope apsidem imam; earum vero arearum, quæ sunt prope apsidem summam bases sint minores: Itaque quum bases istæ sint viæ à planeta æqualibus temporibus descriptæ, utique major erit velocitas planetæ prope apsidem imam quam prope summam: in ima autem erit maxima, in summa erit minima.

730. Veluti si MmNn (Fig. 92.) representat orbem à planeta vel cometam descriptum circa Solem, vel circa planetam primarium S, siveque MSm, NSn areae binæ æquales æqualibus temporibus minimis ab ipso descriptæ, quarum prior proprior sit apsidi imæ, posterior vero sit proprior summæ; quoniam area NSn altior est area MSm, erit vicissim bals Nn brevior bali Mm. Quare quum spatia Mm, Nn æqualibus temporibus à planeta descripta sint inter se ut velocitates; profecto erit velocitas planetæ in loco M major velocitate ejusdem in loco N: majus enim est spatium Mm spatio Nn.

731. Neque vero difficile erit exquirere rationem, quam habet velocitas planetæ in loco M ad velocitatem ejus in loco N, sive etiam investigare rationem, quam habet arcus Mm ad arcum Nn eodem tempore descriptum. Diversis enim tangentibus mMX, nNZ, demissisque in eas perpendicularibus SX, SZ à centro virium S, erit quidem triangulum MSm semissis rectanguli contenti sub Mm & SX; triangulum vero NSn erit semissis rectanguli contenti sub Nn, & SZ: quare quum triangula SMm, SNn æqualia sint inter se, erit rectangulum sub Mm & SX æquale rectangulo sub Nn & SZ: adeoque ut se habet Mm ad Nn, ita erit SZ ad SX: est autem Mm ad Nn, ut velocitas in loco M ad velocitatem in loco N; quare erit quoque velocitas in loco M ad velocitatem in loco N, ita perpendicularis SZ ad perpendiculararem SX. Ex quo sequitur velocitatem planetæ in quovis loco esse reciproce, ut perpendicularum demissum à centro virium in lineam, quæ contingit orbem planetæ in eodem illo loco.

732. Facile etiam erit exquirere rationem, quam velocitates duorum planetarum in locis datis habent inter

inter se . Sit enim  $A$  alias planeta describens orbem suum vel circa idem centrum  $S$  vel circa aliud centrum ; id enim nihil prorsus refert : quo autem tempore planeta  $M$  describit arcum  $Mm$ , describat planeta  $A$  arcum  $Aa$  ; & invenienda sit ratio , quam habet velocitas planetæ  $M$  ad velocitatem planetæ  $A$  , sive , quod eodem reddit , invenienda sit ratio , quam habet  $Mm$  ad  $Aa$  . Abscindatur area  $SAB$  aequalis areae  $SMm$ ; eritque rectangulum contentum sub  $Mm$  &  $SX$  æquale rectangulo contento sub perpendiculo  $SR$  ( demissio ex centro  $S$  in tangentem  $Aa$ ) &  $AB$  , adeoque erit ut  $Mm$  ad  $AB$  ita  $SR$  ad  $SX$ : est autem  $AB$  ad  $Aa$  ut triangulum  $SAB$  sive etiam  $SMm$  ad triangulum  $SAa$  : quare ob rationem æqualitatem habebit  $Mm$  ad  $Aa$  , sive etiam velocitas planetæ  $M$  ad velocitatem planetæ  $A$  , rationem compositam ex perpendiculo  $SR$  ad perpendiculum  $SX$  , & ex area  $SMm$  ad aream  $SAa$ : ex quo sequitur velocitates duorum quorumcumque planetarum esse ut areas simul descriptas directe & perpendicula in tangentes a virium centris demissa inverse.

733. Et quoniam areolas simul descriptas sunt integre directe ut areae totæ & inverse ut tempora periodica , Velocitates duorum planetarum , quæ sunt directe ut areolas simul descriptæ & inverse ut perpendicula , erunt pariter directe ut areae totæ , inverse autem ut tempora periodica & perpendicula conjunctim . Neque vero dubitandum quin areolas simul descriptas sint directe ut areae totæ & inverse ut tempora periodica : quum enim area augeatur æquabiliter ad modum temporis ; profecto areola à quovis planeta dato tempore descripta ducta in tempus periodicum dabit aream totam ; & similiter areola ab alio quovis planeta eodem tempore dato descripta ducta in tempus periodicum dabit aream totam ; unde areolas quamminimas dato tempore descriptæ æquales erunt areis totis ad tempora periodica adplicatis ; ideoque erunt ut areae totæ directe & tempora periodica inverse.

734. Quum autem velocitates duorum planetarum sint ut areae totæ directe , inverse autem ut tempora

periodica & perpendicula ; si quidem ponamus orbitas planetarum esse totidem circumferentias circulorum Soli concentricas (quod quamquam accuratissime verum non sit, est tamen verum quam proxime), erunt eadem velocitates directe ut radii circulorum & reciproce ut tempora periodica. Etenim areae sunt ut quadrata radiorum ; perpendicula autem abeunt in radios : unde velocitates erunt directe ut quadrata radiorum, inverse autem ut tempora periodica & radii, sive etiam directe ut radii, reciproce vero ut tempora periodica. Itaque si rursus ponamus tempora periodica esse in ratione radiorum sesquiplicata, ut revera contingit in celo ; erunt velocitates duorum planetarum reciproce in ratione subduplicata radiorum. Ex quo non modo sequitur segnus incedere non tantum motu angulari & visibili sed & motu vero planetas remotiores prioribus, verum quadrata velocitatis eorum sic decrescere ut crescent distantiae. Consulendum est *Caput VI. Sectionis prima* hujus *Libri II.*

## CAPUT QUARTUM.

### *De Orbitarum elliptica figura, deque situ Solis.*

735. **E**xpendendum est quarto unde fiat, ut planetæ primæ cometæque describant ellipticas lineas, in quarum altero foco residet Sol ; id quod ab eodem *Keplero Astronomia* egregio restauratore primum cognitum est. Sed antequam id fiat nonnulla praemittenda sunt, quæ nempe viam nobis sternent ad causam elliptici motus planetarum inveniendam. *Primo* igitur sciendum est, quod si corpus aliquod P urgeatur versus punctum S (*Fig. 92.*) à quavis vi sive constanti & perpetuo eadem sive variabili, spatiū à corpore descendente P descriptum initio motus sit *ut vis & temporis quadratum conjunctim.*

736. Nam initio motus sive vis sit constans sive varia-

variabilis, semper ea haberi potest ut constans: adeo enim exiguum est incrementum vel decrementum, quod patitur in tempore quamminimo, ut nihil vetat, quin fingamus eam in eodem statu manisse: adeoque si vis detur, erit spatium initio motus ut quadratum temporis, ut *sæpriori Libro* demonstratum est: quod si vicissim tempus datum sit vis vero data non sit, tunc spatium erit ut vis: quo major est enim vis, eo majus spatium in dato tempore describitur: quare si neq; tempus detur neque vis, spatium descriptum erit ut vis & temporis quadratum: adeoque vis erit ut spatium descriptum directe & temporis quadratum inverse.

737. Secundo, si planeta P revolvatur in linea curva APP vi tendente ad centrum S, circa quod describat areas temporibus proportionales, tempore autem quovis exiguo describat arcum PP: duabus radiis SP, Sp, tangente PH, recta PO parallela tangentia PH, & perpendiculari PR ad radium Sp, erit vis planetæ in loco P ut lineola PO directe ut quadratum linsolæ PR inverse utque quadratum radii SP etiam inverse. Duxta enim recta PH parallela radio SP, constituetur parallelogramnum POPh circa diagonalem PP: itaque quum diagonalis isthæc designet spatium absolutum descriptum à planeta P, nihil vetat quin ipsum dividatur in spatia duo lateralia PH, PO quorum alterum est secundum directionem tangentis PH, secundum quam directionem planetæ elaberetur in loco P remota vi centripeta, alterum vero est secundum radium PS, secundum quem corpus descenderet recta versus centrum S si motus secundum tangentem PH desisteret. In tempore igitur, quo planeta describit arcum PP, si nulla esset vis centripeta describeret ipse rectam PH; si vero nullus esset motus secundum tangentem describeret spatium PO, impulsu scilicet vis centripetæ tendentis ad centrum S. Ostensum est autem vim initio motus esse ut spatium directe utque quadratum temporis inverse; tempus autem hic designatur per aream PSp, sive etiam per rectangulum ex PS in PR; nam supponimus planetam describere circa centrum S areas temporibus propor-

tionales: quare vis in loco P, qua urgetur planeta versus centrum S, erit ut spatium PO directe ut quadratum lineolæ PR inverse utque quadratum radii SP pariter inversæ.

738. Nunc autem quum ex observationibus constet lineam curvam APP descriptam à quovis planeta esse ellipsem, Solem autem S, ad quem dirigitur vis planetæ, esse constitutum in foco ellipseos, ad inventiendam vim, quæ ad id postulatur, nihil aliud faciendum est, nisi ut inquiramus geometrice quantitatem, quæ quantitas in ellipsi sit ut lineola PO directe ut quadratum lineolæ PR inverse utque quadratum radii PS etiam inverse: huic enim quantitati proportionalis erit vis centripeta planetæ; adeoque ejus lex minime ignorabitur.

739. Ducantur itaque in ellipsi APBab axes conjugati Aa, Bb se se mutuo secantes in centro C, per quod agatur diameter QCq parallela tangenti PH, ad quam ex punto P demittatur perpendicularis PM. Præterea ducatur diameter PCE, quæ erit conjugata diametro QCq, jungatur PF (F est alter focus ellipseos), ac per punctum F ducatur recta FN parallela tangenti PH, & consequenter diametro QCq. Denique extendatur pO usque ad X, occurrens diametro PCE in punto X. His constructis, si parameter axeos Aa dicatur A, habebit rectangulum A. PO ad PR quadratum rationem compositam ex quinque sequentibus rationibus A. PO ad A. PX. ex A. PX ad EX. XP, ex EX. XP ad pX quadratum, ex quadrato rectæ pX ad pO quadratum, & ex quadrato pO ad PR quadratum. Atqui prima ratio A. PO ad A. PX: sive etiam PO ad PX æqualis est rationi PI ad PC, quom sit ex constructione diameter QICq parallela tangenti PH, adeoque parallela etiam rectæ pOX: secunda vero ratio A. PX ad EX. XP æqualis est rationi A ad EX: tertia autem ratio EX. XP ad pX quadratum æqualis est rationi, quam habet rectangulum ECP ad CQ quadratum, sive etiam CP quadratum ad CQ quadratum, idque ex natura ellipseos: rursus quarta ratio, quam habet pX quadratum ad pO quadratum est ratio

ratio æqualitatis, quum differentia rectarum  $pX, pO$  sit minima respectu ipsarum rectarum: denique ultima ratio quam habet  $pO$  live  $pP$  quadratum ad PR quadratum æqualis est rationi, quam habet PI quadratum ad PM quadratum: nam triangula rectangula PIM,  $pPR$  quum habeant angulos IPM, R $pP$  æquales inter se, (uterque enim additus angulo MPR constituit angulum rectum) similia erunt: quare habebit etiam rectangulum A. PO ad PR quadratum rationem compositam ex PI ad PC ex A ad EX ex CP quadrato ad CQ quadratum & ex PI quadrato ad PM quadratum.

740. Considerandum nunc est rectam PI æqualem esse semiaxi ellipsois AC; quum enim sint anguli bPN, HPF, ob naturam tangentis HPb, æquales inter se, his autem angulis æquales sint anguli alterni PN $\bar{F}$ , PFN singuli singulis, erit latus PN æquale lateri PF, atqui est etiam SI æqualis IN, nam SC æqualis est CF: quare ambæ limul SP, FP duplæ erunt rectæ PI: sunt autem rectæ SP, PF æquales axi AA: quare erit axis AA duplus rectæ PI; adeoque semiaxis AC æqualis erit rectæ PI: ex quo sequitur A. PO ad PR quadratum habere rationem compositam ex AC ad PC ex A ad EX ex CP quadrato ad CQ quadratum & ex AC quadrato ad PM quadratum.

741. Præterea quum constet ex conicis, parallelogramma descripta circa binas quasvis diametros conjugatas æqualia esse inter se, erit rectangulum ex AC in BC æquale rectangulo ex QC in PM; adeoque ut se habet AC quadratum ad PM quadratum ita erit QC quadratum ad BC quadratum: quapropter quum ostensum sit rectangulum A. PO ad PR quadratum rationem habere compositam ex AC ad PC ex A ad EX ex CP quadrato ad CQ quadratum & ex AC quadrato ad PM quadratum, habebit pariter rectangulum A. PO ad PR quadratum rationem compositam ex AC ad PC ex A ad EX ex CP quadrato ad CQ quadratum & ex QC quadrato ad BC quadratum: itaque quum dux rationes ultimæ componant rationem simplicem, quam habet CP quadratum ad BC quadratum; eadem ratio compone-

tur ex tribus rationibus sequentibus ex AC. ad PC ex A ad EX & ex CP quadrato ad BC quadratum ; quæ rationes componunt rationem AC. A. CP ad EX. BC. BC : quare quum sit BC quadratum æquale rectangu-  
lo  $\frac{1}{2}$  AC. A , erit A. PO ad PR quadratum ut AC. A. CP ad EX.  $\frac{1}{2}$  AC. A sive etiam ut 2CP ad EX: est autem EX æqualis diametro EP,sive etiam ipsi 2CP:quare erit quoque rectangulum A.PO æquale quadrato rectæ PR.

742. Et quoniam vis in loco P est ut PO directe ut quadratum recte PR inverse utque quadratum radii SP etiam inverse, eadem vis in ellipsi erit ut PO directe ut rectangulum ex A. PO inverse utque quadratum ra-  
dii SP inverse ; sive etiam erit ut parameter A inverse & quadratum radii SP etiam inverse . Atqui data est parameter A : ergo vis planetæ describentis ellipsem & tendentis ad focum S est reciproce ut radii sive alti-  
tudinis SP quadratum.

743. Ut ergo planetæ & cometæ describant circa Solem, tamquam alterum ex focus , orbis ellipticos, ne-  
cessæ est vim eorum dirigi ad ipsum Solem, ejusq; virtu-  
tem intendi vel remitti in duplicata ratione distantie  
minutæ vel angulæ ; quam esse veram legem , secundum  
quam mutatur gravitas corporum acceleratrix in acces-  
su vel recessu a centro, in quod gravitant, *Libro I. tradi-*  
*tum est . Sed advertendum est cum tali lege posse descri-*  
*bi etiam lineam rectam parabolam circulum & hy-*  
*perbolam , si tamen in hoc postremo casu vis centri-*  
*peta aliquando in centrifugam convertatur: quod ut de-*  
*demonstretur , sequentia præmittenda sunt.*

744. Nempe primo si foci ellipsois accedant ad cen-  
trum , ellipsem in circulum facessere . Secundo si foci  
ellipsois accedant ad vertices, ellipsem facessere in li-  
neam rectam, scilicet in axem majorem . Tertio si alter  
ex focus ellipsois abeat in infinitum, ellipsem in parabo-  
lam abire . Et denique si alter ex focus ellipsois recedat  
ad distantiam plusquam infinitam, ellipsem in hyperbo-  
lam abire: quæ omnia in tanta hac luce Geometriæ no-  
tiora sunt, quam ut hic à me demonstrari debeant.

745. Quibus præmissis facile erit nunc ostendere,  
si gra-

Si gravitatis vis decrescat in duplicata ratione distantia<sup>rum</sup> aucta<sup>rum</sup>, posse corpus cum ea lege describere non modo ellipsis  $ABab$  vi tendente ad tocum  $S$ , sed posse etiam describere circulum parabolam hyperbolam & ipsam pariter lineam rectam. Pone enim primo tocos  $F$ , &  $S$  paulatim accedere ad centrum  $C$  (fig. 94.); elliptis paulatim accedet ad formam circularem, quam accuratissime induet, quando foci coierunt in unum cum centro  $C$ ; adecq; cuin eadem lege describetur pariter circulus, sed vis dirigetur ad centrum, eritque in omnibus circumferentia<sup>rum</sup> locis perpetuo eadem: nam quum radii omnes aequales sint, vis constans sit oportet.

746. Pone secundum focos paulatim accedere ad verticem A &  $a$ : & iam ellipsis paulatim evadet acutior, tandemque acutissima; hoc est quin foci ad vertices appulerunt, abibit ellipsis in axe<sup>m</sup>  $Aa$ , qui idcirco eadem illa vi describi poterit; eaque tendet ad verticem sive extremitatem  $a$ , cum quo coivit centrum virium  $S$ .

747. Pone tertio focum  $S$  manere immotum, at vero focum alterum  $F$  recedere paulatim à centro  $C$ : & jam ellipsis accedet paulatim ad formam parabolicam, quam accuratissime induet, quin focus  $F$  recessit in infinitum à centro  $C$ : adeoque, vi tendente ad focum parabolæ  $S$  atque decrescente in duplicata ratione distantia<sup>rum</sup>, describi etiam potest parabola. Quo loco præciri non debet, quod si focus  $F$  maneat immobilis, focus autem  $S$ , qui est centrum virium, abeat in infinitum, ellipsis etiam abeat in parabolam. Sed quum radii  $SP$ ,  $SQ$ , secundum quos dirigitur vis gravitatis, convergent ad punctum infinite distans, atqne adeo sint paralleli, prætereaque quum sint aequales inter se, adparet vim in hoc calu cum qua vi describitur parabola, esse constantem & agere secundum lineas parallelas inter se; quod est Theorema Galilai à nobis Libro I. demonstratum.

748. Pone demum focum  $S$ , qui est centrum virium, manere immotum, at vero focum alterum  $F$  recedere ad distantiam plus quam infinitam: & jam ellipsis  $ABab$  abibit in hyperolas binas (fig. 95.)  $PAp, Qaq$ , quarum

Z 4 utra-

utramque describetur cum eadem lege virium; nisi quod in posteriori *Qaq* vis centripeta vertetur in centrifugam; ipsa enim obvertit centro virium suam convexitatem, adeoque corpus non trahitur versus centrum, sed potius repellitur à centro.

749. Quum igitur corpus, cuius vis tendens ad centrum datum crescit vel decrescit in duplicita ratione distantiae, possit una cum ellipsi describere quoque circulum parabolam hyperbolam & linea m̄ rectam, videndum est quid præterea postuletur ad describendas singulas hasce lineas, ut scilicet cognoscatur quid illud sit, quod faciat ut planetæ & cometæ describant potius ellipses, quam cæteras lineas. Sed ab hac indagine excipienda est linea recta, & hyperbolæ pars illa, quæ convexitatem suam centro virium obvertit: illa enim non alia ratione describi potest, quam si vel planeta tibi reliquias sit, vel etiam projectus sit recta versus centrum, aut recta versus oppositam partem: quorum neutrum obtinet in cœlo: hæc vero ut describatur, necesse est vim centripetam abire in centrifugam, quod neque etiam locum habet in cœlo.

## C A P U T Q U I N T U M.

*Appendix ad doctrinam superiori Capite expositam, & de velocitatibus quum relativis, tum absolutis Planatarum.*

750. **Q**illum multa hoc Capite explicanda mihi sint, esto hoc *primum*, ut definiamus spatia, quæ spatia corpus recta cadendo versus centrum virium datis temporibus describit, modo tamen vis centripeta sit reciproce proportionalis quadrato distantiae locorum à centro. Sit itaq; S (Fig. 96) centrum virium, & A locus, de quo cadit corpus versus centrum S. Exeat de loco A corpus aliud secundum directionem perpendiculari-

cularem ad rectam AS , cujus vis tendat etiam ad centrum S , sitque reciproce proportionalis quadrato distantiæ locorum ab illo . Hoc corpus describet , uti demonstratum est , sectionem aliquam conicam , cuius umbilicus alter congruet cum centro virium S . Sit sectio ista conica ARP & umbilicus ejus S .

751. Et primo si sectio conica ellipsis est , super ejus axe majore AB describatur semicirculus ADB , & per corpus decidens transeat recta DPC perpendicularis ad axem , ac si rectis DS , PS erit area ASD area ASP , atque adeo etiam tempori proportionalis , id quod Capite III. Sectionis IV. demonstratum est . Manente axe AB minuatur perpetuo ellipsoes latitudo , & semper manebit area ASD tempori proportionalis : minuatur latitudo illa in infinitum , & orbe APB jam coincidente cum axe AB , & umbilico S cum axis termino B , descendet corpus in recta AC , & area ABD evadet tempori proportionalis . Dabitur itaque spatium AC , quod corpus de loco A perpendiculariter cadendo tempore dato def. ribit , si modo tempori proportionalis capiatur area ABD , & a punto D demittatur ad rectam AB perpendicularis DC .

752. Secundo si sectio conica hyperbola est , describatur cum eodem axe AB (Fig. 97) hyperbola rectangularis BED : & quoniam areas CSP , CBfP , SBfP sunt ad areas CSD , CBED , SBED , singulæ ad singulas , in data ratione altitudinum CP , CD ; area autem SBfP proportionalis est tempori , quo corpus P movetur per arcum hyperbolæ PfB : erit etiam area SBED eidem tempori proportionalis . Minuatur latus rectum hyperbolæ RPB in infinitum , manente latere transverso AB ; & coabit arcus PB cum recta CB , & umbilicus S cum vertice B , recta vero SD cum recta BD : Prout area BDEB proportionalis erit tempori , quo corpus C recto descensu describit lineam rectam CB .

753. Denique si sectio conica parabola est , describatur eodem vertice principali B alia parabola BED , quæ semper maneat data , interea dum parabola prior , in cuius perimetro corpus P movetur , dimidetur & tandem

dem in nihilum redacto ejus latere recto, conveniat cum linea CB: fiet segmentum parabolicum BDEB proportionale tempori, quo corpus illud P vel G descendet ad centrum S vel B.

754. Secundum esto ut inquiramus, quam rationem servent areae simul descriptae à duobus corporibus, quae inveniuntur in sectionibus conicis. Sunto itaque binæ sectiones conicas ABM, abm (Fig. 98) quae describantur a corporibus A & a viribus tendentibus ad umbilicum communem F; sintque AFB, afb areolæ eodem tempore descriptæ, & quidem juxta vertices A & a. Ducantur tangentes AC, ac, ad quas ex punctis B & b demittantur perpendicularia BC, bc. Et quoniam corpora simul profecta à verticibus A & a, simul etiam deveniente ponuntur ad loca B & b, erunt vires centripetae in locis A & a ut lineolæ BC, bc eodem tempore descriptæ: atqui vis centripeta corporis A est reciproce ut FA quadratum; & vis centripeta corporis alterius a est reciproce ut Fa quadratum: quare erit BC ad bc reciproce ut FA quadratum ad Fa quadratum.

755. Præterea quoniam in quavis sectione conica, sive ea sit parabola sive sit hyperbola sive sit ellipsis sive etiam circulus, prope verticem quadratum ordinatae BP vel bp æquale est rectangulo ex abscissa AP vel ap, & parametro P vel p, sive etiam quadratum rectæ AC vel ac æquale est rectangulo ex BC vel bc & parametro P vel p; habebit BC ad bc rationem compositam ex quadrato rectæ AC ad quadratum rectæ ac directe & ex parametro P ad parametrum p reciproce: atqui BC ad bc est etiam reciproce ut AF quadratum ad af quadratum: quare AF quadratum ad af quadratum habebit vicissim rationem compositam ex parametro P ad parametrum p directe & reciproce ex quadrato rectæ AC ad quadratum rectæ ac: addatur communis ratio quadrati AC ad quadratum ac, & fiet parameter P ad parametrum p in ratione composita ex AF quadrato ad af quadratum & ex AC quadrato ad ac quadratum: atqui area FAC, vel FAB æqualis est semissi ejus, quod producitur multiplicando FA per AC; & similiter area Fac vel fab æqua-

$\approx$ equalis est semisoli ejus, quod producitur multiplicando  
Fa per ac: quare parameter P ad parametrum p ratione  
nem habebit duplicatam areolam FAB ad areolam eodem  
tempore descriptam Fab.

756. Sunt itaque areolæ eodem tempore descriptæ prope vertices sectionum conicarum in subduplicata ratione parametrorum, quæ ad axes sive ad diametros præcipuas referuntur: Atqui areolæ descriptæ eodem tempore in aliis locis æquales sunt areolis descriptis prope vertices: sunt enim areae proportionales temporibus: & igitur areolæ ubivis descriptæ eodem tempore a duobus corporibus, quæ moventur in duabus sectionibus conicis, erunt in subduplicata ratione parametrorum.

757. Ex eo autem quod areae simul descriptæ à planetis, quæ moventur in sectionibus conicis, viribus ad umbilicum tendentibus, sint in subduplicata ratione parametrorum, facile erit ostendere *velocitates corporum planetarum in quibusvis locis esse inter se in subduplicata ratione parametrorum directe & simplici ratio-*ne *perpendiculorum, quæ a virium centris in orbibus tangentes decidunt, inverse.* Sunt enim velocitates, ut superius demonstratum est, ut areae simul descriptæ directe & perpendicula inverse; atqui areae simul descriptæ sunt in subduplicata ratione parametrorum: quare eadem velocitates erunt in ratione subduplicata parametrorum directe & ratione perpendiculorum inverse.

758. Hinc autem plura deducuntur. Primo enim latera recta principalia erunt in ratione composita eis duplicata ratione perpendiculorum & duplicata ratio-*ne velocitatum: Quum enim velocitates sint in subdu-*plicata ratione parametrorum directe & simplici per-*pendiculorum inverse, addendo rationem perpendicu-*lorum utrinque, fit subduplicata ratio parametrorum  $\approx$ equalis rationi compositæ ex ratione simplici velocitatum & ratione simplici perpendiculorum: atque adeo ipsæ parametri erunt inter se ut quadrata velocitatum directe & quadrata perpendiculorum etiam directe.

759. Secunda *velocitates corporum in maximis de-*fini-

364. PHILOSOPHIÆ NATURALIS

*minimis ab umbilico communis distantias, hoc est in apsidibus, erunt in ratione composita ex ratione distantiarum inverso & subduplicata ratione laterum rectorum principium directe. Nam in apsidibus perpendiculara confunduntur cum distantias. Ideoque velocitas in quavis sectione conica in maxima vel minima ab umbilico distantia est ad velocitatem in circulo in eadem a centro distantia in subduplicata ratione lateris recti principalis ad duplam illam distantiam: nam in hac hypothesi distantia est communis, adeoque negligi tuto potest; parameter autem circuli est duplum ejus distantiae.*

760. *Tertio corporum in circulis gyrantium velocitates erunt reciproce in subduplicata ratione distantiarum: sunt enim velocitates in ratione composita ex subduplicata ratione laterum rectorum directe & simplici ratione perpendicularorum inverso; atque latera recta in circulis dupla sunt distantiarum sive radiorum, perpendiculara vero confunduntur cum distantias: quare eadem velocitates erunt inter se in ratione composita ex subduplicata ratione distantiarum directe & simplici earumdem distantiarum inverso; adeoque erunt in ratione subduplicata distantiarum inverse.*

761. *Quarto corporum in ellipsibus gyrantium velocitates in mediocribus distantias ab umbilico communis erunt in subduplicata ratione distantiarum, adeoque erunt eadem, quæ corporum gyrantium in circulis ad easdem distantias. Nam perpendiculara in iis locis adaequant semiaxes minores; hi autem, quoniam sunt ut media proportionales inter latera recta principalia & semiaxes majores, sive etiam distantias mediocres, sunt in ratione composita ex subduplicata ratione laterum rectorum & subduplicata ratione distantiarum: Itaque quum velocitates sint in ratione composita ex subduplicata ratione laterum rectorum directe & simplici perpendicularorum, sive semiaxi minorum inverse; eadem velocitates erunt inter se in ratione composita ex subduplicata ratione laterum rectorum directe, ex eadem ratione inverse, & ex ratione subduplicata distantiarum inverse; ex quo sequitur velocitates in iis locis*

locis esse in ratione subduplicata distantiarum inverso;

762. *Quinto in eadem coni sectione, vel etiam in sectionibus conicis diversis, quarum latera rectæ sunt aquælia velocitates erunt reciproce ut perpendicularia ab umbilico in tangentes demissa: adeoque in apsidibus, in quibus perpendicularia abeunt in ipsas distantias, velocitates erunt reciproce ut distantiae.*

763. *Sexto in parabola velocitas est reciproce in subduplicata ratione distantia corporis ab umbilico figura: in ellipsi magis variatur: in hyperbola minus, quam in haec ratione. Eto enim S (Fig. 99) focus parabolæ AP, PM tangentis ad punctum P, SN perpendicularis ad tangentem, & SP distantia: demittatur ex puncto P ad axem AO perpendicularis PO, & jungatur NA. Itaque quoniam triangulum PSM est isosceles, basis PM bisecabitur à perpendiculari NS: atqui etiam MO bisecta est in A: quare rectæ NA, PO erunt parallelae; atque adeo sicut PO perpendicularis est ad axem AO, ita NA erit ad eundem axem perpendicularis. Et autem triangulum SNM rectangulum in N; quare triangulum NAS simile erit triangulo SNM, adeoque & triangulo SNP; eritque ut SP ad SN ita SN ad SA. Quocirca quadratum ex recta SN æquale erit rectangulo contento sub rectis SA, SP. Est autem data recta SA: quare SN quadratum erit ut SP, & SN erit in subduplicata ratione distantiae SP. Unde quum velocitas in loco P sit reciproce ut perpendicularum SN, erit eadem velocitas reciproce in subduplicata ratione distantiae SP. Et quoniam in hyperbola & ellipsi non obtinet hujusmodi ratio, sed in hac magis variatur in illa minus; sequitur in his duabus figuris velocitatem corporis non esse reciproce in subduplicata ratione distantiae ab umbilico, sed in ellipsi magis, in hyperbola vero minus variari.*

764. *Septimo in parabola velocitas corporis ad quavis ab umbilico distantiam est ad velocitatem corporis revolventis in circulo ad eamdem a centro distantiam in subduplicata ratione numeri binarii ad unitatem, sive  $\frac{1}{\sqrt{2}}$  ad 1: in ellipsi minor est: in hyperbola major,*

*major, quam in hac ratione.* Nam velocitas in vertice parabolæ est ad velocitatem in circulo in eadem a centro distantia in subduplicata ratione lateris recti principalis ad duplam illam distantiam, ut supra demonstratum est, sive etiam ut  $\sqrt{4}$  ad  $\sqrt{2}$ , aut ut  $\sqrt{2}$  ad 1: Atqui hæc proportio servatur ubique, ut modo ostensum est; quare velocitas corporis in parabola est ad velocitatem corporis revolventis in circulo ad eamdem à centro distantiam ut  $\sqrt{2}$  ad 1: at in ellipsi minor esse debet, in hyperbola autem major, quam in hac ratione. Hinc etiam in parabola velocitas ubique æqualis est velocitati corporis revolventis in circulo ad dimidiam distantiam, in ellipsi minor est, in hyperbola aliquanto major.

765. *Oblavo velocitas gyrantis in sectione quavis conica erit ad velocitatem gyrantis in circulo in distantia dimidii lateris recti principalis sectionis ut distantia illa ad perpendicularum ab umbilico in tangentem sectionis demissum: nam parameter sectionis adæquat parametrum circuli; adeoque parametrorum ratio, quæ rationem velocitatum ingreditur, negligi potest: supereft ergo simplex ratio perpendicularorum inversa, in qua ratione erunt velocitates.*

766. *Quum autem velocitas in quavis sectione conica sit ad velocitatem corporis gyrantis in circulo in distantia dimidii lateris recti principalis illius sectionis ut distantia illa ad perpendicularum demissum in tangentem sectionis; sitque præterea velocitas in hoc circulo ad velocitatem in circulo in distantia corporis ab umbilico sectionis reciproce in subduplicata ratione distantiarum, erit ex æquo velocitas corporis in sectione conica ad quamvis distantiam ad velocitatem corporis in circulo ad eamdem distantiam in ratione composita ex semisse lateris recti ad perpendicularum in orbis tangentem demissum directe & ex subduplicata ratione semissis parametri ad distantiam communem inverse; sive etiam rationes istas componendo, ut media proportionalis inter semissim parametri & distantiam*

*com-*

*communem ad perpendicularia rem in orbis tangentem ab umbilico demissam.*

767. Tertium esto hoc ut videamus, quanta sit velocitas corporis A (Fig. 96) cadentis versus centrum virium B in quovis loco C; sive etiam quam rationem habeat velocitas eius in quovis loco C ad velocitatem corporis centro B intervallo BC circulum desribentis. Bileetur AB, axis scilicet major ellipsois APB, in puncto O, & agatur recta PT, qua tangat ellipsem in P, occurrat autem eidem axi in T, sicut SY ad hanc tangentem & BQ ad axem AB perpendicularis. Constat ex ostensio, quod corporis in ellipsi APB circa centrum S moventis velocitas in quovis loco P sit ad velocitatem corporis intervallo SP circa idem centrum circulum desribentis in subduplicata ratione rectanguli  $\frac{1}{2}PSP$  ad SY quadratum (P designat latus rectum principale ellipsois). Est autem ex conicis rectangulum ACB

$$2AO \cdot CP^2$$

ad CP quadratum ut  $2AO$  ad  $P$ ; adeoque  $\frac{ACB}{CP^2} = \frac{AO}{SP}$   
ergo velocitates illae sunt ad invicem in subduplicata ratione  $\frac{ACB}{AO \cdot SP}$  ad  $SY^2$ .

$$ACB$$

768. Et quoniam ex conicis est  $OC$  ad  $OA$  ut  $OA$  ad  $OT$ , erit componendo ut  $OC$  ad  $OA$  ita  $CB$  ad  $TB$ ; convertendo autem erit ut  $AC$  ad  $AO$  ita  $TC$  ad  $TB$ , sive etiam propter triangula similia  $TCP$ ,  $TBQ$  ut  $CP$  ad  $BQ$ : quapropter rectangulum ex  $AC$  &  $BQ$  aequale

$$AC^2 \cdot BQ^2$$

erit rectangulo ex  $AO$  ex  $CP$ : adeoque  $\frac{AO}{ACB} = \frac{AO}{CP^2}$  erit  $=$   
 $AO \cdot CP^2$ , sunt autem velocitates supradictae in subduplicata ratione  $\frac{AO \cdot CP^2}{AC^2 \cdot BQ^2} = \frac{AO}{SP}$  ad  $SY^2$ . quare eadem velocitates erunt in subduplicata ratione  $\frac{AO}{ACB} = \frac{AO}{AC \cdot BQ^2 \cdot SP}$  ad  $SY^2$ . minuatur jam in infinitum ellipsois latitudo, sic ut

ut punctum P coeat cum punto C, punctumque S cum puncto B, & linea SP cum linea BC, linea vero SY cum linea BQ; & manebit semper eadem proportio velocitatū; sive, neglectis aequalitatibus rationibus SP ad BC & BQ<sup>2</sup> ad SY<sup>2</sup>, erit *velocitas corporis recta descendens versus centrum virium B ad velocitatem corporis centro B intervallo BC circulum describentis in subduplicata ratione AC ad AO sive  $\frac{1}{2} AB$ .*

769. Inde autem sequitur corpus ad datam à centro distantiam in circulo quovis revolvens motu suo sursum versus adscendere posse ad duplam distantiam à centro. Fac enim corpus de loco A pervenisse ad locum O: & jam velocitas ab eo adquisita in descensu per AO erit ad velocitatem centro B intervallo BC circulum describentis in subduplicata ratione ipsius AO ad AO, adeoque in ratione aequalitatis: Itaque tanta velocitas adquiritur corpori decidenti ab altitudine AO, quanta postulatur ad describendum circulum centro B aequali intervallo BO descriptum: adeoque corpus resolvens in circulo quovis centro B intervallo BO descripto, si cum ea velocitate, cum qua revolvitur, adscendere incipiat, perveniet ad locum A, hoc est ad duplam ejus à centro distantiam.

770. Unde modo facile erit definire, quando corpora projecta describere debeant parabolam quando hyperbolam quando ellipsem quando autem circulum, in hypothesi, quod eorum vis decrescat in duplicata ratione distantiae auctae. Quod ut hic aperiamus, duo casus considerandi sunt. *Primus* casus est, quando directio projectionis continet angulum rectum cum radio, hoc est cum linea à centro virium ad corporis centrum ducta. *Alter* casus est, quando directio projectionis continet cum eodem radio angulum quemvis acutum vel obtusum. *Primo* casu describi possunt cum omnibus sectionibus conicis etiam circulus: at vero *secundo* casu circulus describi non potest: nam in circulo tangentes omnes, quarum una directionem jaetus designare debet, continent angulum rectum cum radio.

771. Ut

771. Ut à primo casu incipiamus, esto S (*Fig. 100.*) virium centrum, P locus de quo projicitur planeta, & PH directio projectionis continens angulum rectum cum radio PS: esto præterea PA altitudo, à qua decidere debet idem planeta, ut comparet sibi velocitatem, cum qua projicitur secundum directionem PH. Et jam si altitudo PA æqualis sit radio PS, planeta projectus describet circumferentiam circuli, cuius centrum est punctum S, quod est centrum virium. Sin altitudo PA major sit radio PS, ita tamen ut velocitas adquisita in descensu per altitudinem PA sit ad velocitatem priorem, quæ scilicet faciebat ut planeta describeret circulum centro S radio SP descriptum ut  $\sqrt{2}$  ad 1, planeta projectus describet parabolam cuius focus est in centro virium S vertex est P & parameter 4PS. Si vero altitudo PA sit aliquanto major, sic ut velocitas adquisita in descensu per AP sit ad velocitatem in circulo centro S radio SP descripto in majori ratione quam  $\sqrt{2}$  ad 1, planeta projectus describet hyperbolam, cuius focus interior est punctum S (*Fig. 101.*) quod est centrum virium, P autem est vertex. Denique si altitudo PA sit paullo minor, sic ut velocitas adquisita in descensu per illam sit ad velocitatem in circulo in paullo minori ratione quam  $\sqrt{2}$  ad 1, planeta describet ellipsem, cuius focus alter est centrum virium S & P est vertex unus.

772. Sed in hoc novissimo casu duo contingere possunt, quæ efficient ut focus S (*Fig. 102. 103.*) modo sit inferior modo vero sit superior, hoc est modo sit illa, qui magis abest ab apside P, modo vero sit ille, qui ei est propinquior: nam si velocitas cum qua projicitur corpus ad velocitatem corporis centro S intervalllo SP circulum describentis ita sit in minori ratione quam  $\sqrt{2}$  ad 1, ut prior velocitas aliquanto major existat posteriore punctum P erit apsis ima & punctum S focus superior: Sin velocitas cum qua projicitur sit ad velocitatem corporis centro S intervalllo SP circulum describentis ita in minori ratione quam  $\sqrt{2}$  ad 1, ut prior velocitas minor existat posteriore, punctum P erit apsis summa & S focus inferior; distantia autem hujus foci ab apside eo

370 PHILOSOPHIAE NATURALIS  
major erit, quo minor fuerit velocitas; usque adeo ut  
velocitate in infinitum diminuta ellipsis in rectam li-  
neam abeat.

773. Quocirca si planeta exeat de loco P cum ve-  
locitate minima, illud recta descendet versus centrum  
S. Si exeat cum aliqua velocitate, describet elliptim,  
eritq; P apsis summa. Si velocitas tanta fuerit, quanta  
adquiri possit cadendo ab altitudine PA, quæ sit æqua-  
lis radio PS, describet circulum. Si sit paullo major,  
describet iterum elliptim, sed punctum P erit apsis  
ima. Si ad tantam quantitatem perveniat, ut sit ad  
velocitatem corporis describentis circulum centro S  
radio SP ut  $\sqrt{2}$  ad 1, describet parabolam. Denique  
si exeat cum velocitate adhuc majori describet hyper-  
bolam.

774. Hæc omnia locum quoque habent, quando  
directio projectionis PH non continet angulum rectum  
cum radio SP, sed vel obtusum vel acutum; nisi quod  
hoc casu circulus numquam describi potest, neque  
punctum P refert apsidem sectionis descriptæ, sed lo-  
cum alium ab apside diversum. Quum autem planetæ  
in cœlo describant lineas ellipticas, sequitur velocita-  
tem projectionis eorum fuisse vel aliquanto majorem,  
vel aliquanto minorem ea, quæ requiritur ad describen-  
dos circulos ad easdem distantias, ita tamen ut prior ad  
posteriorem fuerit in minori ratione quam  $\sqrt{2}$  ad 1.

## CAPUT SEXTUM.

*Quomodo ex causis physicis supra adductis  
deducatur proportio Kepleriana inter  
quadrata temporum & cubos  
distantiarum.*

775. Sæpe saepius dictum à nobis est, planetas prima-  
rios atque cometas circa Solem, secundarios  
vero circa suos primarios ita revolvi, ut quadrata tem-  
porum

porum periodorum eam servent inter se rationem, quam habent cubi mediarum à Sole vel a primariis distantiarum; quam legem *Keplerus* senioris Astronomiae inventor & pater primus experiundo repererat. Vendum nunc hic est, an lex ista conveniat cum caulis physicis supra adducatis; si enim non discrepat ab iis, bene fortasse habet positio earum causarum; sin pugnant inter se, procul dubio supradictæ causæ erunt fallæ.

776. In hoc autem examine instituendo illa duo consideranda sedulo sunt, quæ & *Keplerus* ipse cognoverat. *Primum*: planetas ita moveri, ut radio ad centrum motus ducto areas verrant sive describant temporibus proportionales. *Alterum*: motum planetarum fieri in lineis ellipticis, eorumque vim centripetam ad focum unum dirigi: ex quibus profluit & *tertium*; scilicet areolas simul descriptas à duobus planetis esse in subduplicata ratione laterum rectorum, quæ ad axes majores referuntur. Ex eo enim quod areae sint temporibus proportionales sequitur, areolam minimo quovis tempore dato descriptam ductam in tempus periodicum æqualem esse ellipsoes areae toti: adeoque tempora periodica duorum quorumvis planetarum esse inter se, ut areas totas directe & areolas simul descriptas inverse. Atqui areolas simul descriptæ subduplicatam servant rationem parametrorum: quare tempora periodica rationem habebunt pariter compositam ex ratione areaum directe & ratione subduplicata parametrorum inverse.

777. Jam area unius ellipsoes est ad aream alterius ut rectangulum sub axibus illius ad rectangulum sub axibus istius: adeoque prior area est ad secundam conjunctim ut axis major prioris ad axem majorem posterioris & axis minor ad minorem. Itaque tempora periodica duorum quorumvis planetarum erunt in ratione composita ex ratione axium majorum directe ex ratione axium minorum directe & ratione subduplicata laterum rectorum inverse: Quadrata vero temporum periodorum erunt ut quadrata axium majorum directe ut quadrata minorum directe utque latera re-

Eta inverse. Atqui quadrata axium minorum sunt con-  
junctim ut axes majores & parametri ; est enim qua-  
dratum axeos minoris æquale rectangulo contento sub  
axe majore ejusque parametro : quare quadrata tempo-  
rum periodicorum erunt quoque ut quadrata axium  
majorum directe ut axes idem majores directe ut pa-  
rametri directe utque eadem parametri inverse . Atqui  
ex compositione harum rationum prodit ratio tripli-  
cata axium majorum ; ea scilicet ratio , quam habent  
cubi eorumdem axium : itaque quadrata temporum  
periodicorum erunt ut cubi axium majorum ; sunt au-  
tem mediocres distantiae semisses axium transversorum  
sive majorum: ergo temporum periodicorum quadrata  
erunt etiam ut cubi mediarum à centro virium dis-  
tistarum.

## C A P U T S E P T I M U M .

*Cur Orbēs Cometarū sīnt acutissimi &  
quasi Parabolici , Orbēs vero Planeta-  
rum sīnt quasi Circulares.*

778. **Q**uamquam hodie constet inter omnes Astro-  
nomos tum planetas quum cometas moveri  
in orbibus ellipticis circa Solem , qui est fons  
atque origo gravitatis eorum, adeo tamen magnum di-  
scrimen inter utrosque , quod orbēs elliptici cometa-  
rum sīnt acutissimi , hoc est secundum axem majorem  
longissimi , secundum axem vero minorem brevissimi ,  
orbēs autem elliptici planetarū sīnt quasi circulares:  
cujus diversitatis causa ex principiis supra explicatis  
est hic demonstranda.

779. Nimirum quum ad descriptionēm circuli po-  
stuletur , ut velocitas projectionis in quavis altitudine  
tanta sit , quanta postulatur ut corpus ad duplam altitu-  
dinem possit ascendere , ad descriptionem autem elli-  
pticos requiratur , ut velocitas projectionis in quavis al-  
titudine sit ad velocitatem in circulo in eadem altitu-  
dine

dine in minori ratione quam  $\sqrt{2}$  ad 1, ad descriptionem vero parabolæ opus sit, ut velocitas projectionis in quavis altitudine sit ad velocitatem in circulo in eadem altitudine accuratissime ut  $\sqrt{2}$  ad 1, sequitur planetas projectos fuisse à Deo cum velocitate vel non multo majori vel non multo minori ea, quæ postulatur ut corpus ad duplam altitudinem possit ascendere: hac enim ratione ellipses planetarum à forma circulari parum recedere potuerunt: cometas vero projiciuntur fuisse cum velocitate non multo minori ea, quæ sit ad velocitatem, cum qua corpus posset ascendere ad duplam altitudinem ut  $\sqrt{2}$  ad 1: ea enim ratione ellipses cometarum ad parabolicam formam quamproxime accedere debuerunt; adeoque secundum axem majorem longissimæ secundum axem vero minorem brevissimæ fuerunt: Nam quo elliptis longior est & angustior, eo magis ad parabolicam formam accedit, ut à Geometris demonstratur & à nobis supra adnotatum est.

780. Quum autem orbes cometarum sint quasi parabolici, saltem prope apudem imam, quo in loco observatorum industriam non eludent, optima sane ratione factum est, ut in eorum motibus supputandis adhiberetur loco ellipsoes parabola, ut pote quæ ex genere est curvarum quadrabilium: ita enim loca cometarum in orbibus parabolicis geometricè obtinentur, quum tamen planetarum loca in orbibus ellipticis vel mechanice vel nonnisi per adproximationem liceat definire, quemadmodum supra demonstratum est. Ne autem nihil nos intactum relinquamus explicabitus hic, quomodo ad tempus datum inveniri possit locus cometæ in orbe parabolico.

781. Esto AP (Fig. 104) parabola sive potius orbis ellipticus non multum ab orbe parabolico deflectens, A vertex ipsius & S focus, ad quem dirigitur vis cometæ. Educatur ex puncto S ad axem AS perpendicularis SX, & cognoscatur, observationum ope, tempus quo tempore cometa de apside A profectus pervenit ad punctum X. Deinde fiat ut tempus per arcum AX ad tempus datum (quod ab eo tempore, in quo cometa versat

Hatur in apside ima , debet computari ) ita area ASX , quæ pariter data est , ad aream temporis dato correspondente , quam adpellabimus 4AS. M. Hæc area abscindenda est in orbe parabolico AP ad cometæ locum ad tempus datum definiendum. Bisecetur AS in puncto G , erigaturque ex eo perpendicularum GH = 3M ; deinde centro H intervallo HS describatur circulus occurrens parabolæ in loco P , ad quem ducatur radius SP ; dico aream ASP æqualem esse areæ absindendæ 4AS. M ; adeoque P esse locum cometæ ad tempus datum . Nam ut est area ASX ad aream ASP ita tempus per AX ad tempus per AP : itaque si area ASP æqualis sit areæ 4AS. M , erit ut area ASP ad aream 4AS. M ita tempus per AX ad tempus per AP ; adeoque tempus per AP erit tempus datum post excessum cometæ ab aptide ima A.

782. Ostendemus autem aream ASP aqualem esse areæ 4AS. M ratione sequenti. Demittatur ad axis in parabolæ perpendicularis PO , & jungatur PH . Et quoniam tres rectæ HA , HS , HP æquales sunt inter se , erit quadratum rectæ PH æquale quadratis rectarum AG , GH . Est autem idem PH quadratum (demissa recta HN perpendiculari ad PO ) æquale quadratis rectarum HN , NP : quare erunt quadrata rectarum AG , GH æqualia quadratis rectarum HN , NP . Jam vero recta HN æqualis est differentiæ rectarum AO , AG , & PN æqualis est differentiæ rectarum PO , HG ; adeoque  $HN^2 = AO^2 + AG^2 - 2AO \cdot AG$  , &  $PN^2 = PO^2 + HG^2 - 2PO \cdot HG$  . Itaque erit  $AG^2 + GH^2 = AO^2 + AG^2 + PO^2 + HG^2 - 2AO \cdot AG - 2PO \cdot HG$  : ex qua æquatione colligitur  $2PO \cdot HG = AO^2 + PO^2 - 2AO \cdot AG = AO^2 + \frac{1}{4}PO^2$ .

Pro  $AO^2$  scribatur  $\frac{4AS}{4AS}$  , & applicatis terminis omnibus ad  $\frac{1}{2}PO$  ductisque in  $\frac{1}{2}AS$  fit  $\frac{4}{3}CH$ .  $AS = \frac{1}{6}$   
 $AO \cdot PO + \frac{1}{2}AS \cdot PO = \frac{AO + 3AS}{6} \cdot PO = \frac{4AO - 3SO}{6}$   
 $PO = APO - SPQ = APS$  . Atqui  $GH$  erat  $3M$  , & inde

INSTITUTIONUM LIB. II. 375

de  $\frac{4}{3}$  GH. AS est 4AS. M: ergo area absissa ASP æqua-  
lis est abscedenda  $\frac{4}{3}$  AS. M.

783. Quoniam autem area ASX est  $\frac{4}{3}$  AS. AS estq;

$SX = \frac{2}{3} AS$ , erit eadem area ASX =  $\frac{2}{3}$ . itaque quum

fit area ASP =  $\frac{4}{3}$  AS. M, erit area ASX ad aream ASP ut  
 $\frac{2}{3}$  AS. AS ad 4AS. M, sive etiam ut AS ad  $\frac{3}{2}$  M, aut AS

ad GH: nam ex constructione est GH =  $\frac{3}{2}$  M. Atqui area  
ASX est ad aream ASP ut tempus per AX ad tempus  
per AP; quare erit quoque tempus per AX ad tempus  
per AP ita AS ad GH.

784. Præterea quum area parabolica ASP augeatur  
æquabiliter ad motum temporis in progressu cometæ,  
etiam quantitas  $\frac{4}{3}$  AS. M angebitur æquabiliter, sive, ob  
datam 4AS, sola longitudo M angebitur æquabiliter:  
atqui triplum longitudinis M adæquat semper lineam  
GH; quare linea GH in progressu cometæ æquabiliter  
augeatur necesse est: adeoque velocitas puncti H obti-  
nebitur, si spatium ab eo descriptum GH dividatur per  
tempus ASP: nam punctum H, quum cometa erat in  
vertice A, reperiebatur in G, idemq; in tempore ASP  
descripsit viam GH; est autem GH =  $\frac{3}{2}$  M, & area  
ASP =  $\frac{4}{3}$  AS. M: quare velocitas puncti M erit  $=$

$$\frac{3M}{4AS} = \frac{3}{4}$$

Atqui velocitas cometæ in vertice  
 $A$  est  $\frac{4AS}{SA}$

$A$  est spatiolum  $AA'$  divisum per tempus  $SA = \frac{1}{2} SA. AS$

sive etiam  $\frac{2}{SA}$ : quare velocitas puncti H erit ad veloci-  
tatem cometæ in vertice A ut  $\frac{3}{2}$  ad  $\frac{2}{SA}$ , sive etiam ut

$\frac{3}{4AS}$  ad  $\frac{2}{SA}$

3 ad 8; adeoque in ea ratione est recta GH ad lineam  
rectam quam cometa tempore motus sui ab A ad P ea  
cum velocitate, quam habuit in vertice A describere  
posset.

785. Ceterum angulus anomalie veræ ASP. facile exquireretur per solutionem trianguli rectilinei ASP, duinmodo prius invenire doceamus latera AP, PS; nam latus tertium AS cogitum est. Demittatur idcirco perpendicularis PO, ponaturque AO =  $x$  & AS =  $a$ : erit  
 $PO = 2\sqrt{ax}$ , area autem AOP erit =  $\frac{4x\sqrt{ax}}{3}$ , triangulum  
 vero SOP erit =  $x\sqrt{ax} - a\sqrt{ax}$ ; adeoque area parabolica ASP erit =  $\frac{\frac{4x\sqrt{ax}}{3} - x\sqrt{ax} + a\sqrt{ax}}{3} = \frac{x\sqrt{ax} + 3a\sqrt{ax}}{3}$ ,  
 atqui est area ASP =  $4AS \cdot M = 4aM$ : quare erit  
 $\frac{x\sqrt{ax} + 3a\sqrt{ax}}{3} = 4aM$ ; sive etiam  $x^3 + 6a^2x^2 + 9a^3x = 144a^2M^2$ : ex quo eruitur  $x^3 + 6ax^2 + 9a^2x = 144a^2M^2$ : ex cuius æquationis resolutione habetur longitudo AC =  $x$ , atque exinde ordinata OP, ut pote quæ media proportionalis est inter 4AS & AO. Datis autem AO, OP dabitur hypothenusæ AP: præterea data SO, quæ est differentia rectam OA, AS, dataque adhuc rectam OP, dabitur hypothenusæ SP: denique in triangulo ASP ex datis omnibus lateribus colligetur angulus anomalie veræ ASP.

## CAPUT ULTIMUM.

*Unde fieri potuerit ut Planetæ & Cometae  
 moverentur in planis diversis. Totius  
 doctrinae superius exposita  
 Anacephalaesis.*

786. **V**ideamus deniq; quæ sit causa inclinationis planorum, in quibus moventur planetæ & cometæ: sed nihil facilius explicari potest per supra positâ principia. Nimisrum si planeta vel cometa P (Fig.

(Fig. 105) tendat vi sua ad Solem S & projiciatur secundum directionem PH, palam est illum perterritum in semita quadam curvilinea PM, cuius planum transitum per centrum virium S quum etiam per directionem jaetus PH: quemadmodum ex iis quae supra demonstrata sunt consequitur. Itaque planum, in quo jacet orbita cuiusvis planetæ vel cometæ habebitur si ex loco projectionis P ducatur ad centrum Solis S recta PS; planum enim duarum rectarum PS, PH erit planum quæsitus: adeoque plana orbitalium, in quibus feruntur planetæ omnes coinetæque, transeant necesse est omnia per Solem S.

787. Jam si lineæ projectionum PH omnes in uno piano essent constitutæ, procul dubio plana omnia congruerent inter se, moverenturque planetæ & cometæ in uno eodemque piano: nunc autem quum moveantur in planis diversis, necesse est lineas illas in planis quoque diversis esse constitutas: adeoque ad explicandam planorum inclinationem eo deveniendum est ut dicamus, planetas & cometas projectos fuisse secundum lineas in diversis planis constitutas.

788. Summa autem totius doctrinæ haec tenus traditæ ad explicandos coelestes motus hæc est. *Primo* planetæ primarii & cometæ gravitant versus Solem, secundarii autem tum versus suos primarios quum versus Solem: adeoque si sibi ipsis relieti essent, secundarii ruerent versus suos primarios, utrique autem deciderent versus Solem; ut faciunt gravia prope Telluris superficiem, quæ sibi relicta Terram petunt. *Secundo* ad hunc lapsum impediendum, projecti à Deo fuerunt planetæ cometæque initio rerum secundum lineas rectas non transeuntes per virium centra; hoc est planetæ primarii & cometæ projecti fuerunt secundum lineas rectas non transeuntes per Solem; secundarii autem secundum rectas non transeuntes per suos primarios respectively: inde enim fieri necessario debuit ut planetæ & cometæ progresserentur in lineis curvis, quarum plana transirent per virium centra, radiisque ad ipsa centra ductis areas describerent temporibus vel accuratisime vel ad sensum proportionales. *Tertie* summus rerum conditor hanc

hanc constituit gravitatis legem, ut ejus virtus intenderetur vel remitteretur in duplicata ratione distantiae minutæ vel auctæ : ea enim lege constituta necesse fuit ut planetæ cometæque moverentur in sectione aliqua conica , parabola nempe vel ellipsi vel circulo vel hyperbola . *Quarto* idem rerum conditor projectit planetas cum tanta velocitate, quanta postulabatur ut possent quasi ad duplam altitudinem descendere, projectit vero cometas cum ea velocitate, quæ esset ad velocitatem in circulo in eadem altitudine quasi ut  $\sqrt{2}$  ad 1: sic enim planetæ describere debuerunt ellipses non multum excentricas , hoc est non multum a circulis abhorrentes, cometæ autem describere debuerunt ellipses acutissimas , hoc est ad formam parabolicam quam maxime accedentes ; & quidem cum hac lege ut quadrata temporum eam haberent rationem inter se quam habent cubi mediarum à Sole distantiarum . *Denique* projectit planetas cometæque secundum lineas rectas non in uno plano jacentes , sed in planis longe diversis : sic enim necessum fuit ut tum planetæ quæ cometæ moverentur in planis diversis diversimode ad se inclinatis.

## S E C T I O O C T A V A .

### *De motibus Lunaribus, eorumque causis physicis .*

989. **S**ed iam ad astruissimum illam Astronomiæ partem deveniamus , quæ scilicet motus lunares considerat : adnotatum enim est supra motum Lunæ circa Tellurem , atque adeo cæterorum secundariorum circa primarios suos , duplicum esse, componique ex motu eorum proprio circa primarios & ex motu primariorum circa Solem . Inde autem tantæ lunaribus motibus obveniunt inæqualitates, ut illas distinguere & cognoscere non modo vetustissimi Astronomi, sed ne recentiores quidem ante *Isangum Newtonum* non potue-

potuerint. Primus *Newtonus* opus tantum adgressus est & quidem *a priori*, ut ajunte. Connexus est enim ex mutua Solis Telluris & Lunæ attractione inæqualitates omnes lunarium motum derivare: cuius vestigiis nos in hac *Sectione* insitentes, non modo inæqualitates omnes eorumdem motuum, sed & causas eorum physicas demonstrabimus.

## C A P U T P R I M U M.

*Quæ ex actione Solis in Lunam viciſſitudi-  
nes arearum descriptionem comitentur:  
ubi de ejus actionis mensuris.*

790. **E**T primo quidem si ab actione Solis animum paulisper avertamus, Luna sic moveretur circa Tellurem ceterique satellites circa suos primarios, ut primarii moventur circa Solem; hoc est radio ad Telluris centrum ducto areas describeret temporibus proportionales. Ostensum est enim *Sectione superiori*, corpora quæ viribus suis tendunt ad centrum datum perque spacia libera moventur, areas circa centrum illud describere temporibus proportionales. At vero quum Sol agat non minus in Terram, quam in ejus afflcam Lunam utrasque ad se trahendo, exinde fit ut Luna radio ad centrum Telluris ducto minime describat areas temporibus proportionales: id quod paucis hic demonstrare admitemur.

791. Repræsentet S Solem (Fig. 106), T Tellurem ETE partem aliquam orbitæ terrestris, & CGDB orbem Lunæ circa Tellurem, in quo orbe sit Luna in punto L: sit autem ST media Telluris à Sole distantia, orbis vero terrestris ETE sit circulus Soli S concentricus, descriptusque hac media distantia ST, tamquam radio: veriorem enim figuram hujus orbis hic morari non est necesse. Et quoniam Sol S agit tum in Lunam L quum in Tellurem T & quidem ea lege, ut ad maiorem distantiam minus agat ad minorem magis, id que

que in duplicata ratione distantiae, inde sequitur Luna attractionem à Sole oriundam majorem esse attractione Telluris, quando ea describit partem orbitæ CGD, quæ Soli obveria est; at vero attractionem Lunæ esse minorem attractione Telluris, quando reliquam sui orbis partem DBC, quæ à Sole est aversa, percurrit: nam in illa Luna propinquior est Soli quam Tellus, in hac vero est remotior. Quocirca si mediocrem Telluris erga Solem attractionem representemus per ipsam medianam distantiam ST vel SK, & faciamus SK ad SA ut se habet SL quadratum ad SK quadratum, exponet SA attractionem Lunæ erga Solem. Qum enim attractiones Lunæ & Telluris versus Solem sint inter se reciproce in duplicitate ratione distantiarum, profecto attractio Telluris T erit ad attractionem Lunæ L ut quadratum distantiae SL ad quadratum distantiae ST vel SK, sive etiam ut SK ad SA: est enim ex constructione SK ad SA ut quadratum SL ad quadratum SK: atqui ex eadem constructione SK representat attractionem Telluris versus Solem; ergo SA attractionem Lunæ versus Solem referet. Patet autem in quadraturis C & D rectas SA, SK, quæ attractiones Lunæ & Telluris delignant, æquales esse inter se: tunc enim Luna & Tellus æque distant à Sole: in oppositione B rectam SA aliquanto minorem esse recta SK, in conjunctione vero G rectam SA eadem recta SK aliquanto esse majorem: nam in oppositione minus attrahitur Luna quem Tellus, quia scilicet magis distat à Sole; in conjunctione contrarium accidit.

793. Ducatur nunc recta TL, cui per punctum A agatur parallela AM occurrens rectæ ST productæ in puncto M: quo facto attractio Lunæ SA disolvetur in attractiones binas, quarum directiones & quantitates delignantur per rectas SM, MA: adeoque Luna, quæ non solum à Sole verum & à Tellure attrahitur, in quovis loco L urgebitur attractione triplici, quarum prior & præcipua est illa, quæ à Tellure oritur, tenditque ab L versus T, aliæ duæ oriuntur à Sole, sed una tendit ab A versus M, sive etiam ab L versus T, adeoque eamdem cum priori habet directionem, altera au-

tem,

tem tendit ab M versus S, sive etiam à T versus S, adeo que eamdem habet directionem cum attractione Telluris, quæ etiam dirigitur à T versus S: ubi advertendum est partem attractionis solaris AM, quæ scilicet parallela est attractioni LT Luna versus Tellurem, in syzygiis B & G prorsus evanescere, in quadraturis autem C & D in ipsam distantiam Lunæ à Tellure CT vel DT abire.

793. Quam autem Tellus & Luna attrahantur versus Solem secundum eamdem directionem, sintque attractionum quantitates rectæ ST, SM, profecto res eodem modo se habebit, si ponamus Tellurem à Sole omnino non attrahi, Lunam autem attrahi vel repellere à Sole tantum, quantum postulat attractionum differentia MT; attrahi scilicet, si ejus attractio superat attractionem Telluris, repellere vero, si ejus attractio minor est attractione Telluris. Attractio enim communis ST utriusque Telluri scilicet & Lunæ versus partem oppositam indita nihil prorsus officit attractionibus earum relativis: hæc autem facit ut attractio Telluris ad Solem prorsus tollatur, attractio vero Lunæ vel diminuatur vel mutetur in repulsionem MT. Et quidem vis MT agens in Lunam erit attractionis, quando ea describit partem orbis inferiorem CGD, tendetque versus Solem; erit vero repulsionis, tendetque ad partem à Sole aversam, quando vicissim describit partem orbis superiorem CBD. Estque hic advertendum vim istam attractionis vel repulsionis MT in quadraturis C & D omnino evanescere, at vero in syzygiis B & G maximam evadere.

794. Quapropter comparatis actionibus Solis Telluris & Lunæ ad invicem, liquet Lunam urgeri attractione triplici, quarum prima tendit ad Tellurem T, estque proportionalis quadrato distantie LT sed reciproce; secunda tendit etiam ad Tellurem T, estque directe ut recta AM; tertia vero est secundum rectam LF parallelam rectam MS; estque directe ut recta MT. Et quidem si tertia vis nulla esset, vis ex duabus prioribus composita tenderet quidem ad Tellurem T, quamquam non esset quadrato distantie reciproce pro-

portionalis: adeoque Luna, quamquam ei accederet vis nova AM, non eo minus describeret areas temporibus proportionales. At accidente tertia vi LF, vis ex hinc tribus composita non amplius tendit ad Tellurem T, sed dum Luna à quadratura C transit ad conjunctionem G tendit in consequentia: dum à conjunctione G progreditur ad alteram quadraturam D tendit, vicissim in antecedentia: dum ab hac ad oppositionem transit tendit rursus in consequentia; denique dum ab oppositione redit ad primam quadraturam, denuo tendit in antecedentia. Itaque per ea quæ *Capite II. Sectionis superioris* demonstrata sunt, arearum descriptio accelerabitur in transitu Lunæ a prima quadratura ad conjunctionem; ab hac ad secundam quadraturam retardabitur; ab hac ad oppositionem iterum accelerabitur; ab oppositione vero ad primam quadraturam de suo retardabitur. Et quoniam omnis arearum perturbatio oritur ex vi LF sive MT, quæ in quadraturis evanescit, in syzygiis vero est maxima, facile intelligitur nullam fieri arearum perturbationem in quadraturis, aut prope illas; hoc est Lunam in quadraturis aut prope eas areas describere temporibus proportionales: at vero arearum descriptionem mirum in modum turbari in syzygiis, vel prope eas; hoc est in syzygiis Lunam areas describere multo maiores, quam temporum ratio postulet.

795. Ex hac autem arearum lunarium acceleratio-ne & retardatione sequitur, Lunam in singulis revolutionibus suis varia velocitatum incrementa atque decrementa subire: nam in oppositione B progreditur velocissime, ejusque velocitas ab oppositione B ad quadraturam C sensim decrescit, ita ut in quadratura tardissime incedat. Tum à quadratura C ad conjunctionem G velocitas Lunæ iterum augetur, usque adeo ut in ipsa coniunctione Luna denuo moveatur velocissime. Deinde à coniunctione G ad alteram quadraturam D iterum minuitur velocitas Lunæ, adeoque in ipsa quadratura incedit tardissime. Denique à quadratura ad oppositionem Lunæ velocitas iterum incre-  
scit.

scit; ex quo sit ut in oppositione rursus moveatur velocissime.

796. Ut autem ad vim Solis redeamus, ex qua area rum perturbatio profluit, demonstratum est ex ea duplum Lunæ attractionem suboriri, quarum altera est ut  $AM$ , altera vero est  $MS$ , quando Tellus urgetur attractione  $TS$ ; adeoque, dempta attractione communi  $TS$ , attrac-  
tio altera est ut  $MT$ . Jam attractiones istæ binæ mediocres sunt in mediocri Telluris à Sole distantia, ad quam distantiam demonstrationē composuimus. Sed quoniam Tellus modo recedit ad majorem à Sole distantiam, modo vero ad minorem distantiam Soli adpropinquat, non dubitandum est, quin supra liq̄as vires decrecantes vel crescent, prout crescit vel decrescit Telluris, atque adeo ipsius Lunæ à Sole distantia: in recessu enim ini-  
nuitur vis Telluris & Lunæ versus Solem, in accessu au-  
tem augetur: itaque quum à vi ista illæ dependeant, proposito necesse est illas ad eundem modum augeri vel minui.

797. Facile autem ostendetur vires  $AM$ ,  $MT$  sic mutari, ut mutatur cubus Telluris à Sole distantia  $TS$  sed reciproce; hoc est vires  $AM$ ,  $MT$  esse in triplicata ratione inversa distantiarum Telluris à Sole. Pone enim distantiam  $ST$ , vel  $SK = x$  &  $KL = a$ , erit  $SL = x - a$ : & quoniam  $SL$  quadratum est ad  $SK$  quadratum ut vis Telluris versus Solem in distantia  $x$  ad vim Lunæ ver-  
sus eundem Solem in distantia  $x - a$ ; liquidem vis Telluris versus Solem in distantia  $x$  ponatur  $= A$  erit  
vis Lunæ versus eundem Solem in distantia  $x - a =$

$$Ax^2$$

—————, cui quantitati idcirco æqualis erit recta  $x^2 - 2ax + aa$

$SA$ ; nam  $SA$  vim Lunæ in loco  $L$  designat.

798. Jam vis Lunæ  $SA$  dividitur in vires  $AM$ ,  $MS$ ; quumque sit  $SL$  ad  $LT$  ita  $SA$  ad  $AM$ , erit

$Ax^2$   
 $x - a$  ad  $LT$ , quam ponam  $= b$ , ita ————— ad  
 $x^2 - 2ax + aa$   
 $A b x^2$

$A b x^2$ 

$x^3 - 3ax^2 + 3a^2x - a^3$ , quæ idcirco erit vis AM.

Et quoniam distantia SK =  $x$  multo major est reæta KL =  $a$ , adeoque hæc negligi potest si cum illa confe-

$A b x^2$   $Abx^2$   $Ab$   
satur; vis AM =  $\frac{x^3 - 3ax^2 + 3a^2x - a^3}{x^3}$  fiet =  $\frac{x^3}{x^3} = 1$ :

atqui vis Telluris versus Solem, quam in distantia  $x$

$b$  posuimus =  $A$  est ut  $\frac{xx}{x^3}$ : quare vis AM fiet =  $\frac{x^3}{x^3} = 1$ ; atque

ideo eadem vis erit ut radius LT direæte & cubus distantie ST reciproce; sive etiam tantum ut cubus distantie ST reciproce: nam radius LT haberet potest ut constans & immutatus.

799. Similiter quoniam SL ad ST est ut SA ad  $Ax^3$

SM, erit vis SM =  $\frac{x^3 - 3ax^2 + 3a^2x - a^3}{Ax^3}$ : ex

qua subtrahendo vim ST =  $A$  supereft vis MT =  $Ax^3 - Ax^3 + 3Aax^2 - 2Aa^2x + Aa^3$   $\frac{3Aax^2}{Ax^3} = \frac{3Aax^2}{Ax^3} = 3$ : nam

$Ax^3 - Ax^3 = 0$ ; longitudo autem  $a$  evanescit respectu  $3Aax^2$

longitudinis  $x$ . Est itaque vis MT ut  $\frac{x^3}{3Aa}$  sive etiam  $\frac{x^3}{3Aa}$

ut  $\frac{x^3}{3Aa}$ : atqui vis Telluris  $A$  in distantia X est ut  $\frac{x^3}{3Aa}$ ;

quare eadem vis erit ut  $\frac{x^3}{3Aa}$  sive ut  $\frac{3a}{x^2}$  direæte & cubus  $\frac{x^3}{3Aa}$

distantie Telluris à Sole inverse: atqui haberet potest quantitas  $3a$  ut constans & invariata: quare vis MT erit in triplicata ratione distantie Telluris à Sole reciproce.

800. Facile quoque erit ostendere vim MT in syzygis (quo in loco vis AM evanescit) esse quasi duplo majo-

majorem vi AM in quadraturis ( quo in loco vicitim evanescit prior vis MT). Posita enim SG =  $x$  & GT =  $a$  erit ST =  $x + a$ : Itaque faciendo ST ad SM ut SG quadratum ad ST quadratum, erit SM =  $\frac{x^2 + 3ax^2 + 3a^2x + a^3}{xx}$ ;

$$\text{ex qua si subtrahatur } ST = x + a, \text{ supererit } MT = \frac{x^3 + 3ax^2 + 3a^2x + a^3 - x^3 - ax^2}{xx} = \frac{2ax^2 + 3a^2x + a^3}{xx}$$

=  $2a$ : nam quantitas  $a$  evanescit præ quantitate  $x$ . Atqui in quadraturis AM abit in CT , quæ est etiam =  $a$ , aut ea non longe major est vel minor: quare vis MT in syzygiis quasi duplo major erit vi AM in quadraturis.

801. In his autem constituendis supposuimus orbem Lunæ esse circulum Telluri concentricum: quod quamquam verum non sit, tamen quia non longe recedit à vero, tamquam hypothesim vero proximam adsumere licuit. Illud tantum est hic sedulo advertendum, quod quum revera Luna feratur in orbe elliptice circa Tellurem, siquidem ejus apsides sint in syzygiis cum Sole, tunc vis MT in syzygiis Lunæ cum Sole vel erit omnium maxima vel omnium minima, vis autem AM in quadraturis Lunæ cum Sole erit mediocris quantitatis. Quod si vero apsides Lunæ sint in quadratura cum Sole, eo casu vis MT in syzygiis erit mediocris quantitatis; vis vero AM in quadraturis erit vel omnium maxima vel omnium minima.

## CAPUT SECUNDUM.

*Quæ ex actione Solis in Lunam viſitudineſ ſum Orbi elliptico ipsius, quum ejus excentricitatι contingant.*

802. Jam vero quum Luna prope syzygias feratur velocius prope quadraturas tardius, profecto necesse est ut illa minus deflectat à recto tra-

TEM. II.

B b mite,

mitate. quæ in sola initia describeret (neglecto scilicet attractionis respectu) in syzygiis quam in quadraturis: adeoq; Lunæ orbita cæteris paribus curvior erit in quadraturis minus curva in syzygiis. Id quum satis constet ex hoc argumento, tamen placet easdem rem sic alter ostendere. In quadraturis vis præcipua Lunæ versus Tellurem, quæ est ut quadratum distantiarum CT vel DT (Fig. 106) reciproce, augetur ex vi extrinseca AM, quæ vis ab actione Solis originem dicit, quæque etiam dirigitur à C versus T vel à D versus T: itaque in quadraturis Luna magis urgetur versus Tellurem accedente Solis actione quam si hujusmodi actio non subesset. Contra in syzygiis vis præcipua Lunæ versus Tellurem, quæ est quoque ut quadratum distantiarum TB vel TG reciproce, minuitur ex vi extrinseca MT, quæ vis ab actione Solis profluit, quæque vicissim tendit à T versus B vel G: itaque in syzygiis Luna minus urgetur versus Tellurem accedente actione Solis quam si hujusmodi actio non subesset. Quuin ergo Luna magis attrahatur versus Tellurem in quadraturis minus in syzygiis, sequitur Lunæ orbitam curviorem fore illuc quam isthic.

803. Sed id intelligendum est cæteris paribus: nempe si orbita Lunæ circa Tellurem, exclusa actione Solis, esset circulus illi concentricus, adeoque omni ex parte eiusdem curvaturæ, profecto accidente Solis actione lunaris orbita talem adipisceretur formam ut curvior esset in quadraturis minus curva in syzygiis: adeoque ius curvatura augeretur sensim à syzygiis ad quadraturas. Quod si vero orbita Lunæ, exclusa actione Solis, sit ellipsis focum habens in Tellure (quod magis placet) tunè accidente actione Solis ex parte ellipsois, quæ reperiuntur in syzygiis, evident aliquanto minus curvæ, ex vero, quæ prope quadraturas sunt potius. aliquanto curviores fient.

804. Ex eod in illo incremento attractionis lunaris in quadraturis & decremento in syzygiis fit etiam ut luna in orbita contrahatur & dilatetur per vices, contrahatur nempe quando Luna vehementius attrahit

tus

tur versus Tellurem, dilatetur vero quando languidius. Id autem ut luculentius adpareat, memoria est hic repetendum vim, qua Tellus T trahit Lunam L, quae agente Luna retinetur in orbe suo BCGD, augeri quando Luna est in quadraturis C vel D per additionem vis extraneæ à Sole S oriundæ, quæ vis est ut AM; at vero dum eadem versatur in syzygiis, minui per subtractionem vis, quæ est ut MT; itaque quia vis MT in syzygiis ostensa est quasi duplo major vi AM in quadraturis, per vires hasce extraneas à Sole oriundas Telluris vis attrahens magis diminuitur quam augetur, adeoque simpliciter pro diminuta est habenda.

805. Et quoniam vis attrahens Telluris T illa est, quæ retinet Lunam in orbe suo, si hæc paulatim languesceret, Luna L minus semper minusque attraheret longius semper a Tellure; quemadmodum si viceversa jugiter augeretur, Luna perpetuo etiam ad Tellurem accederet. Itaque quum neutrum contingat, sequitur vim Telluris per vices augeri minuque. Et sane quum vires illæ duæ MT, AM crescant vel descrescant in triplicata ratione inversa distantiae Telluris à Sole; Tellus autem, ex eo quod fertur in orbe elliptico circa Solem in ejus foco constitutum, modo ad Solem accedat modo vero ab eo recedat; supra dictæ vires MT, AM augebuntur & diminuentur per vices in ratione illa triplicata; augebuntur nempe, quum Tellus ab aphelio ad perihelium descendit, minuentur vero, quum vicissim Tellus à perihelio ad aphelium adscendit. Itaque quum à viribus illis profluat decrementum vis, quæ attrahit Lunam versus Tellurem, profecto decrementum illud augebitur dum Tellus ab aphelio descendit ad perihelium, minuetur vero dum ab hoc ad illud adscendit. Adeoque Tellure descendente ab apside summa ad imam Lunaris orbita dilatabitur; ea vero adscendente vicissim ab apside ima ad summam eadem orbita contrahetur: & quidem in apside summa erit angustissima, in ima vero erit latissima.

806. Huic consequens est ut tempus periodicum Lunæ circa Tellurem augeatur & minuatur etiam

per vices; augeatur nempe dilatata orbita, minuatur vero contracta eadem orbita. Neque vero difficile erit definire secundum quam proportionem augeatur vel minuatur tempus periodicum Lunæ circa Tellurem: Quum enim *Capite u[er]o Sectionis II. Libri I.* ostentum sit vires centripetas duorum corporum, quæ in circumferentiis circulorum feruntur, esse inter se directe ut diametros sive etiam radios circulorum & inverse ut quadrata temporum periodorum, Luna vero nunc moveatur in orbe angustiori nunc vero in orbe latiori, profecto erit vis Lunæ centripeta in aliquo orbe ut ejus radius directe & quadratum temporis periodici inverse; adeoque quadratum temporis periodici Lunæ circa Tellurem sic mutabitur, ut mutatur radius orbis directe & vis Lunæ centripeta inverse; quæ quidem vis partim manat à corpore Telluris partim vero à corpore Solis, ut supra ostensum est.

807. Jam si radius orbis lunaris maneat idem, quadratum temporis periodici erit inverse ut vis Lunæ centripeta, sive etiam tempus periodicum Lunæ circa Tellurem mutabitur in subduplicata ratione inversa vis ejus centripetæ, quam vim constat augeri vel minui ab actione Solis. Viceversa eadem manente attractionis sive vis centripetæ lege in Luna L, ut scilicet sit in duplicata ratione inversa distantiae (quamquam enim vis propria Lunæ versus Tellurem, quæ est ut quadratum distantiarum reciprocæ, aucta vel minuta vi extrinseca manante à Sole constitutæ vim, quæ non est accuratisime ut quadratum distantiarum reciprocæ, tamen quia incrementum vel decrementum vis solaris parvum est respectu vis præcipuarum, vis illa composita Lunæ fere erit ut quadratum distantiarum reciprocæ); quadratum temporis periodici Lunæ circa Tellurem mutabitur in ratione triplicata radii: nam quum duo corpora (vel etiam idem corpus) ad diversas distantias revolvuntur circa centrum aliquid, ad quod tendunt vi sua, quæ est ut quadratum distantiarum reciprocæ, quadrata temporum periodorum sunt ut cubi distantiarum, ut supra ostensum est: quare mutata utcumque sum vi centripeta Luna quum

quum radio orbis mutabitur tempus ejus periodicum in ratione composita ex subduplicata ratione vis centripetæ lunaris inverse & sesquiplicata ratione radii orbis directe.

808. Unde modo liquet tempus periodicum Lunæ circa Tellurem maximum esse , quando Tellus est in perihelio , quo tempore orbis lunaris est latissimus , minimum in aphelio , quo tempore orbis lunaris est angustissimus : in ascensu autem Telluris à perihelio ad aphelium tempus periodicum contrahi ; vice versa augeri , quando Tellus ab aphelio descendit ad perihelium . Nam si radius orbis Lunæ circa Tellurem dicatur  $\alpha$  , & vis ejusdem Lunæ dicatur  $\mu$  , tempus periodicum

$$\text{Lunæ erit } = \frac{\alpha^{\frac{3}{2}}}{\mu^{\frac{1}{2}}}.$$

Itaque quia in perihelio radius  $\alpha$  est maximus & vis  $\mu$  est minima , adeoque quantitas  $\frac{\alpha^{\frac{3}{2}}}{\mu^{\frac{1}{2}}}$  evadit in illo loco maxima , tempus periodicum Lunæ circa Tellurem in perihelio erit maximum . Viceversa quoniam radius  $\alpha$  in aphelio est minimus & vis  $\mu$  est maxima , quantitas  $\frac{\alpha^{\frac{3}{2}}}{\mu^{\frac{1}{2}}}$  erit minima ; adeoque tempus periodicum Lunæ circa Tellurem erit pariter minimum .

809. Præterea si nulla foret Solis actio in Lunæ motibus perturbandis , eadem perpetuo ellipsis circa Terram à Luna describeretur : nunc autem sit ut hæc perpetuo mutetur specie : orbitæ enim excentricitas in dies mutatur . Quod ut ostendatur prænotandum est , quod si Luna urgeatur primum versus Tellurem vi , quæ sit reciproce ut quadratum distantiae , eaque vide scribat ellipsem datam , deinde vero in descensu ab apside summa ad imam urgeatur vi , quæ angeatur magis quam postulat duplicata ratio distantiae , eam descriptionem esse orbem alium orbe elliptico antea descripto interiore , præterquam in apside summa , quæ usque orbitæ est communis ; & in apside ima proprius ac-

cessuram ad centrum quam prius: ex quo sequitur orbem posteriorem magis fore excentricum quam priorēm. Quum enim distantia apogea in utroque orbe sic eadem, distantia vero perigea aliquanto minor sit in orbe posteriori aliquanto autem major in priori, proposito differentia binarum distantiarum, apogeæ scilicet & perigeæ, major erit in orbe posteriori quam in priori: atqui excentricitas orbis adæquat semper semissim illius differentiam; quare major erit excentricitas Lunæ in orbe posteriori, quando scilicet vis augetur magis quam postulat duplicata ratio distantiarum, quam in orbe priori, quando scilicet vis est ut quadratum distantiarum reciproce. Si porro vis Lunæ in adscensu ipsius ab apside ima ad summam decresceret hisdem gradibus, quibus creverat in descensu, rediret Luna ad distantiam priorem: si decrescat magis quam postulat duplicata distantiarum ratio, Luna jam minus attracta adscenderet ad distantiam maiorem, orbemque describeret cuius excentricitas adhuc erit major.

810. Viceversa si Luna urgeatur primum vi, quæ sit reciproc ut quadratum distantiarum ipsius à Tellure, eaque vi describat ellipsem datam, deinde vero in descensu ab apside summa ad imam urgeatur vi, quæ augetur minus quam postulat duplicata ratio distantiarum, Luna describet orbem orbe elliptico antea descripto exteriorem, præterquam in apside summa, unde digressa est, quæ utrique orbi est communis: in apside autem ima longius recedet à centro quam prius: ex quo sequitur hujusmodi orbem fore minus excentricum quam orbem priorēm, & excentricitatem hanc adhuc minui, si in adscensu Lunæ ab apside ima ad summam ejus vis decrescat minus quam postulat duplicata distantiarum ratio.

811. Præterea si ad vim Lunæ centriterripetam, quæ est ut quadratum distantiarum reciproce, addatur vis quæ sit ut ipsa distantia, componetur vis quæ crescat vel decrescat minus quam postulat quadratum distantiarum. Sic enim T Tellus, ALIBC (Fig. 107) orbis ellipticus Lunæ circa Tellurem, L locus unus Lunæ, & / locus alter,

*Poda.*

Ponatur  $TL = a$  &  $Tl = b$ : Itaque neglecta Solis act. one  
 vis Lunæ in L erit ad vim ejusdem Lunæ in l ut qua-  
 dratum distantiae  $Tl$  ad quadratum distantiae  $TL$ , sive  
 etiam ut  $b^2$  ad  $a^2$ . Addantur ad has, singulæ ad ungu. s,  
 vires quæ sint ut ipse distantia  $a$  &  $b$ : & fieri tum na-  
 virium in L ad summam virium in l ut  $bb + s$  ad  $aa + b^2$ .  
 Dico igitur priorem ad posteriorein majorem rationem  
 habere quam habet quadratum distantiae  $Tl$  ad quadra-  
 tum distantiae  $TL$ , sive quam habet  $bb$  ad  $aa$ . Id au-  
 tem evidens est: nam productum ex duabus extremis  
 $a^2b^2 + a^3$  majus est productio ex duabus mediis  $a^2b^2 + b^3$ ,  
 ex eo quod distantia  $TL$  major est distantia  $Tl$ . Itaque  
 quum vis composita in L majorem rationem habeat ad  
 vim compositam in l quam habet quadratum distan-  
 tiae  $Tl$  ad quadratum distantiae  $TL$  sequitur vim Lunæ  
 à loco L ad locum l minus crevisse, quam postulat di-  
 stantiarum ratio. Contra invertendo vis Lunæ in loco l  
 minorem rationem habebit ad vim Lunæ in loco L  
 quam habet quadratum distantiae  $TL$  ad quadratum  
 distantiae  $Tl$ : itaque vis Lunæ a loco l ad locum L mi-  
 nus decrevit quam postulat ratio distantiarum.

812. Viceversa si à vi Lunæ centriterigena, quæ  
 est ut quadratum distantiae reciproce, auferatur vis quæ  
 sit ut ipsa distantia, relinquetur vis quæ crescat vel de-  
 crescat magis quam postulat distantiarum ratio. Retenta  
 enim eadem denominatione, erit vis Lunæ composita  
 in loco L ad vim Lunæ compositam in loco l ut  $bb - a$   
 ad  $aa - b$ : & quoniam  $bb - a$  ad  $aa - b$  minorem ratio-  
 nem habet quam  $bb$  ad  $aa$ , (productum enim  $aabb - ab^2$   
 ab extremis minus est productio ex mediis  $aabb - b^3$ ,  
 quoniam est  $a$  major quam  $b$ ), habebit quoque vis com-  
 posita in loco L ad vim consimilem in loco l minorem  
 rationem quam quadratum distantiae  $Tl$  ad quadratum  
 distantiae  $TL$ ; invertendo autem vis in loco l ad vim  
 consimilem in loco L habebit majorem rationem quam  
 quadratum distantiae  $TL$  ad quadratum distantiae  $Tl$ ;  
 ex quo sequitur in transitu Lunæ ab L ad l vim magis  
 crevisse, quam postulat distantiarum ratio, in transitu

813. His prænonatis sit Luna in quadratura C, quo  
in loco vis MT (Fig. 106.) evanescit, vis autem altera  
AM est ut ipsa distantia CT directe. Itaque in quadratura  
Luna urgetur versus Tellurem à vi duplici, quarum  
prior est ut quadratum distantiae CT reciproce, altera  
autem est ut eadem distantia CT directe, quarumque  
idcirco summa crescit vel decrescit minus quam postu-  
lat distantiarum ratio. Quapropter si Luna per inte-  
gram revolutionem ab hac vi versus centrum impelle-  
retur, ea procul dubio orbem describeret minus excen-  
tricum, quam si abesset vis extrinseca AM, solaque  
vi, qua trahitur à Tellure, quæque est ut distantiae qua-  
dratum reciproce, urgeretur. Id autem quamquam  
non contingat, statim enim superata quadratura cum  
vi AM conjungitur vis altera MT, tamen saltem in re-  
volutionis parte illa, ubi ad hac vi impellitur, descri-  
bet partem orbis minus excentrici, quam si abesset vis  
extranea AM.

814. Sit deinde Luna in syzygiarum altera B, quo  
in loco vis AM evanescit, vis autem altera MT  
quum duplo major fere sit vi AM in quadraturis, est  
etiam ut distantia BT directe. Itaque in oppositione B  
à vi Lunæ versus Tellurem, quæ est ut quadratum di-  
stantiae reciproce, subtrahenda erit vis alia, quæ est ut  
ipsa distantia, ut scilicet habeatur vis vera, qua Luna  
trahitur versus Tellurem: quæ quidem vis, per ea quæ-  
modo demonstrata sunt, magis crescat vel decrescat  
quam postulat distantiarum ratio. Quapropter si Luna  
per integrum revolutionem ab hac vi versus centrum  
impelleretur, ea procul dubio orbem describeret magis  
excentricum, quam si abesset vis extrinseca MT, sola-  
que vi, qua trahitur à Tellure, quæque est ut quadra-  
tum distantiae reciproce, urgeretur. Id autem quam-  
quam non contingat, statim enim superata oppositione  
vis MT commiscetur cum vi AM, tamen saltem in re-  
volutionis parte illa, ubi ab hac vi impellitur, describet  
par:

partem orbis magis excentrici, quam si vis MT pro-  
fus abefset.

815. Quoniam autem decrementum excentricita-  
tis pendet à vi AM, quæ maxima est in quadraturis  
nulla in syzygiis, in transitu autem Lunæ ab illis ad  
has perpetim minuitur; incrementum autem ejusdem  
excentricitatis pendet à vi MT, quæ maxima est in  
syzygiis nulla in quadraturis, in transitu autem Lu-  
næ ab illis ad has continuo minuitur; sequitur excen-  
tricitatem orbis lunaris esse minimam in quadraturis,  
maximam in syzygiis, augeri autem in transitu Lunæ  
ab illis ad has, minui vero in transitu ejusdem ab his  
ad illas. Præterea quoniam vis AM aliquanto major esse  
solet quum Lunæ apsides sunt constitutæ in quadraturis  
cū Sole, quam quum sunt extra illas positæ; & similiter  
vis MT aliquanto major esse solet quando Lunæ apsides  
sunt in syzygiis cum Sole, quam quum extra illas sunt  
constitutæ, sequitur excentricitatem orbis esse mini-  
marum minimam quando Luna est in quadraturis apsi-  
des autem lunares sunt in iisdem quadraturis; esse ve-  
ro maximarum maximam, quando Luna est in syzy-  
giis & apsides sunt pariter in syzygiis.

816. Excentricitatis ergo variatio pendet à duabus  
causis, scilicet ab adspectu Lunæ cum Sole & ab ap-  
sidum lunarium cum eodem Sole adspectu. Nam excen-  
tricitas eo minor est quo magis Luna propior est qua-  
draturis, eo major quo est propior syzygiis. Præterea  
eadem excentricitas eo minor est quo lunares apsides  
sunt propiores quadraturis, eo vero major est quo ea-  
dem apsides sunt propiores syzygiis. Itaque si apsides  
tendant à syzygiis ad quadraturas Luna vero etiam ten-  
dat à syzygiis ad quadraturas, excentricitas orbis du-  
plici ex capite minuetur: viceversa si apsides tendant  
ex quadraturis ad syzygias Luna autem etiam tendat  
à quadraturis ad syzygias, excentricitas orbis augebitur  
ex duplice capite. At si apsides tendant à syzygiis ad  
quadraturas Luna vero ab his progrediatur ad illas,  
excentricitas orbis ex una parte minuetur ex altera au-  
gebitur; idemque accidet si apsides vicissim progredian-  
tur

## CAPUT TERTIUM.

### *De Apsidum Lunarium progressu & regressu.*

817. **A**ctione Solis in Lunam fit etiam ut ejus apsides fluent in Cœlo, hoc est modo tendant in consequentia cum ipsa Luna modo vero in antecedentia, in plagam scilicet adversam illi secundum quam Luna mouetur: scilicet si Sol ad se Lunam non traheret, ea ellipsum immotam describeret circa Tellurem: nunc vero ex illius attractione fit ut lunaris orbita ab ellipsi longissime recedat, nec nisi per astronomorum soleritiam ad hanc reducatur. Ejus enim orbita est revera curva, quæ oritur ex motu Lunæ in orbe elliptico in consequentia signorum, & ex motu oscillatorio hujus ipsius orbis circa umbilicum sive Terræ centrum. Unde si ellipsum pro Lunæ orbitæ retinere placeat, oportebit effingere ejus axem majorem rotari circa focum, in quo Tellus est constituta, & modo tendere in consequentia modo vero in antecedentia signorum.

818. Ut autem causam hujus motus oscillatorii physicam aperiamus res aliquanto altius repetenda est. Esto itaque APB (*Fig. 108*) orbis ille ellipticus, in quo Luna fertur circa Tellurem T, ponamusque axem AB sive linéam apogei & perigei rotari circa focum T, & modo tendere in consequentia signorum, scilicet ab A ad P, modo vero in antecedentia signorum de P ad A, dico Lunam urgeri majori vi quam apsides progrediuntur & quidem semper, minori quam apsides regrediuntur quamquam non semper. Ad quod ostendendum præmittendū est, quod Luna ut moveri poscit in orbe elliptico dato APB neceſſe non modo sit ut ejus vis tendat ad focus T sitq; reciproce ut quadratum distantie sive altitudinis

TP,

TP, sed opus sit pariter ut justa velocitate afficiatur in quovis loco P secundum tangentem PH: si enim ponamus Lunam in minimo tempore dato transisse de loco P ad p, per quod ductam intelligamus rectam pH parallelam radio TP, quemadmodum vis centripeta Lunæ tanta est, quanta profecto postulatur ad perficiendum iter Hp in dato illo tempore, ita velocitas Lunæ secundum tangentem PH tanta esse debet, ut in eodem illo tempore emitiri possit spatiolum PH. Itaque si velocitas efficit aliquanto major, vis etiam aliquanto major postularetur ad hoc ut Luna in fine ejus temporis perficeret iter Hp, atque adeo reperiretur in eodem illo puncto p: si aliquanto minor, vis etiam aliquanto minor postularetur. Quapropter, aucta vel minuta velocitate Lunæ describens ellipsum APB, augeri vel minui debet vis centripeta ipsius Lunæ ad hoc ut idem orbis ellipticus describatur.

819. Jam vero quum orbis APB movetur in consequentia signorum, augetur velocitas secundum tangentem PH, minuitur vero quando vicissim movetur in antecedentia signorum; quare necesse est Lunam majori vi urgeri dum apsides progrediviuntur, minori vero dum regredivuntur. Neque vero difficile erit ostendere velocitatem Lunæ secundum tangentem PH augeri in apsidum progressu, minui vero in earum regressu. Esto enim PTQ motus apsidum angularis factus interea temporis ac Luna de loco P transit ad proximum locum p. Itaque quia arcus exiguum circularis PQ haberi potest ut linea recta tangens integrum circum in loco P, designabit idem arcus PQ tum directionem quum quantitatem motus, quam Luna sibi comparavit propter apsidum motum circularem. Atqui motus PQ resolvitur in binos motus PX, XQ, quorum prior PX est secundum directionem tangentis PH, alter autem tendit ad Tellurem T; itaque motui Lunæ PH secundum tangentem superaddetur propter apsidum motum vel de eo subducetur motus PX secundum eamdem tangentem: superaddetur nempe in apsidum progressu, subducetur vero vero in earum regressu:

ad eos

396 PHILOSOPHIÆ NATURALIS  
adeoque velocitas Lunæ augebitur priori casu , minuetur vero in posteriori casu.

820. Et quidem si motus apsidum angularis PTQ major sit motu Lunæ angulari PTp interea temporis facto , velocitas adquilita PX major erit velocitate sibi insita PH: erit vero æqualis vel minor, pro ut motus apsidum angularis PTQ æqualis sit vel minor motu Lunæ angulari PTp . Itaq; quum apsides regrediuntur fieri potest , ut velocitas Lunæ PH vel minuatur vel penitus tollatur vel etiam evadat negativa , adeoque tendat versus partem oppositam . Si enim apsidum regressus PTQ minor sit motu Lunæ angulari PTp , erit PX minor velocitate PH ; adeoque dempta velocitate PX de velocitate PH , tendet Luna à P versus H cum velocitatum differentia . Si vero apsidum regressus PTQ sit accuratissime æqualis motui angulari Lunæ PTp , erit PX æqualis velocitati PH : adeoque dempta velocitate PX ab æquali velocitate PH , Luna quiescet in loco P , omniisque prorsus motu destituta: denique si apsidum regressus PTQ major sit motu Lunæ angulari PTp , erit PX major quam PH ; adeoque dempta velocitate majori PX de minori PH , feretur Luna à loco P versus partem oppositam b cum velocitatum differentia ; quæ quidem velocitatum differentia minor erit velocitate pristina PH , si apsidum regressus sit minor quam duplum motus Lunæ angularis PTp : erit vero æqualis vel major eadem velocitate pristina , prout regressus apsidum æqualis sit vel major quam duplum motus Lunæ angularis PTp .

821. Inde autem sequitur Lunam non semper urgeri minori vi quum apsides regrediuntur , sed posse etiam urgeri majori vi , quam urgeretur si ellipsem immotam describeret . Si enim regressus apsidum PTQ minor sit motu Lunæ angulari PTp , Luna minus urgebitur in ellipsi mobili quam in ellipsi immota ; scilicet quia velocitas PH minuitur à velocitate PX in contrariam partem tendente : eo minus autem urgebitur Luna , quo magis velocitas angularis apsidum accesserit ad velocitatem angularem Lunæ ; usque adeq

ut quum illa huic æqualis facta sit, Lunæ vis centripeta, qua scilicet afficiebatur in orbe immoto, omnino destruatur atque evanescat. Quod si regressus aplidum angularis PTQ fuerit paullo major motu Lunæ angulari PTp, iterum Luna urgebitur aliqua vi versus Tellurem T, quæ tamen minor eousque erit vi, qua ipsa urgetur in ellipti immota, donec regressus aplidum duplus factus sit motus Lunæ angularis PTp: nam in hoc casu velocitas negativa sive tendens versus partem oppositam, qua Luna urgetur secundum tangentem Ph, evadit æqualis veiocitati PH. Denique si regressus aplidum angularis PTQ fuerit plusquam duplus motus Lunæ angularis PTp, tunc Luna majori vi urgebitur in ellipti mobili, quam in ellipti immota: scilicet quia hoc posteriori casu velocitas negativa, qua urgetur Luna, major est velocitate PH.

822. Quapropter si aplides Lunæ ferantur motu angulari fieri poterit, ut Luna urgeatur majori æquali minori & etiam nulla vi versus Tellurem. Si enim aplides progrediantur vel etiam regrediantur cum velocitate majore quam est dupla ejus qua Luna angulariter movetur circa Tellurem, ea majori vi urgebitur versus Tellurem, quam urgetur si ellipsis immotam describeret. At vero si aplides regrediantur vel cum velocitate minore vel cum velocitate paullo majore ea qua Luna angulariter movetur, ipsa vicissim minori vi urgebitur versus Tellurem, quam urgetur si in ellipsis immota pergeret moveri. Quod si aplides regrediantur cum velocitate, quæ accuratissima sit dupla velocitatis Lunæ angularis, Luna tantum urgebitur versus Tellurem, quantum urgetur in ellipti immota; neque mirum; nam hoc casu orbis a Luna descriptus per compositionem binorum motuum est eadem ellipsis APB. Denique si regressus aplidum tantus sit quantus est progressus angularis Lunæ, ipsa nulla pro rata vi urgebitur versus Tellurem: & sane hoc casu Luna quiescit absolute in loco P. Itaq; vicissim si vis Lunæ versus Tellurem augeatur, ejus aplides vel progrediantur vel regrediantur necesse est cum velocitate majori quam

quam est dupla ejus, qua Luna angulariter progreditur. Quod si vicissim Lunæ vis minuatur, ejus apsides regrediantur necesse est cum velocitate, quæ minor sit dupla ejus velocitatis, qua Luna angulariter progreditur. Quapropter ad explicandum apsidum progressum vel regressum sat est ostendere vim Lunæ versus Tellurem modo augeri modo vero minui: id quod antequam faciamus, expendendum est quam legem servet incrementum vel decrementum vis Lunaris in apsidum progressu vel regressu. Adsumemus autem hic hypotheseos loco motum apsidum semper habere rationem datam ad motum angularem Lunæ.

823. Sint itaque  $P_p$ ,  $R_r$  (Fig. 109) arcus duo minimi eodem tempore à Luna descripti, sive, quod eodem redit, sint areæ  $PT_p$ ,  $RTr$  æquales inter se; sintque  $PQ$ ,  $Rq$  motus angulares apsidum iis temporibus confetti: erit igitur angulus  $PTQ$  ad angulum  $PT_p$ , ita angulus  $RTq$  ad angulum  $RTr$ : atqui angulus  $PTQ$  est ad angulum  $PT_p$  ut sector  $PTQ$  ad sectorem æque altum  $PT_p$ : & similiter angulus  $RTq$  est ad angulum  $RTr$  ut sector  $RTq$  ad sectorem æque altum  $RTr$ : quare sector  $PTQ$  erit ad sectorem  $PT_p$  ut se habet sector  $RTq$  ad sectorem  $RTr$ . Est autem sector  $PT_p$  æqualis sectori  $RTr$ : itaque etiam sector  $PTQ$  æqualis erit sectori  $RTq$ : atque adeo ut se habet  $PQ$  ad  $Rq$  ita erit vicissim radius  $TR$  ad radius  $TP$ .

824. Et quoniam arcus circulares  $PQ$ ,  $Rq$  eodem tempore describuntur, erit vis centripeta Lunæ desribentis arcum  $PQ$  ad vim centripetam ejusdem Lunæ desribentis eodem tempore arcum  $Rq$  ut quadratum arcus  $FQ$  ad quadratum arcus  $Rq$  directe & inverse ut radius  $RT$  ad radium  $TP$ : atqui quadratum arcus  $PQ$  est ad quadratum arcus  $Rq$  ut vicissim est quadratum radii  $TR$  ad quadratum radii  $TP$ : quare vis centripeta Lunæ desribentis arcum  $PQ$  erit ad vim centripetam ejusdem Lunæ desribentis eodem tempore arcum  $Rq$  reciproce ut cubus altitudinis  $TR$  ad cubum altitudinis  $TP$ . Itaque quum incrementum vel decrementum vis Lunaris oriatur ex motu apsidum circulari, sive etiam

etiam ex descriptione arcuum PQ, Rq, sequitur idem incrementum vel decrementum in quovis loco esse ut cubum altitudinis inversum.

825. Ut autem ad id, quod est præcipuum veniam, facile ex principiis hactenus positis licet inferre apides progredi debere quando Luna est in syzygiis cum Sole, regredi vero debere quando Luna est in quadraturis cum eodem Sole; scilicet quia, ut *Capite superiori* demonstratum est, Luna in syzygiis urgetur vi quæ crescit vel decrescit magis quam postulat quadratum distantiae minutæ vel auctoræ: in quadraturis autem urgetur vi quæ crescit vel decrescit minus quam postulat quadratum distantiae minutæ vel auctoræ. Neque vero credendum est apides tantum regredi in quadraturis quantum progredivt in syzygiis; quum enim vis MT (Fig. 106.) in syzygiis, à qua vi oritur apsidum progressus, quasi duplo major sit vi AM in quadraturis, à qua oritur earundem regressus, profecto necesse est apsidum progressum quasi duplo majorem esse earundem regressu in singulis revolutionibus Lunæ; itaque iidem apides in singulis revolutionibus Lunæ revera movebuntur ab occasu in ortum; earumque motus tantus erit, quantus est excessus quo progressus superat regressum.

826. Sed notandum est progressum regressumque apsidum non in omnibus Lunæ revolutionibus esse ejusdem quantitatis, sed utrumque augeri vel minui pro vario apsidum situ respectu Solis: quando enim apides sunt in coniunctione vel oppositione cum Sole, quia vis MT à qua pendet earum progressus aliquanto major esse solet, vis vero AM à qua pendet earundem regressus solet esse aliquanto minor, progressus apsidum erit aliquanto velocior, regressus vero aliquanto tardior. Vici sim vero quando apides sunt in quadraturis cum Sole quia vis prior MT est aliquanto minor, vis autem altera AM est aliquando major, progressus apsidum erit minus velox, regressus autem velocior.

827. Progressus itaque regressusque apsidum pendet ex duabus causis, scilicet ex aspectu Lunæ cum Sole & ex

& ex apsidum lunarium cum eodem Sole adspicuntur: nam progressus eo major est, quo magis Luna propior est syzygiis, regressus vero eo major, quo magis Luna propior est quadraturis. Præterea idem progressus eo major est, quo apsides sunt propiores syzygiis; regressus autem eo major, quo magis apsides sunt propiores quadraturis. Itaque si Luna fuerit in syzygiis apsides autem etiam in syzygiis, progressus erit velocissimus: erit vero tardissimus, si Luna fuerit quidem in syzygiis apsides autem fuerint in quadraturis. Viceversa si Luna fuerit in quadraturis & apsides etiam in quadraturis, regressus earum erit velocissimus; quod si Luna fuerit in quadraturis apsides autem fuerint in syzygiis, regressus erit tardissimus.

## CAPUT QUARTUM.

*'De Nodorum Lunarium motu retrogrado;  
deque perpetua Lunaris Orbis ad Ecli-  
ptica planum inclinationis  
mutatione.*

828. **S**upereft ut de motu nodorum lunarium retrogrado sermonem hic instituamus. Sed prius memoria repetendum est errores omnes lunares à duabus viribus oriri quarum directiones & quantitates sunt rectæ AM, MT (Fig. 110.) quarumque prior AM jacet in plano orbis lunaris CGDB (quem orbem ad eclipticæ planum aliquatenus inclinari supra demonstratum est); quippe est AM parallela radio LT, qui radius est in illo plano; altera autem MT est in plano orbis terrestris; nam recta MT Tellurem attingit, & ulterius produccta in Solem S incurrit.

829. Ex his duabus viribus prior AM haud quam potis est deturbare Lunam à plano suo CGDB; ea enim trahit Lunam versus Tellurem T, quæ est in eodem plano: adeoque inclinationem orbis lunaris ad eclipticam.

eclipticæ planum neque augebit neque minuet. At vis altera MT, quia raro invenitur in plano CGDB orbis lunaris, motum Lunæ in latitudinem turbabit, efficietque ut inclinatio illius orbis ad planum eclipticæ modo augeatur, modo vero minuatur.

830. Jam vis MT semper est in plano eclipticæ: itaque ut possit etiam consistere in plano CGDB orbis lunaris, necesse est ipsam coire cum communis sectione utriusque plani, utpote quæ in utroque plano inveniatur. Id autem tunc continget, quando lunares nodi fuerint in syzygiis cum Sole S. Igitur nodis in syzygiis existentibus, nullus orietur error motus in latitudinem neque a vi AM, quæ semper est in plano Orbis lunaris, neque a vi MT, quæ in hac hypothesi jaceat quoque in eodem plano. Unde nodorum linea, & consequenter nodi ipsi in hoc casu omnino quietescerent.

831. At pone nodos Orbis esse in quadrato adspicimus C, vel D cum Sole S. Eo casu vis MT Lunæ motum in latitudinem mirum in modum turbabit: quippe in eo posita recta MT, sive ei parallela LF, secundum quam exercetur vis Lunæ virgens, omnium maxime ad planum Orbis lunaris CBDG inclinatur; tantum scilicet, quantum planum ipsum lunaris Orbis inclinatur ad planum eclipticæ. In hac hypothesi ponamus medietatem CBD orbis lunaris atoli super eclipticæ planum, medietatem alteram deprimi infra idem planum, ponamusque etiam in plano eclipticæ descriptum esse orbem CBDG lunari orbi CBDG aequali & similem. Et jam Luna superato nodo C, jugiter trahetur a plano suo versus planum eclipticæ a vi MT, sive LF; adeoque non modo inclinatio plani orbis sui ad planum eclipticæ sensim minuetur, sed etiam Luna citius offendet ad planum eclipticæ, il ludque non in punto D, in quo nodus habebit, sed in punto occidentaliori penetrare debebit. Ex quo sequitur nodum D motu retrogrado perrexisse in antecedentia signorum, hoc est ab occasu versus ortum.


832. Similiter Luna dum a nodo D transit ad nodum alterum C, trahitur continuo a plano orbis sui

versus eclipticæ planum: adeoque, propter eamdem caussam, minuetur ejus inclinatio ad planum eclipticæ, & nodus C movebitur ab occasu in ortum, scilicet quia Luna eclipticæ planum penetrat circa punctum C. Patet autem motum tum inclinationis, tum nodi eo majorem esse, quo Luna fuerit vicinior loco B vel G, hoc est quo Luna fuerit vicinior syzygiis: quippe in transitu Lunæ a nodis C, & D ad syzygias B, & G vis LF continuum incrementum suscipit.

833. Itaque nodorum motus dupli ex causa intenditur, vel remittitur; nempe ex diverso eorum adspectu cum Sole, & ex vario adspectu Lunæ cum eodem Sole. Primo enim nodi velocissime regreduntur, quum sunt in quadrato adspectu cum Sole: adeoque progredientibus nodis a quadraturis ad syzygias, eorum velocitas gradatione ita remittitur, ut in syzygiis cum Sole omnino quiescant. Et secundo idein motus longe velocior est, quum Luna est in syzygiis cum Sole, quam quum in quadraturis: adeoque tendente Luna a syzygiis ad quadraturas, nodorum motus remittitur; contra vero intenditur, progrediente vicissim Luna a quadraturis ad syzygias.

834. Similiter inclinationis eclipticæ lunaris ad eclipticam Solis mutatio dupli ex causa proficiuntur. Prima est varius adspactus nodorum Lunæ cum Sole. Nam quum nodi sunt in syzygiis cum Sole, inclinatio est omnium maxima; quum vero nodi sunt in quadraturis, inclinatio evadit omnium minima; adeoq; progredientibus nodis a syzygiis ad quadraturas, inclinationis angulus gradatim minuitur; contra vero augetur in transitu nodorum a quadraturis ad syzygias. Altera caussa est varius adspactus Lunæ cum Sole. Nam quando Luna est in syzygiis cum Sole, angulus inclinationis est cæteris paribus omnium minimus, quam vero est in quadraturis est omnium maximus: adeoque progrediente Luna a syzygiis ad quadraturas inclinationis angulus gradatim augetur; contra vero minuitur redeunte Luna a quadraturis ad syzygias.

F I N I S.



# INDEX

## SECTIONUM, ET CAPITUM,

*Quæ in hoc Secundo Libro continentur.*

---



---

### SECTIO PRIMA

*De Mundi, Cœlique Constitutione, Substan-  
tia, atque Structura.*

- |  |  |
|--|--|
| CAP. I. De Corporum Cœlestium præcipuis diffe-<br>rentiis, numero, magnitudine, & si-<br>gura. pag. 10.                                  |  |
| CAP. II. De Cœli, deque Corporum, quæ in Cœlo sunt.<br>Constitutione, & substantia. 20.  |  |
| CAP. III. De ordine, atque distantiis Corporum Cœle-<br>stium: ubi de Systemate Ptolemaico, Coperniceo,<br>& Tychonico. 39.              |  |
| CAP. IV. De motu Corporum Cœlestium periodico; deque<br>loco Firmamenti, in quo videntur moveri. 50.                                     |  |
| CAP. V. In quo tempora periodica Planetarum sunt pri-<br>miorum, quam secundiorum cum ipsorum di-<br>stantiis conseruntur. 59.           |  |
| CAP. VI. De figura, & proprietatibus Orbitarum, in<br>quibus moventur Corpora Cœlestia, deque vera motus<br>ipsorum lege. 62.            |  |
| CAP. VII. De Orbitarum, in quibus Corpora Cœlestia<br>moventur, planis ad Firmamentum usque producatis;<br>deque eorum inclinatione. 75. |  |
| CAP. VIII. De motu Apsidum, atque Nodorum, atque<br>eorum positione: deque inde ortis periodis. 79.                                      |  |
| CAP. IX. De Planetarum adspectibus. 84.  |  |
| CAP. X. De Planetarum Phasibus, sive lumenis in-<br>crementis, & decrevensis. 90.  |  |
| CAP.   |  |

CAP.XI. De Eclipsibus Planetarum quum primario-	
rūm. tum securdiorum .	98.
CAP.XII. De Planetarum motibus , quatenus e Tel-	
lure spectantur : ubi de eorum stationibus , directioni-	
būs , & retrogradationibus .	108.
CAP.ULT. De Planetarum maculis , eorumque circa	
axes suos revolutionibus .	120.

## SECTIO SECUNDA.

### De Motu Siderum diurno ; deque Sphærica doctrina .

CAP.I. DE Polis Cælestibus , deque Mundi Axe .	
Tum de æquatore , Parallelis , & De-	
clinationum circulis . pag. 126.	
CAP.II. De Horizonte , ejusque Polis : deque Circulis	
independantibus .	120.
CAP.III. De triplici Sphærae positu , recto , obliquo , &	
parallelo .	135.
CAP.IV. De Cælestium Circulorum in superficiem Ter- restrem translatione .	
	140.
CAP.V. De duplice Siderum altitudine : & de Poli al- titudine asequenda .	
	144.
CAP.VI. De investigandis Siderum declinationibus .	
Item de arcubus diurnis , atque nocturnis ; deque ama-	
plitudinibus ortivis occiduisque definiendis .	147.
CAP.VII. De parallaxi Siderum : ubi de visarum , at- que verarum altitudinem discrimine .	
	150.
CAP.VIII. De Siderum refractione : ubi rursus de vi- sarum , verarumque altitudinem discrimine .	
	155.
CAP.IX. De motu Solis , & Planetarum composite ; ubi	
de reliquis Sphærae circulis .	159.
CAP.X. In quo doctrinae sphæricæ Elementa tradan-	
tur .	172.
CAP.XI. De Crepusculi cariss , atque ejus duratio-	
ne .	187.
CAP.XII. De variis Revolutionum diurnarum periodis ;	
præsternim vero de die Siderico , atque Solari .	195.
	CAP.

- CAP.XIII. De nintu Solis in longitudinem eam eius  
motu in adscensionem rectam comparato. 200.
- CAP.XIV. Quomodo locorum Terrestrium positiones per  
observationes astronomicas definiri possint. 203.
- CAP.VULT. De motu Siderum diurno in Systemate mo-  
tus Telluris: deque aliis phænomenis, quæ inde pro-  
ficiuntur. 206.

## S E C T I O T E R T I A

### *De Calendario Romano.*

- CAP. I. **R**omanus Calendarii origo, & progressus exponuntur. pag. 219.
- CAP.II. De Cyclo Solari, ejusque usu. 223.
- CAP.III. De Tempore Paschatis celebrandi inveniendo ubi de Cyclo Lunari, seu de numero annorum. 228.
- CAP.IV. De Indictione Romana: ubi de Periodo Juliano, & Victoriana. 235.
- CAP.VULT. De Epochis, atque Aeris celebrioribus. 239.

## S E C T I O Q U A R T A

### *Communia quædam de motu Planetarum, nec non Theoriam motus Solis complectens.*

- CAP. I. **D**E motu Planetarum vero, medioque &  
deque Centri Aequatione. pag. 243.
- CAP.II. De Anomaliarum verarum, mediariisque  
inventione. 248.
- CAP.III. Problematis Kepleriani solutiones concinniores adseruntur, & demonstrantur. 256.
- CAP.IV. De Wardi hypothesi elliptica, & de Orbita  
Cassiniiana. 264.
- CAP.V. De annua Telluris periodo definienda. 266.
- CAP.VI. De excentricitate Orbita Terrestris investi-  
ganda. Item de Apsidum situ, deque tempore, quod  
Tellus versabatur in linea Apsidum inveniendo. 269.
- CAP.

- 406 I N D E X:
- CAP.VII.** De Temporis aequandi Causis ; & regula  
lis . 277.  
**CAP.ULT.** De Telluris longitudine , ejusque a Sole di-  
stantia supputanda . 280.

## S E C T I O Q U I N T A.

### *De Reliquorum Planetarum Theoriiis .*

- CAP.I.** Qua ratione Planetarum tempora perio-  
dica possint determinari . pag. 283.  
**CAP.II.** Quomodo sicut , moxque nodorum investigari  
possint , exponitur . 287.  
**CAP.III.** Quomodo quantitas inclinationis Orbitarum  
ad eclipticæ planum definiri possit . Item de orbitarum  
magnitudines positionesque investigandi ratione. 289.  
**CAP.IV.** Quomodo Planetarum loca heliocentrica , eo-  
rumque a Sole distantia ad tempora data possint sup-  
putari . 295.  
**CAP.V.** Quomodo Planetarum loca geocentrica ad da-  
ta tempora supputari possint , ostenditur . 299.

## S E C T I O S E X T A.

### *De Motu Siderum inerrantium .*

- CAP.I.** DE Motu Siderum inerrantium ab occasu  
in ortum . Item de longitudinum , ad-  
scensionum regularum , declinationumque mutatio-  
ne . pag. 304.  
**CAP.II.** De inerrantium Siderum Parallaxibus , qua  
ex anno motu dependent ; deque earum proprietati-  
bus . 307.  
**CAP.III.** De adparenti Semita , quam in Sphera Uni-  
versi fixa propter annuam parallaxim describunt : ubi  
de Siderum parallaxibus ad Mundi Polos , & Äquino-  
tialem circulum relatis . 316.  
**CAP.IV.** An parallaxes Siderum annua cum Telluris  
motu periodico conspirent . 326.  
**CAP.V.** De novis aberrationum annuarum causis a Ja-  
cobio Bradley novissime propositis . 329.

SE-

## S E C T I O S E P T I M A

*De Caussis Physicis Motuum Cœlestium.*

- CAP.I. **D**E motu Corporum Cœlestium curvili-  
neo. pag. 34<sup>2</sup>.  
 CAP.II. **D**e aequali arearum descriptione. 345.  
 CAP.III. De motu Planetarum, & Cometarum inae-  
quabilis. 351.  
 CAP.IV. De Orbitarum elliptica figura, deque sece-  
Solis. 354.  
 CAP.V. Adpendix ad doctrinam superiori Capite exposi-  
tione, & de velocitatibus tam relativis, quam abso-  
lutis Planetarum. 360.  
 CAP.VI. Quomodo ex caussis physicis supra adductis do-  
ducatur proportio Kepleriana inter quadrata tempo-  
rum, & cubos distantiarum. 370.  
 CAP.VII. Cur Orbis Cometarum sunt acutissimi, &  
quasi Parabolici; Orbis vero Planetarum sunt quasi  
circulares. 372.  
 CAP.ULT. Unde fieri potuerit, ut Planetæ, & Comets  
moveantur in planis diversis. Totius doctrinae su-  
perioris expositor Anacephalaosis. 376.

## S E C T I O O C T A V A

*De Motibus Lunaribus, coramque  
Caussis Physicis.*

- CAP. I. **Q**uae ex actione Solis in Lunam vicissitudi-  
nes arearum descriptioem comitentur;  
ubi de ejus actionis mensuris. pag. 379.  
 CAP.II. Quæ ex actione Solis in Lunam vicissitudines  
tam orbi ecliptico ipsius, quam ejus excentricitati  
contingant. 385.  
 CAP. III. De Apsidum lunarium progressu, & regref-  
su. 394.  
 CAP.ULT. De Nodorum lunarium motu retrogrado;  
deque perpetua Lunaris Orbis ad eclipticæ planum  
inclinationis mutatione. 400.

Finis Libri Secundi.

# Errata graviora Tom. II. Sic corripe.

Pagi. 64. versu 6. lege sic. Rectam ASB dispescere orbem APBC in partes duas APB , ACB omnino æquales & similes ; adeo ut pars APB superimposita parti ACB congruat cum ea . Ex quo sequitur Planetas , & Cometas in locis æque remotis a recta linea ASB æquales a Sole distantias sortiri : nam positis æqualibus angulis ASP, ASC, vel BSP , BSC , ob æqualitatem & similitudinem partium APB , ACB facile intelligitur rectas SP , SC æquales esse esse.

Pagi. 64. versu 26. lege sic : Rectas SP , SC ductas a Sole S ad quævis puncta P , & C.

Pagi. 90. versu 11. Sed hæc rectarum PT , PS æqualitas in solo Mercurio, qui proximus est Soli, locum habere non potest , in Venere vero & tribus superioribus planetis interdum obtinet ; adeo respectu horum aspectus geocentricus heliocentricum adæquare potest ; in Mercurio vero est id omnino impossibile .

Pagi. 93. versu 2. lege: existente vero in E.

Pagi. 102. versu 11. lege SOp.

Pagi. 103. versu 2. lege : paullo brevior.

Pagi. 105. versu 8. lege : inter suos primarios & Tellurem.

Pagi. 122. versu 13. lege suos pro duos .

Pagi. 123. versu 31. lege Q:umque pro Qnum.

Pagi. 174. versu 8. lege AEC.

Pagi. 203. versu 10. lege p: 812395. Versu 14. ejusd. pagi. leg: quando Sol verllatur in grauferme uccimo sexto Ge-minorum.

Pagi. 248. versu 3. lege: Sed ita tamen ut ambz simul junctz conficiant gradus 360 ; ut e.g. in anomaliis graduum 29 & 340 , 40 & 330 &c.



S.A 30510

Digitized by Google

